Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Andreas Büttner

M. Christophori Andreae Bvttneri, Schol. Sen. Sedin. Rect. Cvrsvs Theologiae Revelatae

Pars I : Continet Theologiam Positivo-Polemicam

Sedini: Typis Hermanni Godofredi Effenbarti, MDCCXXXXVI

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686

Band (Druck) Freier Zugang

Pr. 1314. p

52⁶.12.

F.h- 3090.

~~Zl. XIV. 15c.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1724627686/phys_0002
DFG

M. CHRISTOPHORI ANDREAE
BVTTNERI,
SCHOL. SEN. SEDIN. RECT.

CVRSVS THEOLOGIAE REVELATAE,

OMNES COELESTIS DOCTRINAE PARTES, EX SCRIPTVRA SACRA HAVSTAE, COMPLECTENS.

PARS I.
CONTINET THEOLOGIAM
POSITIVO-POLEMICAM.

SEDINI,
TYPIS HERMANNI GODOFREDI EFFENBARTI,
NOBIL. ET AMPL. SEN. TYPOGRAPHI.
M DCC XXXXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Praefatio ad Lectorem.

Antequam ad eam orationis partem venio, quae est propria nostrae praefationis; ea, quae et dicendi scribendique facultatem praebuere; et, quae me adduxerunt, vt haec, quae effingere nuper coepi atque excudere, in hominum dare manus decernerem, commemoranda esse videntur. Non certe postulaturus sum, vt, si adolescentes nostri, qui extra limen iam proferendi sunt, et quibus nunc fere solis exeunt, aliqualem ex his fructum percipiunt, idcirco meae vel inuentioni, vel intentioni potius,

quam meorum in Fridericiana olim Auditorum, eadem, qua in Philosophia vsus sum, Methodo, omnium doctrinæ cœlestis disciplinarum etiam explanationem a me efflagitantium, industriae assignare tibi sumas. Genus enim scriptorum, quod totius Theologiae ambitum atque nexum, breuiter strictimque exhiberet [vniuersitas enim ipisforum hac in re voluminum, Auditorum non inservit vtilitatibus] etsi erat semper ab iis vehementer exspectatum: tamen, eadem haec agere saepe conantem cum operis magnitudo me deterruit, tum rei dignitas, grauitas et amplitudo. Sed vicit tandem eorum solicitatio, quae me praesens, quod hic tibi sisto, Theologiae compendium, non enim συστημα composui, elaborare impulit, quodque in institutione, quam vocant, priuatissima, explicare decreui.

ui. Priores, Martisburgi prelo subiiciebantur plagulae, quo vt erant recentes et nascentibus adhuc similes, mittere sum coactus; quoque fiebat, vt Typographi incuria, varios in earum perlectione, sentirem errores, quorum et corrigendi modum, et rerum, quae in hoc occurrunt libro, indicem, pars huius elucubrationis nostrae posterior, declarabit. Quae, si et aliis dantur: et mihi te, similem, beneuole lector, audentiam, haud negaturum esse, maximopere confido. In eo autem haec argumento versabitur, vt totius Theologiae, quam *Practicam* seu *Moralem* adpellant, praecepta, hoc est, Theologiam *practicam vniuersalem, Iurisprudentiam positiuam, Ethicam et Politicam Christianam*; nec non *Casuisticam, Hermeneuticam* porro *sacram, Homileticam* et *Cathecheticam*, itemque *Theologiam*

experimentalem, quae hodie plerumque exulat, quaeque maximis capax vsibus, ad scientiae doctrinam euehenda est, ex limpidissimis oraculorum diuinorum fontibus, non tamen excluso rationis nexu et harmonia, in complexu suo derivem atque demonstrem. Quodsi cum his, sanctiores Theologiae *dogmaticae* atque *Polemicae*, quas in prima hac parte exposuimus, iunguntur sententiae; nil erit, quod, qui disciplinarum Theologicarum vestibula ingrediuntur, desiderare facile possint. Quod vero ad priorem nostri laboris partem attinet: fidei dogmata, ex iustis, carptim tamen breuiterque pro fine meo, deduxi principiis; ita tamen, vt ad fidei rationisque concentum oculos semper referrem. Ex quo autem cognosces, cur in vno saepe §, plures, quae ex se inuicem, et vno etiam eodemque

que fluunt principio et fundamento, connectantur conclusiones; et cur nec latius sint deductae; nec ipsa Scripturae Sacrae effata pluribus sint expositа, sed sola tantum excitata. Eodem breuitatis studio tanquam ratione ductus sum, vt aduersariis, quorum fallacias probandique modos, nostris, quibus opponuntur, doctrinis, in eodem statim §. subiunxi, circumcisas tantum et abrasas dederim responsiones; quo ipso intentionis in legendo studium semper retineatur erectum. Vt enim doctrinarum, quas exoscularmur, probationes: ita et, quae ad diluendum explicandumque contradicentium pertinere aestum videntur, in locis praecipue posterioribus, in solis, quos excitauimus, §§. quique, si res ex sapientum scholis depromuntur, ad librum, quem *Cursus Philosophici* nomine

olim emisimus in lucem, respiciunt, singulisque etiam verbis, ne liber crescceret, sunt quaerenda. Facilis enim, quod omnes concedunt, labor fuisset, et ornare dicta et amplificare, pariter et defensioni nostrarum cogitationum latius deservire; nisi mentem voluntatemque hanc suscepissem, cui facto veniam dabis, vetito quidem, non tamen inusitato. Ceterum, nec noua, nec ante hunc diem inaudita protuli, nec ea, quae, vt mihi videntur, vel paginis diuinis, vel libris istis, publicam fidei nostrae confessionem continentibus, aliisque coetus nostri, seu rei, cui addicti, sacrae, et doctoribus meliorum partium eorumque sententiis, sunt contraria. Cum enim eos aemulor, tum maxime, quam sint boni, quam sancti, quam perfecti, quam belle recteque praecipiunt, experior. Pla-

Placet enim mihi illud *Plinii*: honestissimum esse, maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Ero enim vel cautior in continendo, vel constantior in edendo, si huc vel illuc auctoritas eorum accesserit. Abominor igitur, quod ingenue fideliterque confiteor, omnes sententias, omnesque enunciationes detestor, quae istis repugnant doctrinis, aut vel transuersum unguem, quod aiunt, a reuelata aut saniori, recedunt. Tamen, si, quae ab aliis minus distincte dicta sunt, aut, quae mihi obscuriora et minus completa videbantur aut omissa, suppleo, vel in medium produco: vitio mihi, vt spero, vertet nemo. Vnum enim aut alterum horum genus in materia, quae ad vnctionem Christi habitualem, testamenta diuina, corpora glorificata et spiritualia, officia Trinitatis etc.

pertinent, fortasse deprehendes; quod litteratorum iudicio et disquisitioni tradere, non alienum erit. Denique, si non omnia cultiori modo elaborata, si pleraque humilia, et ex medio petita, si non Marci ληκυθος inuenies: non austeritatem a te me exigere cogitabis. Frontem potius in plerisque vt remittas, ea, qua par est, animi veneratione, peto. En tractationis nostrae capita.

Diss. prolusor. philos. de Generis humani Redemtore.

Prolegomena.

Cap. I. De Sc. S. Theologiae reuelatae principio.

Cap. II. De Theologia reuelata in genere.

Theo-

Theologiae Positiuo-Polemicae

Cap. I. De DEO Trinuno.
Cap. II. De Creatione.
Cap. III. De imagine DEI in homine.
Cap. IV. De angelis.
Cap. V. De foederibus diuinis, et in specie, de foedere primo s. operum.
Cap. VI. De primi foederis violatione et peccato hinc orto.
Cap. VII. De peccatis non-connatis.
Cap. VIII. De foedere gratiae.
Cap. IX. De Christo, expiatore generis humani.
Cap. X. De fide in Christum.

Cap. XI.

Cap. XI. De vocatione et illuminatione.
Cap. XII. De regeneratione et conuersione.
Cap. XIII. De Justificatione.
Cap. XIV. De renouatione et bonis operibus.
Cap. XV. De Sanctitate Christiana aliisque huc pertinentibus.
Cap. XVI. De Electione et reprobatione.
Cap. XVII. De lege et euangelio.
Cap. XVIII. De circumcisione et agno paschali.
Cap. XIX. De Baptismo.
Cap. XX. De sacra coena.
Cap. XXI. De sacramentis in genere et testamentis diuinis.

Cap. XXII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_0016
DFG

Cap. XXII. De Eccleſia.
Cap. XXIII. De ſtatu ciuili.
Cap. XXIV. De ſtatu domeſtico.
Cap. XXV. De ſtatu eccleſiaſtico.
Cap. XXVI. De morte temporali.
Cap. XXVII. De reſuſcitatione et reſurrectione mortuorum.
Cap. XXVIII. De extremo iudicio et fine huius ſeculi.
Cap. XXIX. De vita aeterna ſeu glorificatione fidelium.
Cap. XXX. De morte ſeu damnatione aeterna.
Cap. XXXI. De ſtatu animae poſt mortem.

Cap. XXXII.

Cap. XXXII. De officiis Trinitatis, praecipue Spiritus Sancti.

Cap. XXXIII. De prouidentia divina.

Cap. XXXIV. De Gloria et glorificatione Dei.





DISSERTATIO PROLVSORIA PHILOSOPHICA

DE

GENERIS HVMANI REDEMTORE.

§. 1.

HUmani generis conditorem (§. 1-17. Th. N.) & imperantem hominibus, tanquam suis subditis, non solum leges officiaque, erga DEVM, se ipsos, aliosque homines, praescribere posse, sed reuera etiam praescripsisse, secundum quas uiuere deberent necessario; abunde satis demonstrauimus in Philosophia practica uniuersali (§. 5-18.), & in tota iurisprudentia naturali.

§. 2. Verum si actiones hominum hodie attendimus; nil fere, nisi legum officiorumque neglectum, perspicere licet: quod *peccati* nomine uenit. Pauciſſimi enim de cognitione DEI eiusque attributorum, ex

quibus tamen sanctae uitae motiua desumi debent (§. 16. I. N.), sunt solliciti; multo minus summum Numen cultu ipsi debito, prosequuntur; ut potius multi, magno mentis fastidio, cultum DEO praestent. Et quamuis omni animi cura omnibusque uiribus peccata fugiant, eaque detestentur; nihilo minus tamen inclinationem quandam ad peccata in ipsis haud raro sentiunt; immo peccati dulcedine, seu grata sensatione uicti, proh dolor! consentiunt; (quod *sub dominio peccati esse* dicimus), quae omnia tristi omnium experientia comprobantur. Ergo quia omnibus uiribus peccata fugiunt, & nihilominus consentiunt; uires etiam legi conuenienter uiuendi, amiserunt (§. 55. Ont.). Ergo amissio uirium in totam uitam influit, nihilque nisi peccata committere possunt homines. Ergo & procreatio sobolis sine peccatis esse nequit.

§. 3. Fortassis putas, hunc §. 2. adductum consensum, non in omnibus esse hominibus, sed tantum in peruersis. Verum experientia docet, quod sanctissimus etiam haud raro per peccata abripiatur, ita vt canere debeat: *video meliora proboque, deteriora sequor.*

§. 4. Homo itaque multis scatet peccatis. (§. 2. 3.) Quoniam vero est a DEO (§. 17. Th. N.); DEVS autem perfectissimus & sum-

summe bonus (§. 10. 150. Th. N.); DEVS hominem non aliter quam perfectum & bonum creare potuit. Ergo dispiciendum est, in quonam hominis perfectio & bonitas sit quaerenda,

§. 5. Consistit scilicet *peccatum* in actione, quae fit contra leges; *uitium* uero *morale* in habitu actiones suas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali praescribitur. Quoniam itaque *bonum morale* est, quod legibus conuenit; *perfectio* uero, si res ita comparata est, ut finem consequi possit; DEVS uero homini leges praescripsit secundum quas uiuere debuit necessario: (§. 1.): DEVS hominem ita etiam creare debuit, vt leges ab ipso praescriptas per bonitatem & perfectionem concreatam, obseruare potuisset (§. 4.).

§. 6. DEVS hominem ita creare debuit, ut leges, ab ipso, homini praescriptas, obseruare potuisset (§. praec.). Ergo possibile erat, ut in actionibus hominis nullum quis commonstrare potuisset malum: quod cum dicimus *iustitiam*; DEVS hominem creare debuit cum iustitia.

§. 7. Ex eadem ratione §. praec. adducta liquet, DEVM etiam hominem creare debuisse cum sanctitate. Nam si homo leges a DEO praescriptas obseruare potuisset (§. 5.): sane harmonia ad fuisset actionum

ſuarum cum lege, quae *ſanctitas hominis* dicitur. Quoniam itaque DEVS hominem ita creare debuit (§. citat.); creare etiam eum debuit cum ſanctitate, id quod ex iuſtitiae conceptu etiam patet. Nam quia iuſtus a DEO creabatur (§. præc.); qua de cauſſa in actionibus ſuis nullum quis ipſi commonſtrare potuiſſet malum (§. cit.); non potuit non eſſe aliter, quam ut harmonia aliqua inter hominis actiones, legemque DEI conſpiceretur. Haec vero harmonia dicitur *ſanctitas hominis*; DEVS ergo hominem creare debuit ſanctum (§. præc.).

§. 8. Quodſi itaque iuſte ſancteque uiuere potuiſſet homo (§. 6. 7.); tanta inſtructus eſſe debuit cognitione, ut in illis rebus, quae ipſi erant cognitu neceſſariae, ideas haberet diſtinctas. Hoc ut eo facilius intelligi poſſit, paucis demonſtrabimus.

§. 9. Ante omnia uero tanquam per experientiam probatum adſumimus, peccatum, ſi non omne, (hoc enim iam euoluere nolumus) aliquod tamen, ſi facimus, nos appetere. Quoniam uero nil appetimus, niſi ſub ratione boni (§. 128. Pſych.), peccatum etiam, ſi quod committimus, ſub ratione boni nobis repraeſentemus, eſt neceſſe. Qui vero malum ſub ratione boni, hoc eſt, tanquam bonum, ſibi repraeſentat; malum habet pro bono, quod eſt confuſio (§. 28.

30.

30. Log.); peccatum ergo hoc modo commissum ex confusione oritur.

§. 10. Verum dicis: non semper homines malum, tanquam bonum sibi repraesentare, neque adeo duas hasce ideas inter se confundere, dum probe sciunt, rem hanc esse malam, nihilo minus tamen eam appetere. Ad hocce uero dubium ut respondeamus, duo sunt obseruanda. Nam quamuis concedamus, esse casus, ubi quis rem, quam malam esse non ignorat, appetat; non tamen rem hancce appetit, quia est mala, aut quia eam tanquam malam cognoscit; sed potius, quia ex hoc malo uoluptatem percipit, quod hac ex ratione tanquam bonum considerat omnino (§. 89. Psych.). Putat enim, etsi erronee, malum hocce, quod appetit, ad perfectionem eius aliquid conferre, quo ipso autem distincte illud minime sibi repraesentat, cum alias non tam peruerse iudicasset. Ergo etiamsi cum alia re, malum non confundat; attamen in ipsa re notas connexionemque distincte minime perspicit confusionemque excitat, seu in genere quidem aut clare rem hancce malam esse nouit; non tamen pro tanto habet, quantum aestimandum est omnino. Absit ergo, ut dicas: peccata non prouenire ex confusa repraesentatione, & homines appetere rem tanquam malam.

§. II. Operae pretium ducimus, ut dicta exemplo quodam illustremus. Ponamus enim, iuuenem bonae indolis beneque alias educatum, omni tamen pecunia ad commoditatem iucunditatemque necessaria, carentem. Quodsi hic in loco quodam pecuniam inuenit, occasionemque videt, aliquam eius partem secum auferendi; fieri potest, ut occasionem hanc ne non dimittat, sed potius summam quandam detrahat. Non quidem sine excitata conscientia, in ipso reclamante, hanc actionem committet; attamen pecunias appetit, eaque aufugit. Patet itaque, pecuniam suamque hanc actionem eum appetere, nonquia mala est; sed quia ut medium haec sibi repraesentat commode, iucunde feliciterque uiuendi. Et quamuis conscientia eum mali, quod hac ratione ab ipso prouenit, satis conuincat superque, ipseque iudicet, actionem inter malas esse referendam; attamen hasce, falsa fictaque consolatione, in se supprimit cogitationes, putans, neminem adesse hominum, aut non multum interesse, DEVMque sibi rursus reconciliare posse. Ex quo manifeste elucet, ingenere quidem, siue clare, actionem eius tanquam malam cognoscere; non uero in specie in connexione, seu distincte. Ad distinctam enim rei in se cognitionem, rem talem esse, cognoscere, non sufficit, sed par-

tes

tes rei eiusque connexionem nobis etiam repraesentemus, est necesse (§. 30. Log.).

§. 12. Quod ut eo melius intelligatur, probabimus etiam nostram thesin ex motiuorum doctrina. Anima scilicet nil appetit, aut auersatur, sine motiuis (§. 132. Psych), & quo ualidiora sunt motiua, eo maior est appetitus, uti etiam experientia constat (§. 132. Ps.); Quum ergo in distincta rerum repraesentatione ualidiora sunt motiua, quam in obscura, ubi nexum rerum, non tam complete, secundum omnes circumstantias nobis repraesentamus; distincta rerum repraesentatio magis ad appetendum nos impellit, quam confusa. Quoniam itaque nihil appetimus, nisi sub ratione boni (§. 130. Psych.); per distinctam uero cognitionem, melius rem, an bona aut mala sit, cognoscere possumus; distincta mali cognitio minime motiua praebere potest ad appetendum, sed potius ad auersandum (§. 128. Ps.).

§. 13. Ergo quia distincta cognitio ad malam actionem motiua non praebet (§. præc.), confusa uero & obscura malum facile ut bonum nobis sistit (§. 131. Ps.), quod anima appetit (§. 128. Ps.), quia adsunt motiua (§. 12.); confusa cognitio ratio est motiuorum ad malam actionem, quae moraliter considerata peccatum est (§. 5.); ex con-

fusa ergo cognitione oriuntur peccata.

§. 14. Alterum uero, quod contra originem peccati adductum profertur dubium, eodem modo facile soluitur. Consistit autem in eo, quod saepe homines agant peccentque sine praeuia cognitione & meditatione. Hinc concludunt: si ex nulla praeuia cognitione & praemeditatione homines peccant; sequitur, quod etiam non peccent ex confusa cognitione: Sed uerum est prius, ergo & posterius. Verum nego prius, & quidem ex duplici ratione. Nam repraesentationes, iudiciaque de rebus repraesentatis, tam subito in mente oriuntur, & sese inuicem sequuntur, ut nisi probe attentione adhibita, ea a se inuicem discernere nequeamus. Hinc est, ut haud raro eruditi (non ergo iam dicam de imperitis & indoctis,) uitium committant subreptionis. Deinde etiam motiua latent in consuetudine agendi, quae ex antea iam descripto modo elucet (§. 136. Pf.). Ergo ad casum, quo prima uice aliquid uoluimus, in hac agendi consuetudine attendere debemus (§. 137. Pf.); ubi haec peccata ex confusa cognitione originem ducere facile patebit; ex qua ratione deinceps negari nequit, peccata oriri ex confusa repraesentatione.

§. 15. Ergo quia peccata ex confusa oriuntur repraesentatione (§. 9-14.), in statu

uero, quo homo a DEO creabatur, peccare non potuisset (§. 6.7.); sane liquet: DEVM in tali statu, distinctis, quoad res ipsi cognitu necessarias, eum exornasse ideis (§. 8.).

§. 16. Praeditus itaque erat, homo in tali statu non solum distincta rerum cognitione (§. 15.), sed & sanctitate (§. 7.), & iustitia (§. 6.). Quoniam itaque DEVS etiam distincta gaudet cognitione (§. 32. Th. N.), sanctitate pariter atque iustitia (§. 50. Th. N.); similitudinem aliquam DEVM inter atque hominem obseruamus: quum vero similitudo talis imaginem constituat (per definit.); DEVM ad sui imaginem hominem creasse, negari nequit. Immo eum sua cum imagine creare debuit (§. 6-15.).

§. 17. Status in quo homo imagine DEI est ornatus, dicitur *status innocentiae*, seu *integritatis*. Homo ergo in statu fuit innocentiae (§. 16.).

§. 18. Patet ergo harmonia etiam positiua fidei & rationis quoad imaginem diuinam & statum innocentiae, quem ulterius explicare possemus, si tempus institutumque nostrum permitterent.

§. 19. Quoniam uero DEVS nunquam peccat (§. 118. Th. N.); homo uero ad DEI imaginem conditus erat (§. 16.); homo etiam ex intentione DEI peccare non debuit, utpote quod sanctitati eius erat inimi-

cum (§. 16. & 50. Th. N.). Nam quia cum imagine sua creare hominem debuit (§. 56.); quae in sanctitate, hoc est, harmonia cum lege & iustitia, qua nullum ipsi commonstrari potuisset malum, constabat (§. 16. 6. 7.), creare eum non potuisset cum ipso peccato, seu habitu peccandi, aut uoluntate peccandi, quod esset contradictio, quae in DEVM non cadit (§. 50. Th. N.).

§. 20. Male ergo faciunt, contradictionisque DEVM arguunt, qui eum uoluisse, statuunt, ut homines peccarent, aut ipsum peccatum necessarium esse, perhibent (§. praec.).

§. 21. Quoniam uero homo peccare non debuisset, uiribusque peccata omittendi sufficientissimis instructus, secundum leges diuinas suas actiones componere potuisset (§. 19. 5.): iam uero in tali statu, proh dolor! non amplius existit (§. 2. 3.), talis uero mutatio, qua moralis hominum natura bona, fiebat moraliter mala, *lapsus* dicitur: hominum etiam lapsus negari nequit.

§. 22. Quia itaque homo quotidie peccat (§. 2.), & lapsus eius manifestus est (§. 21.); inter creaturas pertinet moraliter malas (§. 5.). DEVS uero cum creatura mala, quamdiu est mala, sese non coniungit, neque coniungere potest (§. 50. Th. N.); DE-

VS

VS ergo cum homine hoc in ſtatu ſeſe minime coniungere eumque amare poteſt. Quem uero non amamus, ſed potius odio proſequimur; eius felicitatem minime promouemus (§. 113. Pſ.). DEVS ergo creaturae malae felicitatem promouere minime poteſt. Dicitur autem *felicitatis promotio* actio, qua facimus, ut alteri ſit bene. DEVS facere minime poteſt, ut creaturae malae bene ſit.

§. 23. Quum itaque DEVS cum homine iam ſeſe coniungere nequit (§. præc.); in hac vero coniunctione DEI, beatitudo hominis, tanquam felicitas alterius uitæ, conſiſtit (§. 137. Ph. Pr. Vn.); beatus, homo propter peccata iam fieri nequit.

§. 24. Porro homo peccator actiones ſuas legi diuinae conuenienter non componit, adeoque uitioſus eſt, non uirtuoſus (§. 5. & §. 108. Ph. Pr. Vn.). Quoniam uero nemo felix eſſe poteſt, niſi qui eſt uirtute praeditus (§. 133. Ph. Pr. Vn.); homo peccator hac in uita felicem ſe reddere minime ualet.

§. 25. De differentia beatitudinem inter atque felicitatem uid. §. 138. Ph. Pr. Vn.

§. 26. Homo peccator neque beatus (§. 23.), neque felix eſſe poteſt (§. 24.). Beati uero in aeternum uidebunt DEVM, ex quo uoluptas oritur ineffabilis (§. 147. Th. N.); Homo ergo peccator neque DEVM uidebit

debit, neque uoluptate hinc resultante frui poterit. Ergo quia felix etiam esse nequit (§. 24.), uoluptatem illam felicitatis consequi non potest. Haec vero ipsi sunt mala (§. 36. Ontol.): homo ergo peccator sentiet mala.

§. 27. Non uero haec mala priuatiua solum sentiet peccator, sed & alia positiua; id, quod ex poenis naturalibus non solum, sed & ipsa damnatione aeterna facile intelligitur (§. 52. Ph. Pr. & §. 148. Th. N.). Quod si itaque homo miseriae suae aeternitatem sibi repraesentat; non potest non maxima inde sequi miseria, praecipue si cogitet, quod huius miseriae, ob immortalitatem mentis humanae, repraesentatio in aeternum duret, & quod maximum, nullum perspicere possit medium, quo ex tot tantisque malis liberari queat, uti mox demonstrabimus.

§. 28. Eo ipso autem dum haec cogitat, non solum conscientiae accusatio, sed & euigilatio sequitur (§. 77. 79. Ph. Pr. Vn.). Cum his saepissime morsus conscientiae connectuntur, uariaque taedia, qualia sunt: terror, metus, ira, desperatio, pudor, paenitentia (§. 78. Ph. Pr. Vn.). Ex quibus omnibus miseria peccatoris maxima elucet, quam tamen pro dignitate satis describere non possumus.

§. 29. Verum haec mala ex peccatis

non

non solum prouenire solent, sed etiam prouenire debent, id, quod ex iustitiae attributo, DEO competente, facile ulterius demonstrari potest, praecipue si sapientissimam diuini Numinis ordinationem, directionem & prouidentiam consideremus (§. 149. Th. N.). Nam quia DEVS in mundo omnia ita ordinauit, ut bonis, qui leges suas obseruant, omniaque ita ordinant, uti ipse ordinauit, necessario sit bene (§. 140. Th.N.); hominibus peccatoribus, qui leges DEI haud obseruant, & ideo ordinationi diuinae resistunt, bene esse non potest, quin potius mala sentiant maxima. Quod si enim malis etiam bene esset; in ordinatione diuina facile commonstrari posset malum, adeoque iustus non esset (§. 52. Th. N.); quo ipsi harmonia attributorum tolleretur, quod est absurdum (§. 50. Th. N.). DEVS ergo propter iustitiam poenas infligere debet peccatori. Patet etiam hoc porro exinde, quia DEVS omne, quod ad actum producitur, decreuit (§. 74. Th. N.). DEVS ergo poenas naturales ut peccatores luant, etiam decreuit (§. 52. Ph. Pr. Vn.). Quodsi itaque peccatores non puniret; ageret contra suum decretum, quod est absurdum (§. 10. 50. Th. N.). Peccatores ergo & peccata punire debet omnino. Ergo quum quodlibet peccatum malum sit morale (§. 5.); quo

cre-

creatura mala fit, (*ens* enim *malum* dicitur, quatenus ipsi malum imputari potest per def.), DEVS uero cum creatura mala sese coniungere nequit, sed potius eam odio habet (§. 51. Th. N.); quodlibet peccatum DEVS punire debet; nullumque adeo peccatum manet impunitum. Nam quem odio prosequimur; ei male esse cupimus. (§. 113. Ps.); Mala vero passionis, ab imperante transgressoribus legum ob malam actionem immissa, dicuntur poenae (§. 5-2. Ph. Pr. Vn.).

§. 30. Quoniam uero DEVS hominem cum imagine sua creauit (§. 16.), qua ornatus leges obseruare potuisset (§ 19.): poenas hasce sibi ipsi imputet homo (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Male ergo faciunt, qui DEVM tanta iniustitia sibi repraesentant, ac si pro iubitu quosdam hominum puniret & reprobaret, alios uero eligeret absoluto aliquo decreto. Absolutum ergo decretum figmentum est, & dogma horrendum.

§. 31. Quodsi ergo homo peccator de tristi suo, qualem sibi per peccata attraxit, statu, serio cogitat, felicitatemque aeternam, ad quam conditus est (§. 42. Ph. Pr. Vn.), amissam esse, perspicit; non potest non imperfectiones hasce tanquam maxima sibi repraesentare mala. Quoniam uero mala auersatur anima (§. 128. Psych.);

hoc

hoc in casu omnibus uiribus elaborabit, ut ex miseria rursus elabi, pristinoque felicitatis statu frui, ualeat.

§. 32. Ergo si homo peccator uiam & medium a miseria sua elabendi quaerit, quo felix rursus esse possit; inter alia per experientiam discit, quod per obliuionem & cogitationum depressionem & dispersionem, a uariis se interdum liberauerit molestis sensationibus & cogitationibus. Hinc in hoc casu media haecce adplicat, uidens, an non finem suum consequatur. Verum ipsa etiam experientia condocet, media haecce uana esse. Saepissime enim mens per imaginationem eiusque legem, multarum antea peractarum actionum conscia redditur, quo propter ideas accessorias, malae illae haud raro rursus excitantur atque exsurgunt sensationes & cogitationes (§.17.Psych.); ut potius conscientia, statim euigilante, multo maiores peioresque patiatur sensationes, multo interdum labore in fugam dissiciendas (§ 77. seqq. Ph. Pr. Vn.). Et si vel maxime conscientia obdormiat ad tempus, quietemque animae concedat, non tamen inde tollitur iustitia diuina, sapientia & eius sanctitas, per quae attributa homo conuincitur, poenis eum esse afficiendum (§. 29.). Qua propter omnia illa mala remanent, quæ adduximus §. 23. seqq.

seqq. Quae cum ita sint; nemo dictas actiones tanquam media considerabit, quibus acquiescentiam mentis felicitatemque amissam recuperare possit.

§. 33. Ergo quia dicta media insufficientissima sunt (§. praec.), anima tamen lubentissime liberationem quaerit (§.31.); alia uia incedit. Perspicit scilicet abunde, nullam se habere posse acquiescentiam nullumque felicitatis, siue temporalis, siue aeternae, genus, quamdiu in statu hoc peccati iraeque DEI, iusti iudicis, permaneat (§. 22-29.). Hinc expiare DEVM intendit, ut iterum sese cum eo coniungere, felicitateque frui, queat (§. 22.), ad quam est creata (§.42.Ph.Pr.Vn.). Hoc ergo aliter fieri nequit, (quia per peccata tanta sibi attraxit mala,) quam ut talem sibi comparet statum, quo fiat, ut peccata sua amplius non existant. Talis uero actio, qua fit, ut iam existens amplius non existat, dicitur *annihilatio*; peccata ergo annihilare studet.

§. 34. Quoniam uero peccata relationes sunt (§.61.Log.), quae in rerum natura non existunt (§.58.Log.) existentia peccatorum mutari non potest in non-existentiam; peccata ergo physice annihilari nequeunt. Dicitur enim *annihilatio physica*, si reuera existens, seu ens actu mutetur, ut amplius non existat. Porro quia impossibile est, idem

simul

simul esse & non esse (§. 26. Ontol.); impossibile etiam est, ut actio non sit actio, id, quod de omissione quoque ualet, si omittendo peccata fuerunt perpetrata. Semper enim praecedens actio uel omissio manet, etiamsi alio modo corrigatur. Peccatum insuper factum est in mundo, ubi nexus deprehenditur, adeoque consequentia multa cum eo sunt connexa. Hunc uero nexum nec tollere nec mutare homo potest. Nullum itaque factum physice annihilabitur, & in se contradictorium, & humanis uiribus eo minus efficietur; uti bene monet Vir cl. GOTTLIEB. FRID. HAGEN, fautor noster singulariter colendus, in Diss. pererudita: de expiatione peccatorum, quantum ratio de eadem docet. §. 14. in fine.

§. 35. Quum itaque peccata physice annihilari nequeant (§. praec.); annihilatio tamen ualde sit necessaria (§. 33.); dispiciendum est, annon moraliter peccata annihilari possint. Dicitur autem *annihilatio moralis* relatio, qua factum aliquod consideratur, tanquam factum non fuisset. Annihilatio uero peccatorum moralis, qua fit ut DEVS propter iustitiam placatam, cum homine, antea peccatore, rursus sese coniungat, *expiatio peccatorum*. Peccatorum ergo expiatio, si peccatores felices rursus

esse cupiant, est necessaria (§. 33.).

§. 36. Si ergo expiatio peccatorum est annihilatio peccatorum (§. 35.), quae iram DEI, eiusqueiustitiam prouocant, ex qua poenae proueniunt (§. 29.); per expiationem non solum 1) iustitia pacatur, sed & 2) poenae promeritae cessant, quo fit, ut DEVS cum tali expiato, rursus sese coniungere, talis felicitatem amissam consequi & homo iterum possit.

§. 37. Quoniam uero ex peccatis morsus conscientiae aliaque mala originem trahunt (§. 27. 28.); per expiationem 3) morsus conscientiae aliaque mala, quae inde oriuntur, prorsus tolluntur, ingrataque inde proueniens sensatio cessat. Praeterlapso autem malo, homo talem statum tanquam bonum sibi repraesentat, quod uoluptatem creat (§. 89. Psych.), expiatio ergo peccatorum 4) uoluptatem creat, atque laetitiam & oblectationem (§. 107. Psych.).

§. 38. Per expiationem annihilantur peccata (§. 32.); ergo non amplius homo in statu est peccati, ut potius DEVS cum tali rursus sese coniungere possit (§. 30.). Quoniam igitur DEVS non amplius propter placatam iustitiam impeditur, ut homini expiato sit benignus (§. 36.); homo uero ad felicitatem aeternam conditus est

(§. 33.)

(§. 33.) quam tamen sine uiribus legi conuenienter agendi, consequi non potest (§. 55. Ont.); per expiationem ipsi 5) uires restituuntur bene agendi, dominiumque peccatorum aufertur (§. 2) Per principium itaque reductionis homo in tali statu per expiationem deprehenditur, uti fuit cum imagine diuina; per expiationem ergo imago diuina homini iterum restituitur. Verus ergo expiationis modus, omnia haecce requisita habeat, est necesse, quae adduximus (§. 36. sqq.).

§. 39. Vt itaque homo ex tanta se liberare queat miseria; in memoriam reuocat, quod haud raro aliorum hominum amor, gratia & annihilatio peccatorum moralis recuperari possit, si serio omnia sua peccata & malefacta, cum firmo emendationis proposito, detestentur id quod *poenitentiam* uocare solent. Verum quia iustitia diuina necessario postulat poenas (§. 29.), in poenitentia uero nullae locum habent; poenitentia, uerus expiationis modus esse nequit. Manent ergo adhuc promeritae poenae; morsus conscientiae atque dolores, immo potius omnia haecce mala maximopere augentur, dum hac ratione nullum elabendi medium perspicit, ita ut facile inde desperatio, aliaque mala prouenire possint (§. 109. Psych.).

§. 40. Sed fortassis ad summam, qua DEVS praeditus est, benignitatem & misericordiam confugis, & expiationem hoc modo consequi putas. Verum hac ratione iniurius es in sanctitatem DEI eiusque attributa. Quodsi propter sanctitatem harmonia adest omnium in DEO attributorum (§. 50. Th. N.); misericordia maior esse non potest, quam iustitia, quod uero hoc in casu omnino sequeretur, dum iustitiae effectus, attamen necessarii, prorsus cessarent. Videtur quidem iustitiae DEI in poenitentia, propter uarios dolores, quos anima poenitens sentit, fieri satis. Verum haec mala, quamuis eorum sensum non negemus, non tamen poenae sunt proportionatae. DEVS enim tanquam sapiens proportionem, ordinem & aequalitatem in suis operibus obseruat. Ergo proportio etiam adesse debet inter peccata & poenas. Ergo maiora peccata maiores etiam postulant poenas, minora, minores. Sicut enim imperans iniuste ageret omnino, qui laesae Maiestatis crimen aut homicidii: fustigatione tantum aut alapis punire uellet Ita DEVS iniustitiae accusandus esset, si maxima peccata, minimis poenis reprehendere uellet. Quoniam itaque peccata, contra DEVM *infinitum* perpetrata, maxima sunt; maxumis, hoc est, aeternis

poenis

poenis puniri debent nulla alias inter peccata & poenas esset proportio. Quum ergo poenae (si uel maxime ita dicendae), ex poenitentia ortae, non sint aeternae, adeoque non proportionatae; DEVS hisce placari, peccataque hoc modo remittere non potest. Multo itaque minus, sine poenarum irrogatione, misericors fieri potest. DEO enim eiusque decreto de peccatorum poenis, immutabilitas adscribi debet (§. 76. Th. N.). Ergo ob sapientem iustitiam, peccata etiam punire debet, etiamsi nullus emendationis locus supersit, quae poena *uindicta diuina*, s. *iustitia uindicatiua* dicitur.

§. 41. Haec si probe perpendamus, facile occurrere possumus aliis, quae hic formantur, dubiis, scilicet; 1) DEVM hoc modo fieri multo crudeliorem homine, 2) cum tamen nil aliud, peccata expiandi, in homine reperiatur; 3) infelicisque infelicitatem augere, & quae suntalia. Verum haec ex confusa, de DEO, idea, & uitio Anthropomorphismi (§. 43. Th. N.) propullulare solent. DEVS enim iustitiam suam omnibus ob oculos ponere debet, adeoque non potest, ut homo mutabilis, generosus esse interdum (liceat ita loqui): potius quia homo sibi ipsi hasce poenas imputare debet, dum uires per conereatam imaginem ipsi

conceſſit, infelicitate dignus eſt omnino.

§. 42. Quoniam itaque miſericordia ſine antecedente iuſtitiae effectu locum minime habet (§. 40.); *aggratiatio*, ſeu relatio, qua DEVS ſine adhibitis poenis ex mera gratia homini peccatori condonat, imperfectionesque eius tanquam non facta conſiderat, modus expiationis etiam eſſe nequit (§. 38.).

§. 43. Ex eadem ratione (§. praec.) adducta, modus, (DEVM ad miſericordiam & aggratiationem mouendi, oratio ſolicet ſeria, corporisque laceratio, & animalium deſtructio) cadit. Quapropter eadem de iis ualent, quae de poenitentia propoſuimus (§. 39. ſqq.). Non ergo modis, DEVM expiandi ſunt adnumeranda (§. 38).

§. 44. Quoniam uero quotidie obſeruamus, amorem laeſi, rurſus homines, praeſtita ſatisfactione, ſibi conciliare; & hunc expiandi modum non praetermittere licebit. Eſt autem *ſatisfactio*, relatio, ſeu actus, quo alteri praeſtatur id, quod iure poſtulare poteſt, ut facta tanquam non facta conſiderare queat. Quoniam uero DEVS exactiſſimam legum ſuarum obedientiam poſtulat (§. 1.), aut hac ceſſante perpeſſionem poenarum temporalium & aeternarum certiſſime iuſtigit (§. 22-29.); ſequitur, eum, qui DEO ſatisfacere uelit, uel pro ſe, ipſe exacte obediat legibus,

(quod

(quod tamen certis conditionibus pro aliis fieri poterit) vel poenas patiatur temporales atque aeternas pro alio. Nemo enim pro se poenas aeternas loco satisfactionis sustinere poterit. Hasce enim patitur tanquam promeritas, adeoque aliis quia sunt aeternae, gratiam & felicitatem rursus sibi conciliare nequit.

§. 45. Quodsi itaque per satisfactionem, facta, adeoque etiam peccata, tanquam non facta considerantur (§.44.), iustitia diuina non solum placatur per satisfactionem (§.36.) sed & ipsae poenae peccatorum cessant (§. 36.), unacum moerore, morsibus conscientiae, aliisque malis plurimis (§. 37.). Contra producuntur per eandem uoluptas atque laetitia (§. 37.), uiresque iterum bene agendi (§.38.), eaque propter uerus est satisfactio expiandi modus (§.38.).

§. 46. Ergo quia homo propter defectum uirium legem implere nequit (§.38.); neque poenas aeternas sustinere ualet (§. 44.); homo ipse DEO satisfacere non potest; Adeoque dubium cadit, ac si DEO satisfieret per poenarum passionem.

§. 47 Excluduntur ergo per §. praec. etiam a satisfactione alii homines.

§. 48. Quoniam ergo a satisfactione excluduntur homines (§.46.47.); alius DEO

pro hominibus satisfacere debet. Ergo quia talis pro aliis satisfactionem praestare tenetur; nonfieri debet pro se ipso. Pro se uero aliquis DEO satisfacit per exactam legis obedientiam (§.44); qui ergo pro hominibus DEO satisfacere cupit, non ex lege iam ad hanc actionem obligatus sit, necesse erit. Ergo aliquid mereri debet (§.25.Ph.Pr.Vn.). Ergo quia omnes homines non solum propter (§.46.47.) sed & ex lege de promouenda omnium salute & perfectione sunt obstricti (§. 77. I. N.): creatura uero alia, etiamsi uiueret, sanctissime, propter dependentiam a DEO necessariam (§. 3-17. Th. N.), ex legibus iam obligetur (§. 6. 7. Ph. Pr. Vn. & §. 1.); nulla creatura, (adeoque etiam nullus homo, qua homo, si fingere possemus quendam sanctissimum) DEO satisfactionem praestare potest. Id quod etiam porro exinde patet, si consideremus, quod satisfactio, propter uniuersalem DEI erga homines lapsos gratiam (§. 50. Th. N.), uniuersaliter pro omnibus hominibus sit praestanda. Quum itaque omnis aeterna damnatione dignus sit (§. 2-29.) damnationem aeternam omnium perferre debet expiator. O! quantus dolor, quanta mala expiatori! Quod uero misericordia DEI uniuersalis sit, patet ex eo, quod omnes homines pec-

ca-

catis sint conspurcati, adeoque similem respectu DEI rationem habent. Quia itaque DEVS peccatores non potest non punire (§. 29.40.diff.prol.); nemo hominum ab hisce poenis erit excipiendus. Ergo misericordem se praebebit DEVS uel nullis, uel quibusdam, uel omnibus. Primum esse non potest, quia alias DEVS minime esset misericors, quod absurdum (§. 115.Pf.§. 150. Th. N.). Secundum locum non habet, quia DEVS misericordiam exerceret sine ratione, cum omnes eandem habeant rationem. Quia porro harmoniam in actionibus suis obseruat (§. 50. Th. N.); haec uero gratia & misericordia particularis disharmoniam indicat; DEVS etiam contra sanctitatem suam ageret, quad absurdum (§. 50. Th. N.). Peccatores enim aeternis poenis afficiendos & non afficiendos esse iudicat. Tollitur ergo per gratiam particularem, & sanctitas, & sapientia DEI. Sapiens enim aequalitatem, & proportionem obseruat; quia conuenientia adplicat media (§. 40. Th. N.). Et quia hoc modo malum ipsi commonstrari posset; tolleretur etiam iustitia DEI. Denique si consideremns, quod omnes habeant aequalem s. similem a DEO originem naturam, modum conseruandi eundem itaque in omnibus respectum; fa-

cile concludere possumus, quod DEVS etiam erga omnes habeat misericordiam.

§. 49. Quia itaque nulla creatura satisfactionem & expiationem praestare potest (§. 44-48.); praeter creaturas uero & creatorem, qui DEVS est (§. 25. 78. Th. N.), quia sunt ideae contradictorie oppositae, nullum datur tertium (§. 64. Log.); DEVS DEO, satisfactionem praestare tenetur (§. 44.). Quoniam uero unicus datur DEVS (§. 152. Th. N.); in DEO plures esse debent personae. Pluralitas ergo in DEO non est condradictoria, de qua tamen alio tempore plura.

§. 50. Quoniam uero DEVS est ens mere actiuum (§. 27. Th. N.), pati adeoque poenas sustinere non potest (§. 52. Ph. Pr. Vn.). Ergo quum tamen per aeternarum poenarum perpessionem satisfactio fieri debet (§. 44.); cum DEO aliud ens coniungatur, est necesse, quod pati possit; hoc ergo esse debet creatura (§. 49.).

§. 51. Expiator aliquid apud DEVM mereatur (§. 48.). Ergo esse debet substantia intelligens, utpote quae in hoc negotio omnia cognoscere & imputare sibi aliquid possit (§. 25. Ph. Pr. Vn.).

§. 52. DEVS ergo solus, aut creatura sola satisfactionem praestare minime possunt

(§. 48.

(§. 48.50.), sed debent uniri (§.50.). DEVS ergo & creatura intelligens unum constituere debent suppositum (§. 22. Ontol.). Suppositum uero intelligens dicitur persona (§. cit. Ont.); sicuti expiator totius generis humani, *mediator*, seu *redemtor*. Vnus ergo mediator est inter DEVM & hominem.

§. 53. Ergo si mediator apud DEVM aliquid meretur (§. 48.); esse debet sine peccatis, ne pro se satisfactione opus habeat (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Ex quo ulterius sequitur, nullam eum habere posse naturam peccatis obnoxiam.

§. 54. Quia uero satisfactio praestatur pro hominibus, dum redemtor poenas peccatorum in se recipit (§. 49. 53.); poenae autem non solum aeternae, sed & temporales sunt (§. 23-28.); poenas etiam temporales in se suscipere potest & debet mediator. Hae uero nonnunquam infirmitates corporis sunt, quibus peccator premitur; ergo non solum possibile sed etiam probabile & necessarium est mediatoris corpus. Expiator ergo corpore constat, & spiritu (§. 51.). Talis uero substantia corpore & mente constans dicitur *homo*. Redemtor ergo homo esse debet. Ergo non solum possibilitas, sed & necessitas ex dictis elucet. Ergo est DEVS (§. 49.), & homo in una per-

persona (§. 52.), quae dici potest θεανθρωπος.

§. 55. Quodsi itaque redemtor hominum est homo (§. 54.); sine tamen peccatis (§. 53.); naturaliter uero geniti omnes in peccatis procreantur (§. 2.); naturaliter generari & procreari minime potuit optimus redemtor, sed per miraculum (§. 41. Th. N.), siue ex nihilo, siue ex femina, siue alio modo. Quodsi ex femina ipsi placuerit; sine difficultate ex omnipotentia concipi omne potest. Nihil enim requiritur amplius, quam ut ouulum ex ouario in locum conceptioni destinatum deferatur, ibique iuste elaboretur. Ergo & sine mare tota haec conceptio & generatio locum habere potest.

§. 56. Verum quia DEVS nunquam fieri potest creatura, seu homo, & uice uersa (§. 10.); unio in mediatore generis humani non consistit in commixtione, aut confusione, aut conuersione; sed potius realis est unio (§. 56. Ont.).

§. 57. Attamen quia una natura solum considerata, opus redemtionis peragere, & absoluere, minime ualuit (§. 52.); qua ex ratione etiam uniri debent; unio haec realis (§. 54.) tam arcta sit, necesse est, ut una ab altera participare possit; ex quo communicatio naturarum fluit, de qua tamen

men hac occasione nihil dicemus, sed potius una cum reliquis, quae de generis humani redemtore ex philosophia dici queant, alia occasione pertractabimus.

PROLEGOMENA
DE THEOLOGIA REVELATA, EIVSQVE PRINCIPIO.
CAP. I.
DE SCRIPTVRA SACRA THEOLOGIAE REVELATAE PRINCIPIO.

§. 1.

DEVM non solum existere (§. 1-24. Th.N.); sed & plane singulari summaque potentia (§. 53. l. c.), benignitate & misericordia (§. 150. l. c.), sapientia (§. 39. l. c.), sanctitate (§. 50. l. c.), iustitiaque (§. 52. l. c.) praeditum esse, §. citt: abunde probant. Hinc hominum praecipue felicitatem non potuit non uelle tantum; sed & ad temporalem atque aeternam felicitatem s. beatitudinem (quae in coniunctione

one cum DEO consistit) eos creare debuit, & reuera etiam creauit (§. 39-43. P. P. V.). Quoniam uero homo per peccata quotidie commissa a DEO diuellitur; summae felicitatis atque beatitudinis hoc in statu particeps fieri nequit (§. 43. P. P. V.). Attamen quia DEVS nihil facit frustra (§. 41. Th. N.); frustra etiam hominibus instinctum ad felicitatem aeternam non indidit, sed potius eum in finem, ut homines impellantur ad mediorum adplicationem, quibus se felices reddere debeant, quod experientia etiam probat. Quoniam itaque haec mediorum (quae nescium) adplicatio, hominibus est impossibilis (§. 44-48. P. P. V. & §. 48. diss. prol.) DEVS uero non solum est misericors, qua ex ratione in infelicitate homines perire non sinit (§. 115. Ps.), (omnes enim in aeternum damnarentur §. 148. Th. N.) sed & omnia facere debet, ut gloriam suam manifestare possit (§. 36. 37. 132. Th. N.); DEVS ipse media haec patefacere debuit, adeoque etiam reuera patefecit Talis uero patefactio mediorum supernaturalium quibus, beatitudinem rursus recuperare possumus, dicitur *reuelatio;* E. dat. reuelatio diuina. E. etiam est possibilis (§. 16. Ont). §. 2.

a) Conf. diss. nostr. *de Axiomatis Philos.* in praef. *Obs. nostr. log.* p. 65. sqq.

§. 2. Quoniam itaque propriis uiribus homo beatus esse non potest & reuelitio necessaria est (§. 1.); *Naturalistas*, qui sine reuelatione propriis uiribus beatitudinem consequi intendunt errare, nemo non uidet; conf. diss. *Prol.* & infra §. 22.

§. 3. Quoniam uero hoc media supernaturalia cum aliis ueritatibus, scitu necessariis, connexionem habent, quibus sine alias intelligi non possent; (e. g. est lapsus hominum, & profunda eorundem corruptio &c.) ideo DEVS propter sapientiam, & hasce ueritates proponere debuit: alias media manca & mutila adhibuisset; quod est absurdum (§. 39. Th. N.). Hae uero doctrinae, dogmatibus, itemque factis nituntur; dogmata ergo factaque in uera reuelatione recenseri debent. Denique quum ex hoc expiationis modo, peculiaris fluit DEI cultus; ideo moralia pertractare debet reuelatio, & quidem peculiaria. Et quia exempla uirtutum & uitiorum, magis interdum homines excitant ad uirtutem; ideo etiam in reuelatione talia adparere possunt. Quamuis itaque plura in reuelatione contineantur, quae non *immediate* ad media illa supernaturalia pertinere uidentur; non tamen illa reuelationem suspectam reddunt, quin potius sapientiam,

qua

qua DEVS respexit ad captum omnium, indicat maxumam.

§. 4. Ergo quia reuelatio est a DEO (§. 1.), qui harmoniam obseruat omnium suarum perfectionum (§. 50. Th. N.), reuelatio 1.) nihil continere debet, quod diuinis perfectionibus repugnat; 2.) quia sibi contradicere nequit (§. 55. Th. N.); nullas continere potest reuelatio, contradictiones ueras; & quia in omni ueritate, aliquid est diuini (§. 42. Th. N.); ueritatibus rationalibus immo omnibus, adeoque etiam historicis, & uaticiniis in ea contentis 3.) contraria esse nequit uera reuelatio; & per consequens nil etiam docere potest, quod 4.) legibus naturalibus aut naturae mentis humanae repugnat. Porro quia DEVS nihil facit frustra (§. 41. Th. N.), reuelatio etiam 5.) nonnulla continere debet, quae ex ratione cognoscere non possumus, attamen ad finem consequendum praecise necessaria sunt. Hinc *mijsteria*, s. ueritates, quarum existentiam uel modum etiam possibilitatis ex ratione sola cognoscere non ualemus, reuelationem suspectam minime reddunt, quin potius diuinitatem, maximopere declarant. Denique quum uera reuelatio uerum expiationis modum, qui in satisfactione consi-

stit

ſtit, diſſ. prol. tot. declarare debet (§. 1.); talem 6.) nobis ſiſtere debet redemtorem, qualem ibi deſcripſimus. Et quia reuelatio ad omnes pertinet (§. 48. diſſ. prol.); debet eſſe 7.) antiquiſſima, non noua. Quaecunque itaque reuelatio, hosce habet characteres, illa eſt genuina; & in qua hi non deprehenduntur, eſt falſa.

§. 5. Quum uero in unaquaque religione, aliqua extollitur reuelatio; ideo uidendum, quaenam ſit uera. *Ethnica*, quae & *gentilis* aut *pagana* dicitur, eſt, quae Polytheiſmum praecipue defendit. Inter hos erant, qui multis fabulis & fictionibus horrendis impiisque Deorum doctrinam contaminarunt, uti uidere eſt in OVIDII *Metamorph'*. VIRGIL. &c. & dicitur *fabuloſa*. Alii uero paganorum, qui Diis indignas hasce doctrinas, cum ratiociniis ſuis, quibus dogmata ſua ex ueris partim principiis probarunt, conciliare non potuerunt, alium ſibi praeſcripſerunt DEI cultum, in quo tamen multa, quae DEO minime conueniunt, docuerunt; e. g. cum aliqui DEO prouidentiam abiudicarunt, alii DEVM ut auctorem mali & peccati adduxerunt, fatumque ſtatuerunt & quae ſunt alia, quae LAERTIVS in uitis Philoſophorum & SELDENVS de *Diis Syr.* adnotarunt. Re-

ligio horum dicitur *philosophica*; quibus addi potest *ciuilis*, quae a principibus introducebatur ad ciues compescendos, quibus a sacerdotibus & auguribus commendabatur; hinc cultus oriebatur solis, lunae, animalium &c. conf. citt. Auct. itemque Alexandr. ROSS *mundi uarius* DEI *cultus* in quo de hominum sacrificiis, & corporum lacerationibus, permulta recenset. uid. etiam uan DALEN, de oraculis.

§. 6. Quodsi nunc reuelationis uerae characteres (§. 4.) recens. ad gentilem reuelationem adplicemus; facile patebit, quod nullus horum adplicari possit, in fabulosa praecipue, quae contradictoria & impia docet, qualia de DEO cogitari nequeunt. Sed & philosophica, errores partim de DEO docet (§. 102. 118. Th. N.), partim contradictoria, & quae legibus repugnant naturalibus, inculcat (§. 56. I. N.), Immo cessant characteres praecipui 5. & 6. (§. 4.) adducti, uti ex collatione (§. praec.) elucet; ergo & haec est falsa. Idem etiam de ciuili ualet. Nam est contra (§. 16-65. I. N.) omneque ius seu leges naturae peruertit (§. 6. I. N.) praeterea etiam reliqui (§. 4.) demonstrati characteres, adplicari minime possunt. coll. §. praec.

§. 7. Neque etiam in *Alcorano Muhammeda-*

medanorum reuelatione characteres (§. 4.) propositos deprehendimus quamuis V. &. N. foedus, etiamsi peruerso significatu, adsumant. Diuinis enim perfectionibus repugnat, quod de uita aeterna (scilicet eam in fruitione uoluptatum carnalium consistere) docet; (§. 147. Th. N.) fatum, quod statuit, contradicit prouidentiae diuinae (§. 102.) & quod religio armis sit propaganda & defendenda (§. 202. Log.) Praeterea etiam nulla inueniuntur in eo mysteria, & uaticinia uera neque satisfactio iusta, praeterea est noua uid. ROSS (§. 5.) cit. nec non HORNBECK in *summa controuers.* & LVDOVIC. MARACCII Alcoranum cum Prodromo & refutatione. Ergo & haec reuelatio non est genuina sed falsa (§. 4.). Ipse etiam Muhamed contradictoria concessit & falsa.

§. 8. *Iudeorum reuelatio* quae V. T. s. scripta diuina ante CHRISTI natiuitatem continet, & religio, (quae tamen a Iudaismo s. sectis Iudaeorum est diuersa, quales olim erant Pharisaeismus, Sadducaeismus Essaismus, hodie uero Rabbinit. & Carraei maxime florent) I.) nihil continet, quod characteribus hisce repugnat. Nam non est contra perfectiones diuinas, quin potius eas maxime extollat. Describit enim illa DEVM, uti ratio, tanquam primam omnium rerum

cauſſam; Gen. I. Pſ. XXXIII. (§. 1-13. Th. N.) ut omniſcium (§. 27. Th. N.) Eſ. XLI, 22. 23. XLII, 9. aeternum (§. 10. Th. N.), Pſ. XC, 1. liberum & actiuum, (§. 47. l. c.) Ieſ. XLIV, XLV, XLVI, 10. omnipraeſentem, (§. 60. l. c.) Ier. XXXIII, 24. Pſ. CXXXIX, 7. ſeqq. immutabilem (§. 10. l. c.) Mal. III, 6. unum & ſimplicem (§. 11. 152. l. c.) Deut. VI, 4. Ex. III, 14. aliaque adducit attributa, quae ex hisce fluunt. Probauimus porro ſolide per totum Ius Naturae, quod DEO diſpliceat uita impia, adeoque etiam inhoneſta, iniuſta, imprudens; talis uero etiam V. T. improbatur aliaque commendatur Pſ. V, 5. Eſ. I, tot. Lapſum uero hominis ſtatumque integritatis & imaginis diuinae (diſſ. prol. §. 1-10.) clariori luce illuſtrat V. T. Gen. III. Pſ. LI, 7. & in Prophetis, quam ratio (§. 119. Th. N.).

2) nullas continet contradictiones ueras, prouti uarii eruditi monſtrarunt, & ad dubia, quae in medium proferuntur, reſponderunt, quos paſſim & in Ven. Dn. Caneell. PFAFFII hiſt. Theol. lit. & B. BVDDEI Iſagog. cit. uide. Adparentes quidem contradictiones, quae nullae ſunt, admittimus. Eſt enim *contradictio adparens*, eiusdem, ſed non de eodem, affirmatio & negatio. Quum uero *contradictio uera*, eiusdem *de eodem* ſit affirmatio & negatio; ad-

pa-

parentem contradictionem nullam adesse facile constat. Haec ergo tanquam uera non est imputanda auctori alicuius scripti, utpote a quo non prouenit; sed lectori, qui sepositа attentione, de re aliqua iudicat ante, qam rem probe perspexit, adeoque contra regulas Logicas impingit (§. III, Log.).

3.) Nihil etiam continet, quod legibus repugnat naturalibus. Nam uti totum Ius Naturae uitam impiam & inhonestam damnat; ita & scriptura V. T. Ps. V, 5. Es. I. tot. aliisque in locis plurimis. Ex quo etiam consequitur, nihil inesse V. T. quod naturae mentis humanae sit inimicum. Ecstasis Prophetarum enim (unicum hoc obiici posset) sunt in mente possibiles (§. 44. Psych.).

4.) Veritatibus naturalibus itemque historicis, & uaticiniis contraria non est quoque ut potius scriptores profani testimoniis suis facta in Sc. S. adducta probent. conf. cl. KOECHERI diss. Ienens. de hac mater. O. etiam, quae de fide (§. 180. seqq. log.) dicuntur, ipsis Scriptis sacris attribui possunt. Adducuntur quidem a) miracula, quae a naturali cursu recedunt. Verum distinguimus, inter *ueritates necessarias*, & *contingentes*. Contingentes enim, quia

aliter esse possunt, conditionemque supponunt, aliter etiam per omnipotentiam diuinam fieri possunt. Adeoque licet V. T. res aliter factas fuisse indicat, quam ordinario cursu fieri alias solent; non tamen contradicit b) Mathematica & in specie astronomica, hisce per rationem cognoscibilibus, non contradicunt. uid. STVRMIVS, & illustris WOLFIVS in Elem. Math. aliique.

5.) Ita etiam uaria continet, quae ex ratione scire & cognoscere non possumus, & tamen ad finem consequendum necessaria sunt. Pertinent non solum huc uaticinia, quae in Mose aliisque libris leguntur; sed & totus cultus Leuiticus, qui in typis repraesentabat, quae ex ratione cognoscere minime possumus. conf. IOH. LAVR. IANI Catechißmus der Christen, nach Levitischen Ceremonien, & quae sunt alia, de quibus infra pluribus.

Denique 6) Scriptura V. T. uerum expiationis modum indicat. Producitur enim redemtor non solum, ut uerus homo, supernaturaliter natus, Es. VII, 14. 15. qui pro nobis, DEO satisfactionem praestitit, Es. LIII, 2-7. sed & ut DEVS. Ps. XLV, 7. II, 7. CX, 1. coll. diss. prol. (§. 49- 55.) & antiquissima est.

§. 9. Possemus quidem plura, quae §. praec.

praec. dicta illustrant, adducere. Verum quum haec pro scopo tanquam in compendio sufficiunt, nihil addimus, sed ita potius argumentamur. Quaecunque reuelatio characteres (§. 4.) propositos habet; illa est genuina (§. 4.); Atqui Reuelatio Iudaica illos habet (§. 8.); Ergo Reuelatio Iudaica quae V. T. dicitur, est genuina.

§. 10. Superest alia adhuc, quam Christiani praecipue exosculantur, reuelatio, N. T. nomine notissima, comprehendens scripta diuina post natiuitatem Christi confignata. In hac, si characteres (§. 4.) adplicemus, eosdem in ea deprehendemus. Nam 1.) nihil continet, quod diuinis perfectionibus repugnat. Omnia enim attributa, quae §. 8. DEO adscripsimus, Ei tribuit. E. g. quod sit caussa prima omium rerum; Ebr. 10. Rom. XI,36. aeternus Apoc. I,48. XI,17. liber, actiuus & prouidus Act. IV,28. II,23. omniscius Ioh. XXI,17. omnipotens Luc. I,37. benignus & misericors Iac. I, 17. Ioh. III, 16. iustus Rom. II, 5. 6. 7. uerus Ebr. VI, 18. sapiens Rom. XI, 33. immutabilis Iac. I, 17. unus & simplex 1. Cor. VIII, 4. 6. 1. Tim. II, 5. coll. attributis (§. 1.). Ita etiam uitam inhonestam, iniustam ac impiam damnat, aliamque commendat, uti Ius N. & Ethica Rom. XIII, 13. 14. XII, tot. Tit.

II, 12. Eph. II, tot. Gal. V, & VI. Matth. X, 16.

2.) Nullas continet contradictiones ueras. Repetantur, quae adnotauimus (§. 8. num. 2.),

3.) Veritatibus naturalibus & uaticiniis non est contraria. Miracula enim magis diuinitatem indicant, & tamen ex parte concipi possunt, ut possibilia, qua propter falsitatis argui non potest uid. (§. 8. num. 4.).

4.). nihil etiam continet, quod legibus naturalibus repugnat. conf. dicta num. 1. & §. 8. num. 3. neque aliquid adduci potest, quod naturae humanae mentis aduersum esset.

5.) multa continet, quae ex ratione cognoscere non ualemus, quale est mysterium Trinitatis; 1. Ioh. V, 7. Matth. III, 16. 17. XXVIII, 19. de Christo Redemtore eiusque passione & resurrectione, Sacra Coena & Baptismo. &c. Matth. XXVI, sqq.

6.) Inprimis genuinum expiationis modum indicat. Gal. IV, 4. 5. III, 13. Rom. VIII, 3. sqq. Euang. Matth. tot. 1. Tim. II, 5. 6.

§. 11. Et quoad N. T. plura recensere possem, quae characteres pr. §. probant. Verum lecturus ueritatem eorum certe cognoscet. Quapropter potius ita rursus argumentamur: Q. reuelatio characteres (§. 4.) habet; illa est uera reuelatio (§. 4.); Atqui N. T. omnes illos characters habet E. N. T. est uera reuleatio.

§. 12.

§. 12. Immo quia illos, quos (§. 3.) demonstrauimus characteres, cum in V. tum in N. T. deprehendimus (§. 9. 11.); nihil hisce reuelationibus, ut ueris & genuinis deest. Complexum uero librorum, qui V. & N. T. constituunt, dicimus *scripturam sacram*. Quia itaque uera reuelatio est a DEO (§. 1.); Scripturam S. a DEO esse, nemo dubitabit.

§. 13. Quicquid uero DEVS dicit, illud est certo & infallibiliter uerum (§. 55. Th. N.); E. Q. in Sc. S. reuelatum, est certo & infallibiliter uerum (§. 12.).

§. 14. Q. porro DEVS praecipit, est faciendum (§. 6. Ph. Pr. Vn.). E. Q. in Sc. S. praeceptum est, est faciendum (§. 12.).

§. 15. Verum dicis: E. Iudaeorum reuelatio, cum Christiana in faciendis est coniungenda (§. 12. & 14.)? Respondemus quod non. Nam quia DEVS, certum ratione temporis praescripsit salutis ordinem hominibus, eo tempore uiuentibus, obseruandum, quem *Oeconomiam* DEI uocamus; Christiani eam tantum Oeconomiam obseruant, quae ipsis est praescripta. Adeoque Iudaica, Christianos non amplius obligat. Verum quia non solum Iudaica, ex Christiana illustratur, sed & uaria continet, quae cum Christiana conspirant

& connexa sunt (§. 8); e.g. sunt doctrinae de DEO, & actionibus moralibus, adeoque sunt uniuersales; ideo quoad hasce omnino admittimus, ut sapientiam DEI aliaque dogmata inde probare queamus. Ita loquitur ipse Christus Luc. XVI, 16. 29. Ioh. XX, 31.

§. 16. Ergo quia DEVS reuelationem dedit, ut ex ea beatitudinem & salutem nostram, (quae Synonyma nobis erunt) quaerere debemus (§. 1.); quaerenda est nostra salus ex Scriptura S. & non extra eam (§. 12.). Et quidem ex V. & N. T. (§. 12.) Luc. XVI, 16. 19. Ioh. XX, 31. Dan. XI, 24.

§. 17. Ergo salus nostra non est quaerenda in apparitionibus & inspirationibus Fanaticorum. Christus enim sine dubio uiam hanc monstrasset, quod tamen minime fecit (§. pr.), de quibus plura §. 24. dicemus.

§. 18. Scriptura uiam nobis monstrat ad beatitudinem, quam ex sola ratione cognoscere haud potuissemus (§. 1. 12. 15.). Ergo DEVS omnia ad salutem necessaria inspirare debuit. Est enim *inspiratio*, excitatio immediata illarum idearum in scriptoribus sacris, quae ad salutem consequendam necessariae erant cognoscendae. Quoniam uero alia etiam, quae immediate necessaria (loquimur hic de necessitate

mora-

morali) minime uidentur, Sc.S. continere debet (§. 3.), nullas autem falsitates (§. 4.); & in his, quibus DEVS ut mediis utitur, rebus, nullae esse possunt falsitates. Alias non essent media conuenientia (§. 39. Th. N.). DEVS ergo inspirauit per *suggestionem*, quae minime cognoscere potuissent homines (§. 1.); cognita uero per *directionem*, ne falsa proponerentur, & quae fini suo conuenirent, per *impulsum*. Quoniam itaque falsa idearum uerarum expressio per uerba, falsas excitare potest ideas & cogitationes (§. 80. Log.); ideo nulla falsa in Sc. S. adparere possunt uerba, circa quae tamen, si proprio marte posuissent scriptores, tanquam minus eruditi, labi facile potuissent, quo ipso finem suum minime consequutus fuisset sapientissimus DEVS. Ergo eum & uerba inspirasse, omnino concludere debemus. Id quod etiam de uocalibus & accentibus ualet; conf. Ven. D. MICHAELIS *praef. ad bibl. hebr.* C. II, §. 6. 7. & *Introduction. nostr.* ad accentuat. *in praefat.* CARPZOV. *Crit. Sacr.* BVXTORF *de punctorum uoc. & occ. orig. it.* *Anticritic. ipsius* & WASMVTHI *uindic Ebr. uerit.*

§. 19. Attamen quia DEVS uia breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th. N.);

&

& miracula non edit, si uiribus naturalibus quid deduci potest (§. 122.); ideo cuiusuis scriptoris cogitationes, quantum pro scopo fieri potuit, retinuit, & non mutauit. Hinc diuersitas styli, affectum, & adlegatio locorum Scripturae. Hinc expressiones in rebus physicis, Astron. & Opticis secundum communem loquendi modum; Hinc probabilis de quibusdam rebus sententia. 1. Cor. XVI, 5. 7. 2. Cor. I, 15. uid. 2. Tim. III, 16. ubi particula καὶ indicat, praedicatum Θεοπνευστος pertinere ad subiectum seu *totam* scripturam, quam TIM. a iuuentute didicit, quae autem, uti antecedentia loquuntur V. T. erat. Hoc est fatum tamen etiam de N. T. ualet, ob Eph. II, 20. it. 2. Petr. II, 21. 1. Cor. II, 13. Immo consensus in ueritate, Θεοπνευστιαν abunde probat (§. 18.).

§. 20. Ad dubium 1.) uulgares esse in Sc. ueritates & ex ratione cognoscibiles; respondemus, negando (§. 8. 10.); immo uulgares ueritates in connexione, ubi uetitas summa elucet, inspirationem potius indicat, dum nouae, & illae antiquis temporibus notae cum Sc. connecti possunt. 2.) inutilia continentur in Sc. R. S. p. negando; inutile enim est relatio. 3.) 1. Cor. VII, 12. R. S. p. non exclusa Theopneustia uers. 40. conf. dicta §. 19.

§. 21.

§. 21. Quamuis uero ex Script. S. & non ex apparitionibus uoluntatem DEI de noſtra ſalute hodie diſcere nos debere docuimus (§. 16. 17.); non tamen ideo reuelationes, 1.) per *angelicas adparitiones olim* factas, ut diuinas reiicimus, ſed potius, quam maxime ueneramur. Luc. I, 11-26. ſeqq. Multo minus alios reuelationis diuinae modos negamus. Nam non ſolum 2.) ſenſuali alloquio & uerbis articulatis, hoc DEVS ipſe fecit, Gen. III, 3. 15. Ex. III, 4. Num. XII, 6. ſed & 3.) per *imaginationem*, qualem *dormientes* Gen. XV, 12. ſqq. XL, 8. XLI, 25. *uigilantesque* habuerunt Iſ. VI, 1. ſqq. Ezech. I, 4. Act. X, 10. nec non 4.) per *immediatam inſpirationem* qualis *ſcriptoribus ſacris*, tanquam amanuenſibus, neceſſario 2. Tim. III, 16. 2. Pet. I, 21. *Prophetis* Num. XII, 5. & *Apoſtolis* ex ſingulari DEI beneplacito contigit. Matth. X, 19. 20. Fiebat etiam reuelatio interdum 5.) per ſortes diuinatorias Ioſu. VII, 14. Act. I, 26. quo aliqui etiam referunt 6.) *Vrim* & *Thummim*. Verum ultimus hicce Modus, nondum ad liquidum eſt perductus, quomodo DEVS h. m reſponſionem dederit; plurimi autem ad internam reuelationem confugiunt, quae ſummo facta ſit Pontifici aut Prophetae, ſi pectorale illud induceret

eret. conf. Ven. LANGII בצלאל h. e. mysterium Christi ac Christianismi in fasc. typ. ant. Iud. V. T. p. 230. seqq. Denique etiam 7.) per ipsam DEI manum & scriptionem Ex. XXXI, 18. Deut. IX, 10.

§. 22. Quoniam itaque Sc. S. ad sanctissima nos ducit, sacrasque res proponit, & a sanctissimo DEO profecta (§. 1. 8. 12.); ideo recte *sacra* dici poterit *scriptura*; quam denominationem ipsa etiam de se ipsa tradit. Rom. I, 2. 2. Tim. III, 15. Nonnunquam etiam γραφη Ioh. II, 22. & γραφαι uocatur Rom. I, 2. Matth. XXI, 42. quia libri, ex quibus tanquam partibus Scriptura constat, modo *collectiue*, pro uno sumuntur; modo *distributiue* tanquam libri aggregati considerantur.

§. 23. E. quia Sc. S. γραφαι uacatur (§. pr.), nulla uero Scriptura sine uerbis esse potest; Scriptura S. recte *uerbum* DEI dici poterit (§. 12.); id quod etiam ex idea uocabuli patet (§. 80. Log.); atque locis Sc. quam plurimis, ubi expressis uerbis, *uerbum* & *loquela*, (quae sine uerbis esse nequit) Ebr. I, 1. Rom. III, 2. immo & ρημα quod enunciando profertur, Ebr. I, 3. 1. Pet. I, 23. 25. dicitur, ubi CHRISTVS ab hoc uerbo distinguitur, quod etiam Luc. VIII, 11. legitur, & Ioh. XVII, 20. Ne dicam

de

de aliis locis, e. g. Ebr. V, 12. ubi prima elementa recenſentur, in quae CHRISTVS partibilis non eſt, aut de incrementis, & abundantia, quod ad CHRISTVM rurſus adplicari nequit. Act. VI, 7. Col. III, 16. conf. Tit. I, 3. I. Pet. IV, 11. I. Theſſ. II, 13. Pſ. CXIX, tot.

§. 24. Fallunt ergo *Fanatici*, ſi Sc. S. uerbum DEI *proprie ſic dictum*, adeoque etiam *uiua uoce praedicatum* Rom. X, 14. 18. uerbum DEI dici poſſe negant. uid. CASP. SCHWENKFELD in libello vom Evangelio Chriſti und Mißbrauch des Ev. Fol. 5. & Cap. 19. in Theol. Germ. p. 12. 13. quo etiam pertinent SEBAST. FRANCK, WERNER, WEIGELIVS, POIRET, aliique. Probant quidem ſententiam ſuam, quod CHRISTVS ſc. uerbum DEI ſit (id quod tamen minime negamus) non uero litterae & uocabula Sc. S. de qua impie loquuntur, 1.) ex eo, quia effectus uerbi DEI, *creatio* ſc. *uictoria mundi*, *ductus ad uitam*, *illuminatio*, *purificatio cordis* Ioh. I, 3. ſqq. Ebr. IV, 13. non tribuantur Sc. S. ſed CHRISTO. Verum diſtinguimus inter uerbum DEI υποστατικον & προφορικον; non de hoc in hisce locis, ſed illo, ſermo eſt; uerum ita committitur ignoratio elenchi. Immo uerbo Scripto iidem adſcribuntur effectus (§. pr.) Rom. I. 16. 2.)

2.) obiiciunt, uerbum DEI prius esse quam Script. S. Ioh. I, 1. uid. eandem confusionem, adeoque & responsionem num. praec. adnotatam; nihil itaque aliud sequitur, quam quod CHRISTVS non uerbum sit scriptum, quod concedimus; non autem sequitur uerbum DEI scriptum non esse uerbum DEI.

3.) obi: Verbum DEI est insitum; Iac. I. 21. sed Sc. S. non est insita; E. non est uerbum DEI. Rs.p. insitum ἔμφυτον hic idem est, quod insititium s. implantabile, adeoque potentiam implantandi indicat. E. totum corruit argumentum; praecipue si considéremus, quod sermo sit de regenitis quorum animis iam uerbum extrinsecus praedicatum insitum erat, nouarumque uirium diuinarum incrementis locupletandum fuerat. I. Pet. II, 2. Deinde *insitum in mente* nil aliud est, nisi quod in animis existit illatum. Quum uero uerbum ex auditu ueniat; Rom. X, 17. Luc. VIII, 15. Sc. S. sensus ex auditu illatus & conceptus est; adeoque est uerbum DEI; alias nec CHRISTVS, (quia fide tantum in cor insitus recipitur) uerbum DEI esset. Eph. III, 17. Ap. III, 20.

4.) obi: Verbum DEI est unum. Apoc. XIX, 13. sed Sc. S. non est unum E. non est uerbum DEI. Rs. p. a) ineſt huic argumento uiti-

uitium quatuor terminorum, & ignoratio elenchi; maior enim propositio de CHRISTO loquitur. Deinde etiam omnino unum uerbum DEI est Sc. S. (§. 19.).

5.) obi: Verbum est res transiens Sc. S. non est res transiens; E. non est uerbum DEI. Eadem uero respons. ualet, uti num. pr. Nam in Maiori sermo est de loquela. Aut per instantiam cadit dubium, si dicimus: mandata principis manent mandata, etiamsi ad promulgationem & conseruationem litteris tradita, eadem exhibentur. Neque differentia modi, (scriptio scilicet uel pronunciatio) rem ipsam mutat. Sonus quidem transiit, sed non sensus.

6.) obi: Testimonium de uerbo DEI, non est ipsum uerbum DEI. Atqui Script. S. E. Ioh. V, 39. Rsp. Laborat argumentum rursus quatuor terminis. Nam in Maiori sub praedicato uerbum substantiale intelligitur; eaque propter ignoratio etiam adest elenchi. Immo per instantiam cadit. Nam testimonium CICERONIS, ipsum uerbum eius esse potest. Quodsi uero rite sese habeat. Tunc distinctione, inter substantiale & enunciatum uerbum, adhibita, concedi potest totum. Deinde etiam CHRISTVS ipse de se testatur Ioh. XII, 18. X, 38. E. ipse non esset uerbum Dei? id quod est absurdum.

7.) obi: Si nullus Propheta uaticinaturus Scripturam adiit, sed uerbum DEI sibi diuinitus suggerendum aliunde exspectauit; sequitur: Scripturam S. non esse uerbum DEI. Sed uerum est prius; E. & posterius. Verum negamus consequentiam. Nam olim uariis modis DEVS sua reuelauit (§. 21.). Deinde etiam ab extraordinariis ad ordinaria non ualet consequentia. Distinguenda ergo sunt tempora Canonis *complendi* & *completi*. Immo negamus etiam antecedens. 1. Pet. I, 10. & Ps. CXIX, tot. Orta ergo tota haec controuersia, ex contemtu Scripturae S.

§. 25. Verum non in ecclesia solum homines reperiuntur, qui Sc. S. diuinitatem impugnant, sed & extra ecclesiam, quales *Anti-Scripturarios* uocamus. Pertinent huc non tantum Pagani, Turcae, & certo modo Iudaei; sed & inprimis Athei & Naturalistae. Hi omnes, demonstratis antea DEI existentia & attributis, facile ex hactenus dictis confundi possunt. Imprimis uero uirtus & uis flectendi animos, in Sc. latens, si hanc attente legant, eos conuincet. Et quia duae propositiones contradictorie oppositae simul uerae esse nequeunt (§. 64. Log.); refutari etiam possunt, si thesin quam defendunt, *demonstrare*

ſtrare, quod tamen ipſis impoſſibile erit, tenentur. Ad theſin eorum probandam 1.) obiiciunt: Q. DEO indignum, illud eſt impoſſibile; & non neceſſarium. Atq. Sc. S. reuelatio; E. Alias DEVS ſapienter minime creaſſet mundum. Rſp. Diſtingue tempora. Quamdiu homo imagine DEI ornatus uiueret, non opus fuiſſet noua reuelatione; ſed naturalis cognitio ſufficiens fuiſſet (§. 8. ſqq. diſſ. Prol.). Poſt lapſum uero minime (it. diſſ.) E. minime accuſandus eſt ſapientiae defectus. Deinde etiam negamus Minorem; quia homo ut creatura finita creari debuit (§. 116. Th. N.), quo in ſtatu etiam plura de DEO ſucceſſiue addiſcere potuiſſet.

2.) obi: Scripta reuelatio, propter defectum linguae uniuerſalis, non eſt genuina. Rſp. Verum adſunt uerſiones, & hic modus, aliis, quia ſemper miracula admittenda eſſent, longe propter ſapientiam DEI praefertur, praeſertim ob finem (§. 1.); durare enim ita poteſt ſine corruptione, quae per oralem traditionem facile oriri potuiſſet. Hinc probabilis etiam eſt reuelatio diuina.

§. 26. In Sc. S. quae uera media ſalutis continet (§. 12.), noſtra ſalus eſt quaerenda (§. 16.). Quum uero *canon* dicatur nor-

ma quae durabilem certamque sententiam continet, secundum quam rectitudo alicuius rei est diiudicanda. Sc. S. recte dici posse Canonem, nemo negabit (§. 13.). Gal. VI, 16.

§. 27. Libros uero quoad V. T. DEVS iudaico populo (summo studio hodieque illos custodienti) in custodiam tradidit Rom. III, 2. Et quidem in V. T. usus est ob sapientiam *Ebr. idiomate*, ut id intelligerent Iudaei, quibus concedebatur, paucis quibusdam ob eundem finem *Chaldaicis* (Gen. XXXI, 47. Ier. X, 11. Esr. IV, 8. sqq. usque ad Cap. VI, 18. Cap. VII, 12-22. Dan. II. 4. sqq. usque ad finem Cap. VII,). In N. T. uero linguam adhibuit graecam, ut pote hoc tempore uniuersalem cuius libros, instituto de Θεοπνευστια examine, ecclesiae primaeuae, ut uere inspiratos ab auctoribus receperunt. Conf. PFAFFIVS uen. in not. exeg. in Euan. Matthæi, nec non uen. D. D. MICHAELIS in introductione hist. theol. in epist. Iacobi. uid. etiam historiae eccles. scriptores. Hinc ecclesia primaeua de Canonum numero testari potest.

§. 28. Verum non solum ex hac ratione, ecclesiae testimonium de libris a DEO inspiratis ualidum est, quia ab auctoribus ipsis acceperunt (§. 27.); (quod deinceps

per

per traditionem est propagatum) sed & ob internum, quo conuicta erat, testimonium Spiritus S. Nam tantam habet Sc. S. *uim flexanimam*, ut non solum intellectus intuitiuam accipiat ueritatum cognitionem, & de iis *conuincatur*, (si attente animoque non malitiose repugnante legatur) sed & tantis motiuis uoluntatem flectat, hominemque ad tantas operationes, mutationesque *subito* & instanti, sine *distincta rationum repraesentatione* perducat, ut cum laetitiæ assumat. e. g. Act. II, 37. 41. VIII, 37. sqq. XVI, 14. Ita nunc & olim plura prostant huius rei exempla; utinam in omnibus adesset hoc Spiritus S. internum testimonium. Ioh. VII, 17. 1. Ioh. V, 6. sqq.

§. 29. Quia uero DEVS homines libertate minime priuat (§. 121. Th. N.); repugnantiam omnino etiam hac in re permittit. e. g. Act. XXIV, 25.

§. 30. Male ergo Sociniani, aliique ob distinctum modum, quo carent, hocce negant (§. 28. 29.).

§. 31. Quum itaque fides nostra circa Sc. S. nitatur testimonio Sp. S. (§. 28.) DEVS uero nihil faciat frustra (§. 41. Th. N.). non est nec esse potest & debet ex sola humana sapientia. 1. Cor. II, 5. Male ergo Pontificii ex solo ecclesiae testimonio deduce-

re hancce adlaborant. Dictum enim 1. Tim. III, 15. ob rationes criticas explicandum est aliter. uid. obs. nost. Log. p. 84. §. 9. Male ergo etiam Remonstrantes ad fidem *genuinam*, de Sc. S. diuina auctoritate gignendam necessario Sp. S. internum aliquod testimonium requiri negant, cum tamen praxis CHRISTI & Apostolorum id etiam probet. Luc. IV, 32. XXIV, 32. 1. Thess. II, 13. uid. EPISCOPIVS in inst. theol. L. IV, Cap. V, n. 2. T. I. opp. fol. 235. LIMBORCHIVS Th Christ. L. I. c. IV, §. 17. f. 15. &c. Probant quidem suam thesin 1.) ex Ioh. XIV, 17. Act. V, 32. Verum haec de S. S. charismatibus in pentecost. effusis loquuntur. 2.) ex Gal. III, 2. IV, 6. Haec uero sermocinantur de gratia cooperante perficiente, fiducia & ardore in precibus 3.) ex circulo, qui committitur, dum uice uersa Sp. S. auctoritas ex Sc. S. probetur. Verum negamus circulum, nam §. 28. *per experientiam* hocce testimonium stabiliuimus, & deinceps demum Sc. S. idem docere affirmamus 4.). Enthusiasmum esse perhibent, quod a Sc. S. distinctum sit hoc testimonium. Verum Enthusiasmus esset, si extra uerbum scriptum diuinam reuelationem affectaremus (per def.); hoc autem negamus, & operationem Sp. S. per ipsam

scil.

scil. lectionem & meditationem sese exserere docemus. Distinctum ergo hic non est idem ac *separatum*, sed *diuersum*, sc. a Sc. S.

§. 32. Atttamen, quia DEVS, per rationem criteria uerae reuelationis cognoscenda praebuit (§. 1-12.); ideo haec non sunt negligenda, sed potius Sp. S. testimonio interno coniungenda.

§. 33. *Ecclesia* ergo s. coetus fidelium duplici modo de libris canonicis testimonium perhibere potest (§. 28.). Ergo etiam de stylo s. sermone, quo libri Canonici scripti erant, testari potest.

§. 34. Quum itaque Sc. S. sit canonica (§. 26.); & hunc in finem a DEO inspirata (§. 12-16.); liber canonicus 1.) a DEO inspiratus esse debet. Quoniam uero DEVS peculiarem adhibuit linguam (§. 27.); canonicus liber 2.) tali consignatus sit stylo, qualem §. 27. indicauimus. Porro quia uera reuelatio media salutis continere debet (§. 1.); & haec 3.) in libro canonico reperiri debent. Denique quia primaeua ecclesia, peculiari modo Θεοπνευστιαν cognoscere potuit (§. 27. 28. 33.); ideo 4.) liber canon. testimonio etiam ecclesiae primaeuae probari debet. Qui itaque liber hosce habet characteres, ille est canonicus; in casu oppositio minime.

§. 35. Hi autem §. 34. propositi cha-

racteres ad sequentes adplicari possunt V. T. libros, qui sunt: *Genesis*, *Exodus*, *Leuiticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Iosua*, *Liber Iudicum*, *II. Samuelis*, *II. Regum*, *Iesaias*, *Ieremias*, *Ezechiel*, *Hoseas*, *Ioel*, *Amos*, *Obadia*, *Iona*, *Micha*, *Nahum*, *Habacuc*, *Zephanias*, *Haggai*, *Zacharias*, *Malachias*, *Psalmi*, *Prouerbia*, *Iob*, *Canticum Canticorum*, *Ruth*, *Threni*, *Ecclesiastes*, *Esther*, *Daniel*, *Esra*, *Nehemia*, *II. Chronicorum*, conf. HVETIVS in demonstrat: & CARPZOV. in introd. ad lib' hist. bibl. V. T.

§. 36. *Liber Iudith*, *Sapientiae*, *Tobiae*, *Ecclesiasticus*, *Baruch*, *libri Maccab.* *Supplementum Esther*, *Historia Susannae*, *Bel Babelis*, *Draco Babelis*, *Preces Asariae*, *Preces trium uirorum in fornace & Manasses* testimonio ecclesiae 1.) ut Canonici & Θεοπνευστοι haud sunt receptí; a) & in multis quoque 2.) falsa & repugnantia canonicis libris, attributis legibusque diuinis docent. b) nec 3.) sermone §. 27. adducto scripti; c) ergo non sunt Canonici (§. 34.).

a) Conf. BVDDEI hist. eccles. V. T. b.) In libro *Iudith IX*, 2. factum Simeonis Gen. XXXIV, 25. tanquam laudabile approbatur, quod tamen ipse IACOBVS moribundus probri insimulauit Gen. XLIX, 5. praeterea falsum est, quod de stupro narratur. In libro *Sapientiae* Cap.

Cap. III, 18. contradicit 2. Sam. XII, 23. Ezech. XVIII, 20. Cap. XVI, 20. uero Num. XI, 8. In libro *Tobiae* Cap. V, 19. & VI, 8. habetur mendacium Angeli. In *Eccleſiaſt.* falſa ſunt XXIV, 14. XLVIII, 11. In libro *Baruch*, C. I. 11. contradicit 2. Reg. XXV, 27. In libro 2. Maccab. XIV, 41-45. commendatur Rhaziae αυτοχειρια. Deinde etiam ſcriptores hic metuerunt ſibi ab erratis, ueniam hinc poſtulantes 2. Macc. XV, 39. c.) Prodierunt enim lingua graeca. uid FABRICII Bibl. Gr. conf. BVDDEI Inſtit.

§. 37. Ad libros N. T. ſequentes, characteres §. 34. adplicari poſſunt: ſc. 1.) ad *hiſtoricos*, qui uitam & res geſtas Chriſti & Apoſtolorum deſcribunt, quales ſunt IV. *Euangeliſtae*, & *Acta Apoſtolorum*; 2.) ad *dogmaticos*, qui praecipue dogmata Chriſtianiſmi continent, quales ſunt Epiſtolae PAVLI XIV; PETRI II. IOHANNIS III. IACOBI, IVDAE; & 3.) ad *Prophetic*um, qui de ſtatu N. T. poſt tempora Apoſtolorum uaticinatur, qui eſt liber αποκαλυψεως.

§. 38. Extant uero & alii, e. g. interpretatio Script. qua diſcipulis binis Emauntem proficiſcentibus Scripturam explicauit; itemque libri & Epiſtolae quam plurimae, quae omnia inuenies in FABRICII codice Apocryph. N. T. uid. etiam

PFAFFIVS in not. exeg. in Eu. Matth. lect. I, Verum quia haec scripta characteres §. 34. non admittunt; non sunt Canonici.

§. 39. Quo uero tempore hi libri ad Canonem Sc. sint collecti non male quaeritur, quia uaria hinc respectu quorundam, e. g. 2. Petr. 2. & 3. Iohan. Iud. ad Ebr. & Apocalyps. formantur dubia. Quod ad V. attinet foedus, eos ecclesiam successiue & praecipue ESRAM cum HAGGAIA aliisque collegisse, (quod alii ob 2. Mac. II, 13. NEHEMIAE tribuunt) putant plerique. Verum ob testium fide dignorum defectum res incerta manet quod etiam de N. T. libris ualet. Attamen quia CHRISTVS Eiusque Apostoli uariis in locis ad Canonem prouocant; omnes, qui in eo comprehendebantur, (quia ecclesia iudaica semper pro canonicis habuit) libri canonici fuerunt; alias doctores N. T. sine dubio adnotassent falsos. N. uero T. §. 37. citt. in Canonem receptos, testantur Patres ecclesiae, e. g. EVSEBIVS, H. E. lib. III, V, VI, aliique conf. Scriptores §. 27. adduct. Quamuis enim haud pauci de quibusdam dubitarint; non tamen rationes eorum alicuius sunt momenti, uid. *obs. nostr. Log.* p. 91. §. 25. quia partim non sunt testes coaeui; partim uero male scripta illa intellexerunt.

§. 40.

§. 40. Sunt tamen & alia, quae contra characteres librorum Canonicorum N. T. in medium proferuntur, dubia sc. 1.) perhibent; Euang. Matthaei, Epistolamque ad Ebr. ebraico, Marci uero latino idiomate esse scripta; uerum uid. *processs. nostr. disputandi* §. 80. Deinde 2.) ob barbarismos, & solocciſmos, uerba eorumque positum inspirata negant; uerum quum in linguis ex usu & imposito significatu uocabuli essentia & rectitudo, sit diiudicanda; (§. 91. 92. Log.) usus Apostolorum temporibus fere uniuersalis uitia dicta excludit. Quodsi enim omnes iisdem utantur constructionibus syntacticis, quamuis a recepta hucusque constructione recedant; (quae *solaecismum* constituunt, uti error quoad pronunciationem aut scriptionem admissus, *barbarismus* dicitur) soloeciſmus non est, nec barbarismus, si omnes ita scribunt & loquuntur. Idem etiam ualet de Hebraismis, Chaldaismis &c. uid. IO. OLEARIVM, qui haec euoluit. Quod uero noua, quae in Sc. S. occurrunt, nomina attinet; ea potius laudem, quam uituperium merentur. Nam quia perfectio linguae postulat, ut uno cum uocabulo, unicam tantum coniungamus ideam, nouasque ideas, nouis etiam uocabulis, ad con-

fusi

fusionem excitandam, exprimamus (§. 91. 93. Log.); ideo Sc. S. nouis istis, quae proponebat, rebus, de quibus Graeci sciuerunt nihil, noua imponere debuit nomina sine uitio. Ergo quia proprias & peculiares res ptoponit; stylus etiam esse debuit *idioticus* s. proprius. Elucet ergo potius sapientia DEI inde quam maxima quae etiam ratione styli ita accomodauit ingenio omnium, ut omnes Sc. legere potuissent. Porro ex inuento accentuum humano 3.) etiam impugnant; Verum a) Silluk non semper, uti putant, denotat punctum (§. 123. Accent. nostr.); adeoque ne uersus nimis fiant longiores (§. 138. acc. nostr.), semicolon, ob sapientiam DEI indicare poterit. Non ergo, semper hic sensum *in totum* absoluere debet. b.) Ex BVXTORFFI codice *sine* distinctione scripto, conclusio etiam non ualet; nam a singulari ad uniuersale non ualet consequentia; deinde si & hoc concedamus, distinguendum est, inter distinctionem accentuum ratione spatii, (quorum non est officium §. 4. acc. nost.) & ratione uerborum. Haec esse potuit, sine illa; alias etiam coniunctiui distinguerent semper, quod absurdum (§. 7. ac. nostr.). Ergo recte sese habet Iudaeorum regula: *si quis describit codicem, spatium obseruet in-*

inter uocem atque uocem, instar unius litterae. Non uero c) ex hoc, quia alii abutebantur, sensumque adeo peruertebant, ad nouitatem accentuum conclusio ualet. Neque d) ex uersione LXX, falsa impugnari potest; nam quis nos certos reddit, qualesnam habuerint codices. Nonne hoc modo etiam uocalium inspiratio sic impugnari posset? Et si dicamus, semper adpositos fuisse accentus, seu in usu fuisse; totum corruit dubium. Si uero neges; concedes tamen, sensum a DEO intentum, filios a parentibus per oralem traditionem cognoscere potuisse. Si hoc, sensui conuenientes adposuerunt accentus; uel propter finem DEI (§. 1.) alius uir Θεοπνευστος eos ita ordinauit; quo ipso autem idem est, ac si DEVS adposuisset IPSE conf. praef. accent. nostr. Denique 4.) ex defectu nominum s. auctorum librorum inspirationem impugnant. Verum quia fides nostra non ex sola sapientia humana esse debet (§. 31.); recte DEVS nomina quaedam auctorum celauit, ne praeiudicio ducti scriptorum, auctoritatem inspirantis negligamus, ad quam maxime est respiciendum. Hinc illiteratos adhibuit interdum, & ne omnis cadat auctoritas humana; doctos etiam arcessiuit.

§. 41.

§. 41. Apocryphi a DEO non sunt inspirati (§. 36.38.); ergo non pertinent ad Sc. S. Ergo nostrae salutis uiam in illis quaerere non possumus (§. 16.). Hinc ex illis aliquid, quod ad fidem & mores pertinet, probare neque possumus, neque debemus; legi tamen possunt ad aedificationem.

§. 42. Male ergo Pontificii ex hisce libris dogmata quoad fidem & mores probant; e. g. de purgatorio; orationemque pro mortuis uid. IO. FERLERI gründliche Auslegung aller Artickeln des Heil. Röm. Cath. Glaubens-Bekäntnüß, Augspurg 1730. p. 69.

§. 43. Ex dictis itaque definiri potest *Scriptura Sacra*, quod sit liber, continens reuelationem a uiris Θεοπνευστοις, litteris consignatam (§. 1-42.).

§. 44. Quia itaque Sc. S. tanquam uera reuelatio est a DEO (§. 12.); qui propter omnisapientiam conuenientissima, & quibus finis obtineri potest, adplicare debet media (§. 39. Th. N.); *perfecta* sit atque *sufficiens*, est necesse. Dicimus enim *perfectum*, & *sufficiens* quod ita comparatum est, ut finis obtineri queat. 2. Tim. III, 17. Act. XX. 27.

§. 45. Male ergo Pontificii *traditiones* suas, s. doctrinas Apostolorum litteris non con-

consignatas, oretenus uero propagatas, nobis obtrudere uolunt (§. 44.); quae etiam ob errandi periculum, & ob ipsas, circa earum numerum, ortas controuersias & falsitates reiici debent. Nam quae de traditionum exemplis in Sc. proferunt, earumque commendatione, concedi possunt, modo obseruetur, quod traditiones hae fundentur in ipso uerbo scripto, uti ex Ps. CXIX, tot. patet. Locus uero 2. Cor. III, 3. agit de minus necessario litterarum commendatitiarum usu; uers. 6. uero, de legali, quae reiicitur uerbi diuini praedicatione. Ad dubium ex Ioh. XVI, 12. Resp. est uers. seqq. & XIV, 26. & Cor. XI, ult. sermo est de Ceremoniis.

§. 46. Quia itaque Scriptura S. est perfecta (§. 44.) nosque in illa & non extra eam salutis nostrae uiam quaerere debemus (§. 16.); sequitur, unicum hanc esse hic ueritatis cognoscendae principium (§. 60. Ont.). Frustra alias DEVS Sc. S. nobis concessisset, quod absurdum (§. 1.).

§. 47. Nouas ergo reuelationes aut uerbum internum hodie exspectare non possumus (§. pr.), Totam enim si perlegimus Sc. S. ne uerbulum quidem, nullamque de uerbo interno promissionem inuenimus, sed semper omnis spiritualis effectus

ctus post DEVM uerbo diuino, & quidem externo, adscribitur Iac. I, 21. 1. Pet. I, 23. 25. 1. Cor. IV, 14. 15. Rom. X, 17. Dan. IX, 24. Gal. III, 2. seqq. Eph. I, 13. Et quare CHRISTVS instituisset ministerium ecclesiasticum, quod frustra esset Matth. XXVIII, 19. Immo diabolus in angelum lucis se transformat; maximaque inde sequeretur confusio, si quiuis spiritum suum sequeretur; quot sectae? quot essent contradictiones? prouti experientia probat. uid. B. SPENER. in den Klagen über das verdorbene Christenthum p. III.

§. 48. Quum itaque DEVS salutem per Sc. S. concedere decreuit (§. 46. 47. & 74. Th. N.) decreta uero DEI immutabilia sunt (§. 76. Th. N.); fallunt Enthusiastae & Fanatici cum nouis suis reuelationibus; quod a posteriori seu effectu etiam patet. Nam 1.) male interdum cohaerent; 2.) euentus praedictionibus non respondet & 3.) contra Scripturam blaspheme loquuntur; conf. auctores §. 24. citt. Nedicam 4.) ita absurdos horum hominum esse loquendi modos, ut nemo, neque illi ipsi ideas sub his uocibus habeant.

§. 49. Probant quidem suam sententiam 1.) ex Ebr. I, 1. & Nehem. IX, 20. 30. Verum tunc temporis canon nondum erat ob-

obſignatus; quod hodie, ubi itaque alia eſt Oeconomia (§. 15.). 2.) ex Ier. XXXI, 33. ſqq. Ebr. VIII, 10. Verum hic non de *modo docendi*, ſed *effectu ſalutari* eſt ſermo, ita ut non opus ſit inculcatione operoſa conf. Ier. XXIV, 7. Act. II, 37. 3.) ex Ioh. XIV, 16. ſqq. XVI, 13. ſqq. quod tamen extraordinarium de Apoſtolis ualet, non de nobis in *plantata* eccleſia. 4.) ex Luc. XVII, 21. Senſus eſt: regnum DEI non cum παρατηρησει uenire, non enim eſt de hoc mundo uid. uerſ. 20. Veri ergo, in regno CHRISTI, ſubditi credunt in EVM, ſine pompa *externa*, id quod exemplis etiam in ſqq. CHRISTVS probat. 5.) ex Ioel II, 28. Verum impletum eſt hoc Act. II, tot. Deinde curſu *omnes* hic ſumitur pro generibus ſingulorum (§. 120. Log.), alias per experientiam falſum eſſet; & praecipue hic de larga donorum (non extraordinariorum) ordinariorum, miniſtrantium & ſanctificantium effuſione, DEVS, modo loquendi in V. T. uſitato, loquitur, uti fit Eſ. LXVI, 6. ſeqq. Zach. XIV, Mal. I, 11. 6.) ex Rom. I, 19. ubi concludunt: Euangelium etiam gentilibus notum eſſe. Sed negatur; ſermo tantum eſt de notitia DEI naturali philoſophica. 7.) ex experientia, quia pauciſſimi uerbum DEI audientes ſaluantur, ergo neceſſaria eſt immediata in-

terna. Neg. conſ. nam culpa non eſt in Verbo, ſed in hominibus, qui reſiſtunt (§. 29.). Ergo eſt fallacia accidentis. 8.) ex patribus eccleſiae, LVTHERI item & PHILIPPI. uid. POIRET. Oec. Cap. VII. §. 12. Verum non ex auctoritate Patrum, qui interdum ut *homines* alii errarunt, fides noſtra dependet; ſed Sc. S. (§. 16.). Deinde falſa eſt Fanaticorum, quoad Patres, praecipue quoad LVTHERVM & PHILIPPVM, explicatio, uti contextus facile docebit. conf. hunc in annotationibus ad Cap. VI, Iohannis; illum uero Tom. I, Ien. Germ. Fol. 311. 477. ubi Pontificios perſtringit ſuperſtitioſos. Quam multa uero loca in contrarium ex iisdem proferre potuiſſemus, ſi occaſio permitteret! uid. Ven. IOACH. LANGII. *diſſ. Anti - Poiretin.* Comp. Theol. IAEGERI p. 61. ſeqq. Porro ſequentibus noſtram de principio cognoſcendi primo in Theologia ſententiam impugnant a) quia nos ipſi Sc. Spiritui eiusque teſtimonio adſcriberemus (§. 28.). Verum confunditur hic principium eſſendi, & cognoſcendi, ſ. cauſſa efficiens & obiectiua. b) ex I. Cor. II, 14. Ergo praecedere debere aliam reuelationem, aliudque principium. Sed nos concurſum Sp. S. a Sc. ſeparatum non docemus, ut potius ſit cum

ſcri-

Scriptura coniunctus. (conf. seqq. §. 51-54 c.) esse in hominibus etiam gentilibus *scintillam lucis*, cum qua Sc. congruere obseruare posse; E. prius principium in hominibus esse. Confunditur autem hic *lumen naturae*, cum lumine *gratiae* s. *supernaturali*. d) Sc. semper testimonium de statu salutari mentis, spiritui adscribere. Rom. VIII, 16. 1. Ioh. IV, 13. V, 6. Sed tamen non absque Script. e) surdos, idiotas, infantes uel esse damnandos, uel ad internam informationem esse recurrendum. Verum infantes regenerantur per baptismum, idiotae per auditum; surdi aliis signis & modis.

§. 50. Quamuis uero nouas, quoad doctrinas (§. 46-49.), reiecerimus reuelationes; non tamen quoad futura contingentia eas prorsus negamus, ut potius subscribamus lib. symb. p. 276. seqq. Verum quia DEVS tanquam sapiens rarissime miraculis utitur (§. 122. Th. N.); caute etiam in reuelationibus futurorum contingentium est procedendum, uti in somniis hodie diuinis, quae ex §. 191. Psych. sunt diiudicanda.

§. 51. *Efficaciam* alicui tribuimus, si uiribus est instructus, quibus aliquid efficiatur. Quum itaque Sc. S. sit perfecta (§. 44.) efficaciam quoque habeat est necesse.

Nam Nullus hominum media reconciliandi & expiandi DEVM, inuenire potuit, quam ob rationem DEVS illa Ipſe reuelauit (§. 1.). Quia ergo ex Sc. ſolum, noſtram ſalutem quaerere debemus (§. 16.); (quae in coniunctione cum DEO conſiſtit §. 1. quam nemo hominum, quia uires amiſerunt, conſequi poteſt §. 2. 46. 47. diſſ. Prol.) Scriptura S. uiribus inſtructa eſſe debet, quibus hanc aſſequi queamus; quod cum dicimus efficaciam (per def.); Sc. S. efficaciam habeat, eſt neceſſe. Rom. I, 16. Ioh. VI, 63. Ier. XXIII, 29.

§. 52. Sc. S. efficaciam habet ſ. uim (§. pr.). Quum itaque *uis* ſit conatus agendi, ex qua effectus ſequitur, niſi impedimentum acceſſerit (§. 55. Ont.); Sc. S. operari debet. *Efficacia* ergo Sc. eſt uis operatiua producendi effectus ſpirituales (§. pr. & §. 47.) quam etiam experientia probat. Act. II, 37. VII, 54. VIII, 3. ſeqq. X, 44. ſeqq. XVI, 14.

§. 53. Quia itaque per hanc efficaciam, effectus ſpirituales producuntur (§. pr.); DEVS uero ſemper omnium uult ſalutem (§. 48. diſſ. Prol.); & immutabilis eſt (§. 10. Th. N.); Sc. S. *ſemper* adeoque etiam extra uſum, hanc efficaciam habere debet. Quodſi enim uim illam ſ. efficaciam in uſu

ſolum

ſolum DEVS ipſi concederet; miraculum quouis momento lectionis; (uarii enim uarioque & diuerſo tempore eam legunt) DEVS perpetrare debuiſſet, quod cum ſit abſurdum (§. 122. Th. N.); extra uſum efficaciam etiam habet. Sic Sc. nullam etiam limitationem adiicit. 1.Cor. l, 21.(§.47-52.).

§. 54. *Inſtrumentum* dicimus, per quod cauſſa efficiens operatur. Ergo Sc. S. eſt quidem inſtrumentum; non tamen mere Paſſiuum, ſed Cooperatiuum (§. 51.52.53.). Hinc nouae reuelationes Fanaticorum etiam per efficaciam hancce excluduntur (§. 49.). Ob nouas autem illas, non poſſunt non efficaciam hancce negare, Quakeri atque Fanatici SCHWENCKFELD paſſim, WEIGELIVS in Poſtill. P. II, 238. BARCLAIVS in Apolog. Theſ. lll, ubi blaſpheme de Sc. loquuntur, aliique. Probant quidem ſuam theſin 1.) ex 2. Cor. lll, 6. 7. ubi Sc. litteram mortuam eſſe dicunt. Verum a) non *mortua*, ſed occidens, adeoque *uiua* potius dicitur b) de lege tantum & non de tota Sc. agit locus; aut ſecundum alios de ſterili & hypocritico DEI cultu. 2.) quia ſc. littera eſſet externa; non poſſet in animo operari. Negatur maior, per inſtantiam, a loquela hominum & dehortationibus deſumtam, quibus in orationi-

bus, omnino hominum animus mouetur 3.) esse tantum de diuinis effectibus *testimonium* non uero organon. Negatur, potest esse, & est utrumque 4.) per Sc. S. Spir. S. non ungimur, quia unctio in fidelibus maneat 1. Ioh III, 9. non uero Sc. S. Verum omnino manet Sc. quoad sensum in memoria & corde fidelium. 5.) ex uerbis LVTHERI quae citat PRAETORIVS (HOHBVRG) in Ministerii eccles. abusu: die Prediger können das Wort in die Ohren, der heil. Geist aber müsse es ins Hertz bringen; der heil. Geist müsse zuvor da seyn, sonst thue das Wort nichts ꝛc. Absit autem ut LVTHERVS cum Fanaticis consentiat, distinguit enim recte caussam principalem ab instrumentali. Vocabulo uero zuvor recte uerbo DEI, etiam extra usum, uim aliquam ut semini foecundo tribuit.

§. 55. Porro qnia Sc. est perfecta & sufficiens (§. 44.); etiam esse debet *integra*. Quodsi enim DEUS aliquid omisisset; contra finem propositum egisset; hoc autem modo quia media conuenientia non adplicasset, non esset sapiens, quod absurdum (§. 39. Th. N.); DEUS ergo nihil omittere potuit. Ubi uero nihil est omissum, quod ad finem consequendum necessarium est, ibi res est *integra* (per def.); Sc. S. ergo est

inte-

integra. Matth. V, 18. Luc. XVI, 17. 2. Tim. III, 16. 17. Act. XX. 20-32.

§. 56. Si omnes adsunt libri ad finem pertinentes dicitur *integritas Canonis*. Verum ex iisdem rationibus *integritas textus* & *idiomatis* probari etiam potest.

§. 57. Sed dicis integram a DEO prouenisse quidem; quaestio autem est, an adhuc sit integra, quod fortasse negas. Verum argumentum §. 55. uniuersaliter ualet. Quoniam enim nemo hominum etiam hodie e miseria sua sese liberare potest; DEUS uero *omnium* & nostram, qui iam uiuimus, eorumque porro, qui aliquando extituri sint, salutem serio uult (§. 48. diss. prol) & hodie & inposterum integra esse debet, ut omnes salutem ibi quaerere possint.

§. 58. Ergo si est integra (§. 55-57.); nullus librorum periit aut perire potuit. Hinc conseruari debet. Quia uero conseruatio est opus prouidentiae diuinae (§. 95. Th. N.) prouidentiam DEI & hic praecipue inuigilasse, fecire concludere possumus. DEI autem Prouidentia est sapientissima (§. 149. Th. N.) qua ideo finis obtineri debet omnino (§. 40. Th. N.). Hinc integra est (§. 55.).

§. 59. Ioterit nostra thesis sequenti et-

iam probari ratiocinio. Si libri Sc. S. quoad canonem, aut textum aut idioma (§. 56.) sint corrupti; corrumpi potuerunt uel ante, uel post CHRISTI tempora. Non illis; quia CHRISTVS hoc indicasset; non his, per totum enim terrarum orbem Sc. S. exempla sparsa sunt largissime. Ergo V. T. libri *omnes* corrumpi non potuerunt, unde enim *omnes* conqueri potuissent ad corruptionem uniuersalem? nec etiam uoluerunt, quod studium masorethicum probat. Conf. praef. *introd. nostr. in accentuat.* Idem etiam de libris N. T. ualet, & quidem eo magis, quo maiori cura, ecclesiae primitiuae autographa inter se communicabant, Colos. IV, 16. ubi exemplaria optime, si qua adesset corruptio, corrigi potuerunt.

§. 60. Quia itaque liber nullus perire potuit, sed potius Sc. est integra (§. 55-59.); libri in Script. citati, hodie uero non sub hisce nominibus extantes, non erant Canonici; alias DEVS propter sapientiam, interitum eorum permittere non potuisset. Etsi ergo liber qui periit, fuerit Θεοπνευστος aut sacer; non tamen fuit canonicus. Ergo esse possunt libri, qui ad sacros aut Θεοπνευστες pertinent; & tamen non sunt canonici. Multo itaque minus liber profanus

fanus, etiamsi citetur, erit canonicus; alias Ethnicorum scripta, etiam essent canonica.

§. 61. Non ergo hic quaestio est de corruptione *particulari* sed *uniuersali*, §. *59.* Male ergo *Pontificii* una cum *Fanaticis* aliisque Criticis (e. g. sunt HVNTLAEVS, MORINVS, BELLARMINVS, SIMONIVS &c.) thesin hancce negant. Probant quidem sententiam 1.) quia libri XX, in Sc. citantur, quae hodie non adparent. Verum negamus maiorem, quia etiam profani Script. in Sc. citantur. Praeterea negatur etiam minor (§. 60.). 2.) ex *Keri & kethibh;* sed nil aliud indicat praeter uariantes lectiones, & si uel maxime; esset tantum corruptio paticularis. Conf. DANZII diss. de auctoritate Sc. S. uacillante. 3.) ex locis piskatis; uerum sensus ibi est absolutus, & non adest lacuna. Conf. *accentuat nostr.* 4.) ex uariantibus N. T. lectionibus; sunt tamen particulares, & parui sunt momenti. Conf. PFAFFIVS de uariantibus N. T. lect. & MASTRICH. in edit. N. T. 5.) multa esse, de quibus Sc. nihil proponit; conf. BECANVS in monual. Controuers. L. i. c. 2. Vel non sunt scitu necessaria; uel falsa; uel *implicite* adsunt, quamuis non explicite; e. g. doctr. de Paedopaptismo &c.

§. 62. Quia DEUS ſerio uult ſalutem omnium, per Script. conſequendam (§. 57. I-12; uult etiam ſerio ut *omnes* ſcripturam intelligant, ſibique familiarem reddant, eamque adeo cognoſcant. Tanquam ſapiens uero breuiſſima uia procedit, optimaque & hinc tutiſſima media uult ut adplicentur (§. 39-41. Th. N). Ergo cum per *lectionem*, uia breuiſſima, eorum quae in Sc. continentur, cognitionem, tutiſſimeque (quia quod per oculos ſentimus, ubi nos paſſiue gerimus, quo in caſu falli non poſſumus §. 173. Log. certo cognoſcimus) eam nobis acquiramus; legere ceteris paribus Script. debent ex intentione DEI *omnes*. Nam quamuis ex auditu etiam ueritates ibi contentae cognoſci poſſint; non tamen tam ſecurus atque tutus ſum, an alter poſſit & uelit mihi eam rite praelegere. Quis enim neſcit, quod uerba alio accentu & ſono pronuntiata, alium gignant ſenſum; id quod etiam fieri ſolet, ſi uocabula non bene diſtinguantur, ita ut mox ad ſubiectum, mox referantur ad praedicatum; & quae ſunt taedia alia. Non tamen ideo excluduntur auditus, aliaque uerbum DEI cognoſcendi media.

§. 63. Ergo Sc. ex intentione DEI legere debent non ſolum eccleſiae *praeſertim* miniſtri, Theologiaeque ſtudioſi, ſed & Laici, qui ad ſtatum referuntur politicum, &

& quidem hoc in genere uterque ſexus, omnisque, ceteris paribus, ratione aetatis capax. Ergo quia hoc eſt ſeria uoluntas DEI (§. 62.); & permittenda & iniungenda haec eſt ſeculo (§. 62.). Pſ. I, 2. Ioh. V, 39. 1 Tim. IV, 13. Deut. VI, 7. 8. Act. XVII, 11. Immo in primitiua eccleſia epiſtolae Apoſtolorum coram tota concione praelegebantur; quod imitari licet. IUSTINUS MARTYR in Apolog. II.

§. 64. Quia uero non omnes in linguis a DEO inſpiratis Sc. legere poſſunt; ideo uerſiones ſunt condendae. Nam ſcriptores ſemper lingua nota tradiderunt ſua autographa, ut legi potuerint, exemplo nobis, ut in uernacula ſua quiuis eam legere debeat. Lingua enim graeca tunc temporis omnibus erat uernacula (§. 26.). Quodſi enim DEUS noluiſſet, ut omnes & ſic etiam Laici Sc. legerent; ſane talem adhibuiſſet linguam, quam intelligere non potuiſſent. Quod cum minime fecerit (§. 26.); recte uerſiones lectionemque uniuerſalem IPSUM intentaſſe, concludere poſſumus (§. 37. Th. N.). Male ergo Pontificii neceſſitatem uerſionum negant.

§. 65. Quia itaque omnes ad ſalutem Sc. legere debent (§. 62. 63. 64.); DEVS propter ſapientiam omnia ita ordinare debuit,

ut

ut homines salutis uiam inde quaerere possint. E. quia haec non possent, nisi *sensum intelligerent*, h. e. cum uerbis DEI, easdem iungerent ideas, quas habuit IPSE; sensum etiam intelligere debent homines necessario. Quoniam uero DEUS ob sapientiam uia breuissima ad scopum tendit, & conuenientissima adplicat media (§. 39. 41. Th. N.); sensum non solum *facile*, (alias non esset uia breuissima) sed & *certe*, (alias non esset medium conuenientissimum, quia dubitationes erroresque oriri possent, quo finem DEVS rursus consequi non posset) homines cognoscant, est necesse. Scriptum uero, cuius sensum facile & certe cognoscere possumus, dicimus *clarum & perspicuum* (per def.); Sc. ergo est perspicua. Negant Fanatici *certitudinem* sensus per regulas hermeneut. de quo uero in Hermeneutica.

§. 66. Hanc Sc. perspicuitatem etiam experientia non tantum, sed & sapientia, potentia, & misericordia DEI probat. Ob hanc enim perspicue loqui *uult* (quia hominis per Sc. miseriam depellere cupit); ob istas uero perspicue loqui potest atque debet. Qui uero de re aliqua loquitur, ubi perspicue loqui debet, potest, & serio uult; ille hac in re perspicuus est actu. Atque

DEVS

DEUS in Sc. S. E. actu est perspicuus. 2 Tim. III, 17. Ps. CXIX, XIX, 9. qui locus de lege & Euangelio est intelligendus coll. Rom. X, 18.

§. 67. Quia uero praeiudicia, linguarumque & quae huc pertinent defectus, aut si non attendimus, uel rationis usum non habemus, &c. impedimento esse possunt, quo minus scriptum aliquod intelligamus (per exp.); recte Theologi nostri impedimentorum horum remotionem requirunt. Hinc ex his dubia, contra nos formari haud possunt. Nam hisce praesentibus impedimentis, nulla etiam alia Sc. intelligi poterit. Ratio ergo obscuritatis saepe in legente latet.

§. 69. Ergo si unusquisque hominum sensum uerbum Sc. intelligere potest (§. pr.); non solum regeniti, sed & irregeniti uerborum sensum inde exsculpere possunt; quod exemplo BVXTORFFII, HIERONYMI; aliorumque patet, qui in uerborum obscuritate, Iudaeos non frustra consuluerunt.

§. 70. Si *uerborum* Sc. sensum intelligere possumus (§. 68.); non *omnimoda* rerum perspicuitas requiritur. Notanter *omnimoda* adpono. Nam si res sub uerbis indigitatas plane nescirem; de rebus non iudi-

iudicare, & hinc neque credere, neque agere possem. Verum cum reuelatio ueritates supra rationem proponere debeat (§. 4. num. 5.); elucet, quod non *omnes* res intelligi a nobis queant.

§. 71. Si perspicuitas in rebus requiritur ad salutem (§. 68.); uaticinia ante complementum, onomastica, chronologica, geographica, quamuis obscura, nullam tamen Scripturae, respectu finis principalis, obscuritatem inducunt.

§. 72. Ergo quia DEVS ad salutem nobis Sc. dedit (§. 1. 12.); hac euidentiam rerum §. pr. similiumque ut nobis tradat, finis eius minime fuit. Hinc explicatio horum frustra in Sc. quaeritur. Male ergo res physicas, mathematicas, astronomicas, &c. ex Sc. aliqui explicare tentant.

§. 73. Denique quia DEUS Sc. dedit, ut *omnes* legant (§. 62. seqq.); ob sapientiam omnia ita ordinauit, & ordinare debuit, ut sit ad captum & palatum omnium. Ob simpliciores itaque credenda & agenda uariis in locis clarissime proposuit. Quia uero quotidiana, & quae semel clare distincteque sunt percepta, taedium creant (per exp.); hinc DEVS aliis in locis, credenda & agenda non tam clare enunciauit ut homines in attentione necessaria (§. 67.), &

feruore desiderioque legendi maxime necessario retinerentur ne obiter eam tractemus, aut a lectione prorsus desistamus. Et hoc etiam quoad peritiores & doctos ualet. Quoniam uero Sc. diuinitas etiam ex ratione claret (§. 12.); ideo DEVS etiam in connexione ut eam pertractemus, uoluit. Hinc ne taedio & languore abripiamur, aut ambitione Sc. despiciamus; DEVS minus clara, aliaque non praecise ad scopum pertinentia in Sc. adhibuit, alias a peritioribus & acumine praeditis non legeretur. Omnes hinc rationes habent, ut eam legant.

§. 74. Quia itaque ob usus §. pr. recensitos, interdum minus clare DEVS est loquutus; usus uero rerum in mundo sunt DEI fines (§. 38. Th. N.) fines hosce non sine ratione DEVM sibi proposuisse, adeoque sapientissime egisse, (§. 39. Th. N.) claret.

§. 75. Non ergo dicimus Sc. S. in omnibus esse maximopere perspicuam; sed tantum in rebus ad salutem pertinentibus (§. 68.). Absit tamen, ut hoc modo in DEVM, aut EIUS Sc. simus iniurii, si obscuritatem *partialem* concedamus, *uniuersalem* negemus; aut si inter *euidentiam rerum*, quae non semper; & *testimonii*, quae semper adest, distinguamus (§. 70-74.).

§. 76.

§. 76. Male ergo Pontificii Sc. obscuritatis omnimodae accusant; male etiam nobis imputant, ac si perspicuitatem uniuersalem statueremus (§. 75.). uid. BELLARMIN. de V. D. L. III, c. 1. & 2. Cadunt ergo dubia eorum & probationes, per hactenus dicta, nihilque committunt nisi ignorationes elenchi. Sc. obscuritatem 1.) ex commentariis & explicationibus CHRISTI, Apostolorum, & hodiern. Interpretum 2.) horumque dissidentia, & 3.) necessitate precum Ps. CXIX, 18. 4.) ex 2 Cor. II, 14. probant. Verum haec omnia, obscuritatem & coecitatem in *nobis* potius, quam in Sc. ostendunt (§. 67.); ultima uero loca, de sensu salutari, non litterali & uerbali, de quo nobis sermo est (§. 68.), agunt. Praecipue in ultimo, de rebus loquitur PAULUS, non de uerbis (§. 70.). Porro 5.) ex Dan. XII, 4. 2 Pet. III, 16. aliisque ex Ezech. & Apocal. desumtis; uerum haec refutantur, ex §. 71. neque de uerbis, sed rebus agunt, quod praecipue de Petrino ualet, ut uidere est, ex modo loquendi ἐν οἷς; non enim dicit ἐν αἷς; deinde etiam non loquitur de omnibus, contra §. 75. 6.) ex 1 Cor. XIII, 12. Verum hic sermo est *comparatius*, non absolutus. In uita enim aeterna clariori luce res diuinas cognoscemus.

§. 77.

§. 77. Scriptura ergo non est obscura non solum (§. pr.); sed & perspicua (§. 68.). Male ergo Pontificii, quia omnes eam legere debent (§. 62-64.), sub specie obscuritatis, laicis Sc. lectionem interdicunt. uid. BELLARM. de V. D. l. 2. c. 15. Probant quidem sententiam 1) ex Matth. XIII, 11. 12. Sed contextus docet: uocabulum *uobis*, non denotare *Clericos*, sed qui serio & sedulo diligenter litteras scrutantur diuinas. Neque Matth. VII, 6. canes sunt laici. 2) quia errandi, & peccata, quae recensentur imitandi periculum est timendum. Verum haec omnia etiam respectu Clericorum ualent; ita etiam nulli fere legendi essent libri; nec in mundo uiuere deberemus. 3) quia laicis lectio Sc. nullam affert utilitatem. Probandum est. Contrarium uide §. 62. 63. 64-73. 4) quia difficulter intelligitur. Probandum. Contrarium uide §. 65-68.

§. 78. Remotis hisce (§. 76 77), inconcussa remanet nostra, de lectione uniuersali & uersionibus adornandis (§ 63. 64), adstructa thesis. Verum quia Scriptor in lingua, qua scripsit, est explicandus (§. 200. Log.); in Versionibus uero facile committi possint errores (per exp.); quis uerus Sc. S. sensus? non aliter, quam ex Ebr. Chald. & Graeca lingua, quibus inspirata est, co-

gnoſci debet. E. & uerſiones ſecundum hasce linguas ſunt diiudicandae.

§. 79. Nulla ergo uerſio in controuerſiis pro norma ueritatum in Theologia diiudicandarum recte adſumi poterit (§. pr.). E. nec interpres ONKELOS, licet habeat uſum anti-Iudaicum; nec *ſeptuagintauiralis* (contra VOSSIVM in diſſ. de 70. Interpr. Cap. 25); nec *ſyriaca*; nec *uulgata*, licet ex parte ſit HIERONYMI, (conf. PITHOEVS de lat. bibl. interpr. P. I, T. VI, bibl. Crit.) nec LVTHERI; uid. LVTHER. im Send-Schreiben vom Dollmetſchen, ꝛc. Nulla adeo hic eſt authentica.

§. 81. Male ergo Pontificii uulgatam pro authentica habent, Concil. Trid ſeſſ. 4. Dec. 2.

§. 81. Denique quia Sc. S. *unicum* eſt cognoſcendi principium (§. 16.) integrum & ſufficiens (§. 44) perſpicuum (§. 62. ſqq.), & ueriſſimum (§. 13); ex principiis uero concluſionum ueritas diiudicari debet, atque poteſt (§. 134. ſqq. Log.); ex Sc. etiam ueritates theologicae *omnes* diiudicari poſſunt, num rite ſeſe habeant.

§. 83. Verum ex libris Canonicis, excluſis apocryphis, ueritates ſunt diiudicandae (§. 41); norma ergo eſt quoad libros Canonicos tantum, & quidem ſecundum idi-

oma

orna Ebr. Chald. Graecum. Non ergo in rebus cotrouersis, est uulgata, aut alia quaecumque (§. 79).

§. 84. Si Sc. est norma (§. 82); habet etiam *potestatem iudiciariam*, quae adeo est dignitas illa, qua ut Verbum DEI infallibile ex libris Canonicis textu originario decernit iuste Ioh. XII, 48. Hinc etiam *discretiua auctoritas* ab aliis uocatur.

§. 85. Qui uero potestatem iudicandi habet, dici potest *iudex* E. Sc. S. recte dici potest iudex.

§. 86. *Iustus Iudex* s. *legitimus* est qui sine προσωπολημψια pro uno contra alterum sententiam prodere *potest*. E. 1) a iudicato sit diuersus 2) sufficientibus sit instructus rationibus, quibus parim lites cognosci queant, & si in rebus ad salutem pertinentibus (ubi *certitudo* ob periculi magnitudinem alias metuendam (§. 65), requiritur) iudicium sit ferendum, 3) sit infallibilis. Quum uero Sc. S. haec omnia habeat (§. 81); Sc. S. est iudex legitimus s. iustus. Est enim uerbum DEI απροσωπολυπτος Act. X, 34.

§. 87. Ergo quia Papa Rom. est homo, adeoque fallibilis, interdum actionum legumque expers, & partium studio laborat, quod multis exemplis iam comprabauit, fratresque eius in fide ipsi negare haud potuerunt, (quales sunt

PLATINA, GENEBRANDVS, BARONIVS, qui uitia enormia recenſent Pontif. Rom.) immo non raro non decernit, (e. g. in controuerſ. an Maria peccato originali ſit contaminata? & alibi) quod tamen eſt officium iudicis (§. 86); iuſtus Iudex in controuerſiis Theologicis eſſe nequit Papa (§. 86).

§. 88. Ergo quia concilium generale ex hominibus fallibilibus conſtat; in rebus & controuerſiis Theologicis, legitimus iudex eſſe nequit (§. 86).

§. 89. Ergo quia eccleſia conſiſtit in congregatione hominum fallibilium, & a iudicato non eſt diuerſa; non eſſe poteſt iudex legitimus (§. 86).

§. 90. *Symbolum* ſ. *confeſſio fidei* dicitur hominum doctrina, quae media ſalutis continet, ut calumnias aliorum a nobis depellere queamus. *Publica* uero *fidei confeſſio* eſt Symbolum ab eccleſia communi conſenſu adprobatum. Libri uero publicam confeſſionem fidei continentes, libri adpellantur *Symbolici* ſ. *normales*. Quum uero libri ſymbolici, humano conſignati ſint ſtudio, ex quibus ſimpliciter noſtram ſalutis uiam, quaerere haud debemus (§. 16); auctoritas diiudicandi controuerſias theologicas illis *abſolute* minime competit. Non tamen ne-

gamus

gamus, posse & illis hoc normae nomen tribui, modo si obseruetur distinctio, inter normam *absolute dictam & secundum quid, aut inter primariam & secundariam*, s. *normatam*.

§. 91. Sc. S. controuersias theologicas diiudicare debet (§. 86). Ergo DEUS propter sapientiam ita omnia disponere debuit, ut ex ea diiudicari queant. Quum itaque DEUS sit omniscius (§. 27. Th. N.), omnes ueritates, quae in principio latent, perspexit, adeoque (quia alias propter sapientiam principium tale minime posuisset) omnes illas cogitationes & ueritates ut cognoscamus, uoluit. Quia uero eas cognoscere non possemus, nisi per bonam pronamque consequentiam eruamus; sequitur, ut consequentias ex uerbo DEI deducere queamus & debeamus. Qua in re CHRISTUS Matth. V, XXII, 31. 32. Paulus I Cor. XV, 12. praeiuit & Petrus Act. II, 14-36. Hinc argumentamur: Modus intelligendi Sc. quem CHRISTUS *adimitandum* docuit, est licitus. Atq. Modus per consequentias, est talis; Ioh. V, 39. E. hic modus est licitus. Emphasis in uoce ερευνατε, hic neruum probandi facit.

§. 92. Quia itaque conclusiones in principio alicuius uiri, qui has perspicere potuit,

tuit, sunt eius cogitationes, uerbaque; quae inde per consequentiam deducta pro suis agnoscere debet (§. 134. 206. Log.); ideo cogitationes & uerba, ex uerbo DEI per bonam & pronam consequentiam deducta, sunt ipsum DEI uerbum (§. 91). Ex DEI autem uerbo controuersiae theologicae sunt diiudicandae (§. 86); Ergo etiam ex hisce consequentiis eas diiudicare possumus.

§. 93. Male ergo uoui Methodistae (e. g. BARTHOLDVS, VERONIVS, WALENBVRGII) consequentias tales, uerbum DEI esse negant, cum nec methodum suam probare, nec nostram propositam ueritatem argumentis idoneis impugnare possint. Nam instantia a ieiunio per 40. dies, per appositionem: *ad imitandum*, cadit. Et quamuis CHRISTI θεανθρωπου consequentias deductas, in ipsum DEI uerbum statim transiisse concedamus; non tamen ex hac ratione a Sadducaeis aliisque pro DEI uerbo sunt admissae, sed potius ideo ut ueram agnouerunt, quia Fundamentum earum in MOSIS dicterio perspexerunt. Non enim Methodistae probare possunt, populum admiratum esse *nouitatem argumenti*, sed potius *uim* eius *concludendi*, quod Scribae aperte profitentur Luc. XX, 39. Marc. XII, 28. 32. Matth. XXII, 33.

§. 94.

§. 94. Maioris momenti uidetur esse dubium, quod a fallibili hominum ratiocinio desumitur. Verum non omnem aut qualemcunque consequentiam admittimus, sed prono alueo iusteque deductam (§. 91). Et talis, secundum regulas Logicas tam diu uera, DEIque uerbum manet (§. 92), donec Methodistae probent contrarium.

§. 95. Quum itaque Sc. principia contineat explicite & implicite talia (§. 16. 86. 91. 92); itemque sit sufficiens (§. 5-44); nulla erit controuersia, quae ex Sc. diiudicari non possit; adeoque recte dici potest iudex legitimus (§. 81-86).

§. 96. Quum itaque Sc. iudex sit legitimus (§. 95); non opus est alio. DEVS enim uia breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th. N). Quodsi ergo DEVS uoluisset, ut praeter Sc. quae ut norma de ueritate aut falsitate alicuius propositionis disponit, (qua de caussa *iudex normatiuus*, & *improprie sic dictus* adpellatur) persona quaedam de ueritate aut falsitate alicuius propositionis iudicium ferens (quae ideo iudex *personalis* & *proprie sic dictus* uocari potest) esse debeat; constituere debuisset uel unam, uel plures, & quidem (quia omnis propter *defectum omniscientiae*, fallibilis) esse debuissent *infallibiles*, s. quae nunquam errare possunt.

Errores uero proueniunt ex confusa repraesentatione (§. 174. Log.); tales ergo distinctam habere debuissent. Si itaque in *nullo* ipsis commonstrandus fuisset error; omniscii fuissent, quod contra naturam mentis humanae, utpote mutabilis (per experient.) qualemque DEUS facere non potuit (§. 10-116. Th. N.). Ergo liberos ab erroribus praestare eos debuisset DEUS, si iudicium ipsis de ueritate propositionis ferendum fuisset. Verum ita multiplicarentur miracula, si tam multi, diuersis uariisque temporibus, controuersias mox hic mox alibi per totum terrarum orbem ortas, diiudicare debuissent, quod cum sit absurdum (§. 122. Th. N.); infallibiles hoc modo personales iudices praestare non potuit sapientissimus DEVS.

§. 97. Quodsi putas: per unicum infallibilem, minui miraculorum numerum; uerum est quidem; sed tamen id fieret praeter necessitatem, rationemque. Nam unicus ille, omnes tamen, quae oriuntur, controuersias infallibiliter diiudicare deberet; adeoque idem esset, ac si statueremus plures. Semper enim quouis momento diiudicationis, infallibilis esset reddendus. Immo si diceres: infallibilitatem huius, durare uno actu: Homines tamen mortales

sunt,

sunt, adeoque DEUS, nouo constituto iudice, nouum perpetrare deberet miraculum adeoque & hoc modo miracula augeret. Ne dicam, quod miraculum fere necessarium esset quoque, si sine errore determinatum a DEO subiectum huius iudicis, cognoscere uellemus. Quando autem finis esset miraculorum?

§. 98. Quia itaque ob miracula perpetua, iudex aliquis personalis est impossibilis (§. 96. 97); exulare etiam debet cum *iudex discretiuus*, s. *determinatiuus* a cuius lata sententia partes litigantes discedere possunt; tum *decisiuus*, s. *auctoritatiuus* (melius diceres *coactiuum*) a cuius sententia discedere minime licet. Id quod etiam ipsa comprobat Sc. S. quae de tali personali, quicunque sit, omnimode tacet; quin potius in omnibus, ubi controuersiae oriebantur, circumstantiis, ad scripturam prouocat Es. VIII, 20. 2 Pet. I, 19. Gal. VI, 15-17. Matth. IV, 1. seqq. XIX, 4. XXII, 29. Act. XVII, 11. & 2 Tim. III, 16. ubi perfecta dicitur Sc. ad ελεγχον και επανορθωσιν: Immo superfluus etiam est iudex aliquis personalis. Nam quia principia continent rationes conclusionum (§. 9. Prol. C. P. 134. Log.); ex principiis diiudicari possunt conclusiones, quemadmodum nec Medici, nec Phi-

losophi, & Mathematici in suis controuersiis, personali aliquo opus habent. Ita etiam patres IGNATIVS, POLYCARPVS, IVST. MART. semper in controuers. ad Sc. prouocant.

§. 99. Male ergo BECANVS in manual. L. 1, C. 5. aliique Pontificiorum distinguunt inter *normam* quae Sc. S. & *iudicem* credendorum, quae ecclesia esse debet; sed conf. ad eius argumentum *proceſſ. noſtr. diſp.* (§. 92). Probant quidem suam sententiam 1) ex Sc. obscuritate; sed uid. (§. 70. seqq.) 2) ex insufficientia, & quia non sit integra; uid. (§. 55-61.) 3) quia per Sc. prorsus tolli non possunt controuersiae. Verum hoc fit per accidens ob malitiam hominum, qui non ante a sua desistunt sententia, quam aliqua uis accessit, adeoque tantum sequitur: Sc. non esse iudicem coactiuum, quod salua thesi concedimus. 4) multa non definit Sc. e. g. an liber Iudith sit canonicus, quot Sacramenta? Resp. si non explicite, implicite sit tamen, s. per consequentias; deinde etiam *hiſtorica* ex testimonio cognosci possunt. 5) ex necessitate conciliorum, inprimis Act. XV. Verum hoc tempore canon nondum erat consignatus; reliqua uero Concilia non omnia, ob controuersias decidendas, sed ob disciplinam eccle-

sia-

siasticam instituebantur. 6) ex Matth. XVIII, 17. Sed hic locus non de *credendis*, sed disciplina agit.

§. 100. Eandem cum Pontificiis sententiam, sed alio ex fonte defendunt Enthusiastae & Fanatici, probantes 1) quia Sc. non semper fuit, non potest esse *regula & iudex uniuersalis*. Verum quaestio est, an sit absoluto canone. E. est ignoratio Elenchi. 2) ex insufficientia, ex defectu scil. quorundam librorum, & accessionibus successiuis. uid. autem §. 55-61. seqq. per accessiones uero clarior tantum facta est Sc. adeoque ad finem commodior. 3) ex incertitudine sensus, ob uariantes lectiones, errores typograph. & defectum autographor. Verum autographa iam CHRISTI temporibus aberant, & tamen IPSE Eiusque Apostoli apographa adprobarunt. Variantes lectiones & errores thyp. corrigi possunt; & adsunt exemplaria correcta. 4) Spiritualem Israelem, spirituali ductore opus habere; sed *immediate* id fieri, nondum hinc efficitur. 5) Sp.S. gubernasse Apostolos Act. XV. E. & hodie. Negatur consequentia: ubi enim nobis hodie, uti olim Apostolis est promissum? gubernat quidem, seb an immediate? E. est ignoratio Elenchi. conf. Ven. ZELTNERI *Breuiar.* Controuers. cum Enthus. §. 101.

§. 101. O. Sc. dicit, est infallibiliter uerum (§. 13); & quicquid praecipit, est faciendum (§. 14). Cuius uero dicta ut uera, factaque ut exequenda habemus, ille *auctoritate* pollet (per def). Sc. Ergo auctoritate pollet. Et quidem hoc in casu, quia fides nostra & actiones faciendae, a Sc. dependent, dicitur auctoritas *constitutiua* s. *causatiua fidei & uitae.* Quoniam uero etiam Script. norma est & iudex controuersiarum (§. 86); ei etiam hoc respectu, auctoritas *discretiua* s. *canonica* recte tribuitur.

§. 102. Habet autem infallibilitatem, & potestatem suam iudicandi & praecipiendi a DEO. (§. 12. seqq.). Ergo O. Sc. auctoritas est a DEO per inspirationem (§. pr.).

§. 103. Quod uero Sc. sit a DEO, etiam sequenti ratiocinio solide probari potest. Sc. uel est a DEO uel a creatura, non datur tertium §. 49. diff. prol. (si enim a DEO & creatura simul statueres, nobis non eris aduersarius); si a creatura; tunc uel a bona uel mala; sed non a mala; haec enim tam sanctam immutationem totalem, utpote suae naturae inimicam, uelle non potest; nec a bona, haec enim non mentitur, dicit enim Sc. se esse a DEO, neque se esse DEUM affitmare potest, ergo est a creatore, qui est DEUS.

§. 104. Attamen ut in tam graui sum-

me-

meque necessaria materia, ad captum disponatur omnium; hinc recte uiri Theologi *signa* s. *motiua credibilitatis* addunt, quibus hominum animos praeparant, ut ueritati eo melius locum relinquant. Possunt uero haec ex ipsa Sc. desumi; uel aliunde extra Sc. S. Hinc non male in *interna* & *externa* diuiduntur.

§. 105. Quia uero Scriptura non solum uocabulis constat, quae in connexione sumta, phrases & periodos absoluunt, adeoque *materiam* constituunt (§. 61. Ont.); sed & sensum habet Θεοπνευστον, (quorsum res significatae adeoque & finis, nostra scilicet salus pertinet) qui *formam* facit Sc. Sacrae; hinc motiua credibilitatis interna, cum ratione materiae, tum ratione formae considerari possunt.

§. 106. Ad *interna* ratione *materiae* referunt *styli simplicis grauitatem*, quae est ea relatio, qua Sc. sibi fidem, sine uerborum delectu rationumque ponderibus ab omnibus aequaliter imperat. Hinc nullis uerborum lenociniis, lectores ad assensum rapere cupit; quin potius ex *nudis* illis *assertionibus* (e. g. sic DEVS dicit, praecipit &c.) sine rationibus interdum, attamen non sine summa auctoritate, imperatiue positis, DEUS tanquam noster Rex & Imperans,

(qui

(qui subditos & imperantes sine adulatione & pari modo adloquitur) ut auctor recte concludi possit. Quamuis non negandum, unicum hoc sigillatim sumtum aliquid quidem, non tamen multum probabilitatis habere, quod & B. SCHROEDERVS in opusc. de princ. Th. sect. 1, agnouit, aliique. uid HULSEMANNVS in comment. ad Ier. C. 1.

§. 107. Ratione *formae* DEVS ut auctor cognoscitur, ex summa, quam proponit, *sanctitate*, ubi, missis quae gentiles suis affinxerunt Diis, minime conuenientia (quod ipsi inter eos sapientiores agnouerunt CICERO de nat. Deor. Lib. 1.) DEO digna tribuit (§. 5-11); & ratione hominum tam serio omnem peccatorum etiam minimorum in cogitationibus, fugam detestationemque postulat; perfectionemque DEI similem, iniungit, & quae sunt alia.

§. 108. Pertinet etiam huc inuincibilis *ueritas*, partim 1) in *factis* recensendis *praesentibus*, & *praeteritis*; (ita e. g. miracula & facta MOSIS, PROPHETARUM, CHRISTI, Eiusque passio & resurrectio, APOSTOLORVM eorumque donum linguarum cet. non in angulo gesta sunt, sed coram multis hominum myriadibus, ad quarum experientiam propriam Scripto-

res

res S. prouocant Act. XXVI, 26.) & *futuris*, quorsum *uaticinia* quorum in Sc. permulta sunt, & euentus accuratissime respondentes pertinent, per quae DEVS a falsis Diis sese discernit Ies. XLI, 23. partim 2) in *doctrinis* quae adeo, suppositā horum factorum ueritate non possunt non esse uerae. Nullam enim falsitatem aut contradictionem ueram ratio monstrare poterit. conf. omnino SAM. BOCHARTI *Epist.* ad TAPINUM hic Halae 1723. seorsim recusa. Vt iam nihil de *consensu* librorum V. & N. T. & inter se etiam, aliquid dicam, praesertim si considéremus auctores librorum; qui etiam secundum criteria probabilitatis examinati, non possunt reprehendi. Quodsi enim ad eorum ingenii, morum temporum, locorum, quibus scripserunt & nati fuerunt, educationisque diuersitatem; actionum tamem & passionum conuenientiam & harmoniam attendas; clarebit: *unum* esse auctorem, qui diuersissimis hisce uiris, res tales inspirauit.

§. 109. Ad externa referuntur ea, quae *testimonio* quodam uerbali auctoritatem hancce probant, ut sunt *fides*, quae Scriptoribus S. non denegari potest. Nam ubi testes adsunt fide digni, testimonumque ab hisce profectum, adhucque integrum;

ibi

ibi locum habet fides (§. 180. sqq. Log.). Atqui respectu testimonii Script. res ita sese habet a) Ergo &c.

a) Fuerunt enim rei *experti*, praesentes, coaeui, attenti &c. & *sinceri* sine utilitate conf. uen. Ab. MOSHEMII heil. Reden die erste. HVG. GROTII de ueritate Relig. Christ. LIII, §. 5. edit. KOECHERI. itemque BOCHARTI Ep. §. pr. cit. Praecipue si consideremus, quod non solum ipsi, sua adnotarint malefacta; uariaque, quae passi sunt ob eorum testimonium, mala. Quod uero testimonia sint ab ipsis profecta, & non supposititia, declarat §. 26. & quod non sint corrupta §. 55. seqq. Ex quo etiam *supernaturalis* eorum de omnibus *conuictio*, adeoque quod reuera sint testes experti, concludi potest. Necessariam autem fuisse hanc conuictionem supernaturalem ex sapientia DEI (§. 39. Th. N.) claret; alias mala illa summo studio euitassent (§. 128. Psych), minimeque adeo testati fuissent; quo ipso autem DEVS finem suum non fuisset consecutus.

§. 110. Quia itaque fuerunt testes fide digni (§. 109); uerum est, fidesque ipsis habenda, si de inspiratione ipsis facta, testantur. Verum cum in inspirationis actu ab erroribus fuerint liberi quoad intellectum; a prauis uero affectibus, quoad uoluntatem; nihilominus tamen mala peccataque commisisse testentur ipsi 2 Sam.

XIV.

XIV. XI. 12. 1 Reg. XI. Apoc. XIX. 10. XXII. 8. 9. inspiratio non erat perpetua, sed actus transiens.

§. 111. Quod iam de Scriptoribus S. adnotauimus eorumque testimonio (§. 109.); id etiam de Script. profanis, Christianorum hostibus, qui alias, vt testes fide digni assumuntur, dicere licet. vid. GROTIVS l. c. L. III. IV. MORNAEVS de verit. Rel. Christ. Per-illustr. IVST. HEN. BOEHMERVS in diss. ad Plin. Sec. B. ANTONIVS in diss. de verit. Christ. rel. ipsis Iudæorum obtrectat. confirmata. PETR. ALLIX Betrachtung über die Bücher der heiligen Schrift. HVMPH. PRIDEAVX Harm. V. et N. T. cum Scriptor. profan. it. SCHVCKFORD. Harm. der Heil. und Profan-Scribenten in den Geschichten der Welt. Vol. I. et II.

§. 112. Licet etiam hoc de testimonio ecclesiæ proferre, quod de testibus fide dignis, dictum est. Nam non solum per religionem Iudaicam et Christianam, ex Sc. V. et N. T. haustam, innumera litteratorum aliorumque hominum pars, aliis honestioribus vitæ moribus, suos permutauit, sed et eo ipso docuit, se inquiuisse in Script. doctrinam. Quare tantam litt-

teratorum aliorumque multitudinem, in falsitatem conspirare potuisse, non est credibile.

§. 113. Denique praeter testimonia verbalia (§. 109-112.), alia occurrunt *testimonia realia*, qualia sunt 1) *doctrinae vocumque antiquitas*, quia omnia alia scripta aetate antecedit; 2) *miracula* gentilibus quoque nota, ad quae perpetranda DEVS ob sapientiam, se ductoribus haud assistit, si in salutis hominum aeternae periculum abuti illis possent: quia finis (§. 1.) alias non posset obtineri, dum hoc modo incerti redderentur. Hinc sine dubio derivanda inter alia 3) *propagatio* et *conseruatio religionis*, quae insuperabilia fere, si *auditores*, tanquam *hostes potentes interdum*, et irregiliosos, *doctrinamque*, sanctissimam vitae conversionem postulantem (§. 107.); nec minus *doctores*, omni specie externa carentes, spectes, obstacula habuit; quae hinc Sc. auctoritatem, magno probabilitatis gradu probant. Dubium enim de *Mahomede*, nullum est, siquidem gladio et igne, suas propagauit doctrinas. Quo etiam referas 4) *poenam vindictamque* adversus hostes persecutores, manifestam conf. LACTANTIVS de mort. persecutorum); nec non 5) *martyrum* varii generis, *ratione aeta-*

aetatis, *generis*, *sexus*, *eruditionis* cet. *constantiam* et *robur*, qui, nisi intime de divinitate Sc. S. convicti, tantas, respectu terrenorum, quibus humana corda adhaerent arctissime, strages sustinere haud potuissent. Omnem enim honorem, famam, voluptatem, opes, familiam, vitamque pedibus quasi conculcarunt. conf. Ven. IOACH. LANGII hist. eccles. et auctores hactenus citatos.

CAP. II.

DE THEOLOGIA REVELATA IN GENERE.

§. 114.

Quemadmodum Theologia naturalis, a fundamento, ex quo desumitur, scilicet a natura, ita adpellatur; sic revelata, a fundamento, quod vera revelatio s. Script. S. est, recte denominari potest. Quoniam vero ex Scr. S. omnia desumi debent principia, quae ad fidem pertinent (§. 16. 81.); hinc Theologiae idea, quia in multis, ut principium eam adsumemus, ex Scr. S. est haurienda.

§. 115. Nunquam autem *Theologiæ* vocabulum occurrit in Sc. S. *Theologi* nomen, in Apocal. quidem inscripsione legitur; verum hæc non tantum est dubia, sed et probabiliter, immo certo videtur falsa. Nam quia statim Cap. I. 1. IOHANNES ipse (quod nemo vocat in dubium) inscriptionem posuit; quid opus est alia? Nonne hæc est frustra, quod a sapientissimo DEO, qui via breuissima ad scopum tendit, exspectari minime potest (§. 41. Th. N.)? Deinde etiam IOHANNES se ipsum non poterit vocare Theologum, quod ambitionem proderet. Quapropter probabilius videtur, hocce nomen ab Ecclesia ipsi fuisse impositum. conf. ELSWICH de hac inscriptione. Denique, quia subscriptiones non omnes sunt a viris hagiographis; vid. SCHOMERI Paraphras. ad Epp. Paul. ideo et inscriptiones, ab ecclesia esse possunt.

§. 116. Quia itaque vox non est biblica (§. pr.); manet arbitraria (§. 80. log.). Attamen ex Sc. notas, optime desumere possumus. Ex dictis itaque 1 Pet. III. 15. Rom. XIV. 5. 1 Cor. XIV. 20. Eph. IV. 13. seqq. Ebr. XIII. 9. Phil. I. 27. Iac. II. 22. Eph. II. 20. Luc. XVI. 16. Ioh. V. 19. XVII. 3. sequens exsurgit *Theologiæ* definitio, quod sit:

sit: Scientia affectiua practica de DEO, ex Sc. S. hausta, modum reconciliandi DEVM docens Qui tali præditus est scientia, dicitur *Theologus*. Quod vero Theologia sit scientia, etiam ex eo patet, quia O. quæ Sc. dicit, certa sunt. Vbi vero certitudo; ibi ex immotis principiis, conclusiones deduci possunt, quod dicimus scientiam (§. 3. Prol. Curs. Philos.).

§. 117. Hinc intelliges nomina, quibus in Sciptura Theologia exprimitur. 1 Tim. VI. 3. Tit. I. 1. 1 Cor. II. 7. 2 Cor. IV. 6. Col. I. 9. Iac. III. 15. Luc. I. 77. etc. conf. BVDDEVS in inst.

§. 118. Essentia vocàbuli in imposita ipsi significatione consistit (§. 92. Log.). Essentiam ergo vocis Theologiæ expressimus (§. 116.); id quod etiam vocis deriuatio probat. Descendit enim a θεος et λογος, denotatque sermonem de DEO, vti Theleologia, sermonem de finibus rerum; Psychologia, sermonem s. rationem de anima; vbi semper vocabulum, cum λογος compositum, obiectum denotat.

§. 119. Ita etiam non solum Patres, sed et gentiles, hoc in significatu, Theologiæ vocem assumserunt. conf. B. BAIERI

Comp. Th. Pos. §. 1. n. a. f. Praecipue vero, quod sit scientia affectiva, non solum S. R. D. D. LANGIVS, in instit. sed et omnes Theologiae Doctores fere adsumunt, ne quid de illis, qui eruditione destituuntur, itemque de aliis facultatibus, eorumque vsu loquendi dicam.

§. 120. Quia itaque nostra Theologia (quae *viatorum est*) ex Sc. S. desumitur (§. 116.), Theologia vero sermo s. cognitio est de DEO (§. 118.) et DEVS optimam de se habet cognitionem (§. 30. Th. Nat.); Theologia DEI *naturalis* (§. 30. Th. N.), et *Archetypa* s. *exemplaris*, quam nobis revelare decrevit; itemque CHRISTI, qua hominis, quae *unionis* dicitur; nec non *Angelorum*; et *patriae* s *comprehensorum*, in vita aeterna, valde a nostra differt. *Ectypa* s. *exemplata*, est scientia eorum in creaturis rationalibus, quae DEVS ipsis revelare decrevit; quae tot gradus admittit, quot sunt homines.

§. 121. Si Theologia est Scientia (§. 116.); ex certis principiis conclusiones sunt deducendae (§. 3. Prol. c. P.) Verum cum certitudo vel a priori, vel a posteriori s. per experientiam esse possit (§. 9. 170. Log.); principia adhiberi possunt in Theologia, a priori et a posteriori cognoscibilia.

§. 122. Ergo, si principia a posteriori certa

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_0120
DFG

ta, in Theologia adhiberi possunt (§. pr.); in hisce vero ratio, s. modus existentiae et possibilitatis ut adducatur, non est necesse (§. 11. Prol. C. P.); Theologia scientia est, etiamsi non semper rationem et modum existentiae et possibilitatis adducere quaemus e. g. in mysteriis.

§. 123. Ergo, quia Theologia scientia est; (§. 116.) differt a *fide*, ubi iis, quae Sc. S. docet, etiam sine ratione s. ratiociniis, assentimur.

§. 124. Ex scientiae idea (§. 116.) porro sequitur, ut Theologus habitu sit instructus, veritates de DEO docendi, demonstrandi et defendendi.

§. 125. Quod (§. praec.) adduximus, alii, *tantum* ad Theologiae et Theologi ideam requirunt. Verum quamuis hunc loquendi usum non negemus; non tamen accurata est, sed incompleta et insufficiens idea, repugnans litteris non solum diuinis, dum affectiua practica requiritur (§. 116.); sed et *usui* loquendi. De moraliter malis enim, quibus Theologi nomen alias imponitur, dicere solemus: Estne hic Theologus?

§. 126. Quum igitur rectitudo vocabulorum sit obseruanda (§. 91. Log.); melius est, si illam (§. 116.) adductam, sub voca-

bulo Theologiæ, ideam adſumamus, quam hanc §. præc.

§. 127. Denique, ex ſcientia idea (§. 116.), ſequitur etiam, Theologiam methodo demonſtratiua non proponere poſſe. Quum vero methodus demonſtratiua, omnes diſciplinæ alicuius partes, *certa* connexione proponat (§. 167. Log.); ſyſtematica Theologiam docendi methodus, in eccleſia omnino retineri poteſt. Eſt autem *ſyſtema theologicum*: complexus veritatum theologicarum (§. 129.), quarum vna alterius rationem continet. 1 Cor. XIV. vlt. 2 Tim. II. 15. Eph. II. 20. 1 Cor. III. 6. ſeqq. IV. 1. quæ omnia connexionem monſtrant. Addi etiam poteſt ad probationem theſeos noſtr. Analogia fidei Rom. XII. 7. et vſus eccleſiæ per omnia ſecula. Fallunt ergo *Quakeri* aliique *Fanatici*, qui hoc negant; quod ex falſis eorum de Script. S. ſupra refutatis (§. 24. 49. 54.) theſibus, non poteſt non prouenire.

§. 128. Quoniam vero ſyſtematica methodus, non ſine labore; ſed ſucceſſiue addiſcitur (per exper.); ideo Theologia non eſt habitus infuſus, ſed acquiſitus. Rom. X. 14. Eph. I. 17. ſeqq. Actor. VIII. 31. XVII. 11. XVIII. 25. XXII. 3. XXVI. 26. 1 Tim. IV.

IV. 13. 2 Tim. II. 15. Tit. I. 9. Addi etiam possunt gradus fidei Ebr. V. 12. seqq. 1 Cor. III. 2. et Scholæ, a CHRISTO et Apostolis visitatæ. Rursus ergo fallunt *Quakeri* et *Enthusiastæ*, si Theologiam, pro habitu infuso habent, quæ tamen ipsorum thesis, vti ea §. pr. vel defendentium etiam praxi refutatur. Fons huius controuersiæ idem est, cum præc.

§. 129. Quoniam Theologia methodo scientifica proponi potest et debet (§. 127.); *veritates Theologicæ* s. doctrinæ ad satisfactionem spectantes, quæ modum reconciliandi DEVM includunt (§. 116.), omnes inter se habent nexum. Veritates autem Theologicæ, arcto nexu inter se cohærentes, doctrinamque fidei (h. e. *fidem, quæ* creditur) constituentes, dicuntur (simili a catena aut corpore humano desumto) *articuli fidei*. Dantur ergo articuli fidei.

§. 130. Sumuntur autem articuli fidei §. pr. in sensu latiori. In sensu enim strictiori, denotant *mysteria* fidei, ad beatitudinem, creditu necessaria, e. g. Trinit. S. Cœn.

§. 131. Quoniam itaque veritates theologicæ, vel ex sola Sc. S. vel ex Sc. et ratione simul, cognosci possunt; hæ vero, ar-

ticuli fidei dicuntur (§. 129.); ideo articuli in priori casu fidei *puri* s. *miri*, in posteriori *mixti*, recte adpellantur.

§. 132. Et, quia ex Sc. S. sola nostram salutem quaerere debemus (§. 16.); quae Christum tanquam medium reconciliandi DEVM monstrat; tota nostra salus a Christo et Sc. S. sustentatur. Quum vero id, quod alterum sustentat, *fundamentum* dicamus; Christus et Script. S. recte fundamentum salutis dicuntur; ille quidem, quia substantia est, *substantiate* s. *reale*: haec vero a dogmatibus, *dogmaticum*, Eph. II. 20.

§. 133. Articuli ergo fidei, sine quibus fundamentum salutis consistere nequit, dicuntur *fundamentales*: illi vero, sine quibus fundamentum salutis consistere potest, *non-fundamentales* vocantur. Ergo, qui salutem consequi intendit, fundamentales a) sciat, nec eos b) neget. Non fundamentales vero, a) ignonare et b) negare poterit. Hinc ab aliis *Problematici*, quia circa eos pro et contra libere disputare possumus, recte vocantur. Ergo, quid *Problema theolog.* sit ex his patet.

§. 134. Ex tractatione ipsa autem constabit, quaedam scitu esse necessaria *immediate* ad salutem, quaedam vero *mediate*, quae

quae per consequentiam demum salutis fundamentum concerunt. Hinc articuli fundamentales in *primarios*, sine quibus *immediate* salutis fundamentum consistere nequit; et *secundarios*, quibus sine *immediate* salutis fundamentum consistere potest, recte dividuntur.

§. 135. Ergo *primarii* nec ignorari, nec negari possunt (§. praec.); Secundarii vero, quia sine iis fundamentum salutis consistere nequit (§. 132.), *immediate* autem consistere potest (§. praec.); *mediate* demum destruunt salutis fundamentum, si illi scilicet negentur. Ergo negari non debent, quamvis ignorari possint (§. pr.).

§. 136. Quum vero articulos fidei, omnes intelligere debent, quibus ad salutem peruenire volupe est (§. 129.); ideo pro conditione subiectorum varie pertractari possunt. Vel enim articuli fundamentales primari, pro rudioribus, methodo erotematica proponi possunt, quae *Theologia catechetica* salutatur; vel omnes articuli fidei, methodo scientifica traduntur, quae *acroamatica* adpellatur. Quodsi Theologia acroamatica, terminis metaphysicis et Scholasticis usitatis, docetur; *Theologiae Scholasticae* nomen habet. *Catechismus* ergo, est liber articulos fidei fundamentales pri-

primarios, methodo erotematica, rudiorum gratia continens.

§. 137. Porro articuli fidei, secundum ordinem librorum alicuius ecclesiæ particularis normalium, pertractantur, quæ *Theologia Symbolica:* vel ex scriptis et expressionibus Patrum ecclesiæ recenseri possunt, quæ *Patristica* audit. Quodsi vero articuli fidei, secundum Chronologiam Sc. S. tractantur, historica dicitur. Et quoniam diuersis temporibus, varia cum hominibus DEVS iniit fœdera s. pacta; Articuli fidei, secundum hæcce etiam explicari possunt, quo in casu *Theologia fœderalis* nuncupatur. Fœderalis ergo, species est historicæ. Ex vsu vero loquendi etiam *historica* adpellatur, vbi articuli fidei (moralia præcipue, vt in Politica) exemplis ex historiarum monumentis, illustrantur.

§. 138. Denique, quia Theologia ex Script. S. est haurienda (§. 114.); Sc. vero credenda et agenda præscribit; credenda, ne confusio oriatur, s. vt distincte de omnibus iudicare queamus, peculiari scientia pertractari et probari possunt; sicut agenda. Hæc vocatur *Theologia moralis* s. *practica:* illa *thetica* s. *positiua.* Quodsi veritatum in positiua pertractatarum opinio-

niones contrarias aut contradictorias, in peculiari disciplina sistimus, easque refutamus, vocari solet *Polemica, Antithetica,* et a quibusdam, sed male, *eristica.* Vbi vero partem aliquam Theologiæ moralis, qua, media practica specialiora pietatis continentur, seorsim tractamus, vocatur *ascetica:* et si dubia conscientiæ, quæ forte circa actiones oriri possunt, resoluimus, pars hæc Theologiæ Moralis, *Theologia casuistica* nomen gerit.

§. 139. Verum cum Theologia positiua et moralis ex locis Sc.S. sit probanda (pr. §.), loca vero Sc. interdum obscura videntur; interpretanda sunt, vt verum verborum sensum capiamus; hæc vero Theologiæ pars, quæ regulas interpretandi Sc. tradit, vocatur, *Hermeneutica* s. *Exegetica:* quamuis sub Exegetica, alii, ipsum regularum interpretandi vsum, et adplicationem in certo quodam Script. libro, intelligant.

§. 140. Interim, quia Theologus docendi habitu instructus esse debet (§. 124.); habitu etiam præditus sit, necesse est, in conuentibus sacris dicendi, ad excitandam et confirmandam fidem. Talis vero habitus, per regulas acquiritur homileticas.

cas. Ergo adhuc Theologiae pars exiſtit, quae *Homiletica* vocatur. Ubi vero per orationem ſacram, fides excitatur et confirmatur reſpectu ſpecialium perſonarum, dicitur *Theologia Parenaethica.*

§. 141. Etſi vero §. 128. Theologiam, habitum acquiſitum et naturalem diximus; non tamen ideo negamus, eſſe eam, habitum quoque θεοσδοτον et ſupernaturalem, ſcil. ratione principii, quod eſt a DEO (§. 12.); et ex quo Theologia eſt deſumenda (§. 114.).

§. 142. Verum, non ſolum ratione principii (§. 12.), ſed et ratione acquiſitionis, Theologia revelata, dici poteſt habitus θεοσδοτος. Nam, quia ſcientia eſſe debet affectiva ex Sc. S. hauſta (§. 116.); ex qua convincimur, per teſtimonium Sp. S. internum (§. 28.), quod ſupernaturale eſt; certo modo ratione acquiſitionis, habitus *ſupernaturalis* dici poteſt. Iac. I. 17.

§. 143. Porro, quia eſt ſcientia *affectiva* (§. 116.); quae voluntatem movet, ut veritatibus cognitis convenienter vivamus (per def.); verus Theologus, cognitis veritatibus theologicis convenienter vivere debet. Quodſi vero veritatibus theologicis convenienter vivamus, ipſa ſentatione

ne in terna convincimur, rem ita se habere, prouti antea cognovimus (per def. sensat. §. 5. et 7. log.). Quum itaque haec sensatio, dicatur *experientia spiritualis* (per def.); ad veram Theologiam et Theologum, experientiam spiritualem necessariam esse, quilibet concludere poterit.

§. 144. Experientiam spiritualem (§. pr.), Sc. S. *gustum Spiritualem* nominare solet. Ps. XXXIV. 9. 2. Cor. XIII. 5. 1. Pet. II. 3. Ebr. VI. 4. 5. Ergo ad verum Theologum et Theologiam veram, requiritur etiam gustus spiritualis.

§. 145. Quodsi vero Theologia est scientia affectiva *practica* (§. 116.); non sufficit, ut veritates theologicas tantum sciamus, sea ut iis etiam convenienter vivamus, et in actum eas deducamus; id quod etiam ex (§. pr.) claret.

§. 146. Si vero ex Sc. S. haurienda est (§. 116.); Theologia *Fanaticorum* et *Enthusiastarum*, vera Theologia esse nequit.

§. 147. Denique si modum DEVM reconciliandi docet (§. 116.); rursus *Fanaticorum, Diabolorum*, omnisque *Mataeologia Hereticorum, Schismaticorum, Syncretistarum* et *Sceptiorum*, hic ut falsae reiiciuntur.

§. 148.

§. 148. Quia vero Theologia est habitus acquisitus (§. 128.); per crebras actiones acquiri potest. Qui Theologiam sibi acquirere adlaborat, dicitur *Studiosus Theologiæ.*

§. 149. Quoniam itaque Theologiæ Studiosus, ex Sc. S. Theologicas desumere debet veritates (§. 116.); Sc. S. vt diligentissime legat, est necesse; quo familiaria sibi reddere possit principia, ex quibus conclusiones veritatum Theologicarum concatenato nexu deriuare licet. Hunc in finem sufficit quidem aliquatenus diligens Sc. S. lectio, etiam in versionibus. Verum, quum ex textu originali meliori modo, ideas, quas Sp. S. ipse inspirauit, discere possit; vt certus sit, hunc non alium Sp. S. esse sensum; in fontibus ipsis, legere debet. Ergo linguas *Ebraicam, Chaldaicam* et *Græcam* cum *accentuatione,* optime calleat. Et quia ex aliis linguis orientalibus, quales sunt *Syriaca, Samaritana, Arabica* etc. originales illustrantur; ideo *pro scopo,* hasce etiam sedulo addiscat.

§. 150. Sed verum sensum minime intelligit, nisi easdem cum verbis, ideas iungat, quales habuit DEVS (§. 81. Log.). Regulas ergo verum verborum Sc. S. sensum eruendi, sibi familiares reddat; quas

quas cum tradat *Hermeneutica S.* (§. 139.) hac in Theologiae parte hospes minime esse potest.

§. 151. Verum Sc. S. haud raro ad ritus et antiquitates Ebraeorum, Graecorum, Romanorum, aliorumque adludit, itemque historias recenset profanas, et ecclesiasticas, nec non loca profert, in quibus notatu digna, facta sunt; quae omnia, sine cognitione *antiquitatum Ebraeorum, Graecorum, Romanorum*, aliorumque; itemque sine *historia universali* et *ecclesiastica*, et *Geographia*, praesertim *sacra*, intelligere minime potest. Ergo hasce etiam disciplinas, ut sperspectas habeat, est necesse.

§. 152. In Sc. S. *termini* et facta interdum occurrunt, ex *Jure* et *Philosophia* desumta Ergo terminos illos et Jura etiam intelligat Theologiae studiosus. Varia, e. c. occurrunt Jura, in historia Passionis.

§. 153. Caue tamen putes, ac si aliquot tantum, et quidem pauciores, ex Philosophia desumendae sint ideae. Immo perplures, prouti optime monstrauit B. RAMBACHIVS, in instit. herm. sacr. id quod etiam inde patet, quia omnes Philosophiae partes nexu artissimo inter se cohaerent. Ne

igitur Theologus, in concionibus sacris se, suumque, quod gerit officium sacrum prostituat, si forte contra actiones Principis loquatur, quarum rationes saepissime reticentur, & ab imperitis ideo pro iis, quae Reipublicae salutem tollunt & euertunt, habentur, (quia iura imperantium non perspiciunt); ideo scientiam *Politicam* intelligere debet Theologus; vt ne iam de illis dicam, qui concionatoris aulici officio aliquando fungentur. Politica vero, sua principia ex Philosophia morali, Ethica et Iure Naturae desumit (§. 9. 17. Polit.); Ergo, quia sine principiis, conclusiones intelligi nequeunt (§. 9. Prol. Philos.); *Ethicam* et *Ius Naturae* intelligat Theologiae Studiosus. Ius naturae porro officia s. leges naturales continet (§. 1. I. N.); quae nisi intelligat, homines, Sacram Script. reiicientes, quales hodie proh dolor! permulti sunt, neque in iuramentis, neque in aliis officiis, quae negligunt, conuincere poterit. Et quod ad Ethicam attinet; uirtutes naturales exponit (§. 4. Eth.), nec non earum media, et impedimenta (§. 5. 6.). Ne itaque Theologiae Studiosus in Naturalismum procliuis fiat; naturam et gratiam probe discernat, est necesse. Quod cumfieri nequeat, nisi cognitis uirtutibus natu-

naturalibus, earumque mediis ac impedimentis; Ethicam intelligat. Ethica uero et Ius N. uti Politica, sua principia ex Philosophia Practica uniuersali, desumunt. Ergo (quia conclusiones sine principiis intelligi non possunt), Philosophiae Practicae uniuersali, operam dare obligatur Theologiae Studiosus (§. 9. Prol. Phil. et §. 1. Ph. Pr. Vn.). Sin hac etiam, insufficientiam Rationis ad Salutem, defendere contra *Naturalistas*, non poterit (§. 38-49. Ph. Pr. Vn.). Ergo et hoc respectu, Disciplina nostra, quam maxime vsum praestabit. Quoniam uero Iuris N. principium est: *cuiusuis rei naturae conuenienter est uiuendum:* (§. 6. I. N.); naturae autem conuenienter uiuere non possumus, nisi naturam cognoscamus; ante omnia naturam rerum, quae partim quoad corpora in *Physica:* quoad spiritus creatos, in *Pneumatologia:* quoad increatum, in *Theologia Nat.* addiscitur (§. 16-25. Prol. Philos.), cognoscat Theologiae Studiosus. Dictas ergo disciplinas negligere nullo modo potest. Dictae autem disciplinae, principia Ontologica et Cosmologica praesupponunt (§. 5. Cosmol. et 5. Ont.). Ergo, quia conclusiones sine prin-

cipiis intelligi nequeunt §. 9. Prol. Phil.); *Cosmologiam* pariter et *Ontologiam* addiscat Theologiae Studiosus. Et, quoniam sine hisce disciplinis, quae Metaphisicae conceptum absoluunt (§. 5. Ont.), nec Atheus conuinci (§. 1-13. Ph. N.); nec reliquae disciplinae, rite pertractari possunt (§. 4. Ont.); ideo *Metaphysica*, Studioso Theologiae, ualde est commendanda. Denique, quia ex Matheſi, plurima Sc. S. loca explicanda sunt; *Matheseos* studium sibi familiare reddat, Theologiae Studiosus. Ceterum, quia Theologia scientia est (§. 116.); scientia uero habitus demonstrandi; demonstrationis methodum necessario intelligere debet Studiosus Theologiae. Quum uero haec, sine ratiociniis, quae iudicia et ideas, definitionesque supponunt, esse nequit; meditatione porro uti omnes eruditi, ita inprimis Theologus carere non possit (§. 193. Log. et §. 38. Philos. Prol.), cogitationes hae autem Logicam absoluant (§. 31. Phil. Prol.); sine *Logicae* regulis minime esse poterit Theologiae Studiosus. Praecipue si attendamus, quod per consequentias disputare, ipsi haud raro sit necesse (§. 91. seqq.

§. 154. Quodsi his praesidiis (§. 138-153.) sit instructus Theologiae studiosus; mox idoneus

idoneus redditur ad eruendas propositiones ex Sc. S. quae ad cognitionem DEI solidam, eiusque opera spectant. Quum uero scientia Theologica de DEO eiusque operibus, *Theologia thetica s. positiua* dicatur; in Theologia uero, talis scientia necessaria sit (§. 138.); Theologiae studiosus, *Theologiam positiuam* excolat, est necesse.

§. 155. Verum, quum Theologia sit scientia affectiua practica (§. 116.), qua principiis, in Theologia positiua cognitis, conuenienter sit uiuendum (§. 134.); in quibus uirtutes Christianae continentur; Scientia autem uirtutes Christianas tradens, *Theologia moralis*, s. *practica* salutatur; Theologiae morali studeat, Theologiae Studiosus, necessario requiritur.

§. 156. Hisce, quae in Theologia thetica et morali proponuntur, ueritatibus, haud raro contradicunt, argumentisque eas impugnant, contrarium sentientes. (per exp.). Quum itaque in ecclesia e. g. pressa, facile non solum cum ipsis contradicentibus, sed et cum ipsis auditoribus, qui ab aliis dubia audiuerunt, aut legerunt, controuersia oriri possit, quo in casu dubia soluere et intelligere tenetur, alicuius loci pastor; hinc ipsi incumbit, ut dubia aduersario-

rum, et reſponſionem ad ea intelligat. Hoc uero docet *Theologia Polemica*; (§. 138.) E. in Polemicis non ſit hoſpes Theologiae Studioſus. Vt de illis, qui in ſublimiori officio theologico a DEO aliquando conſtituuntur, nihil dicam. Tit. I. 9. 14. 2. Tim. II. 24. ſeq. III. 16.

§. 157. Denique, quia Theologiae Studioſus Paſtoris officium anhelat, qui in conuentibus ſacris, tum, per orationes ad fidem excitandam et confirmandam habitas, docere; cum, per quaeſtiones et reſponſiones, articulos fidei primarios, rudioribus inculcare et explicare debet, quo in caſu *catechiſationes* in priori *conciones* uocantur; Theologiam *homileticam* et *catecheticam* intelligat Theologiae Studioſus (§. 136-140.).

§. 158. Quoniam Homilia eſt oratio; (per def.) orationum uero leges in *Oratoria* proponuntur; hinc Theologiae Studioſus in oratoria ſit uerſatus.

§. 150. Errant igitur Fanatici, omnia ſubſidia humanae eruditionis reiicientes, merito ideo caſtigati in diſſ. *noſtr. de harmon. fid et rationis, ſ ueritate unica.*

§. 160. Haec omnia, quae (§. 149-158.) adduximus, requiruntur ad facultatem *cognoſcitiuam* Theologiae Studioſi. Verum

rum ex his etiam quaedam fluunt requisita, respectue facultatis *appetitiuae*. Nam quia Theologia est scientia affectiua (§. 116.); scientia uero habitus (§. 3. Ph. Prol.); cognitis principiis, ut per crebras actiones sibi habitum acquirat, uitam conuenienter instituat, h. e. *pius* sit atque *uirtuosus*. Ergo etiam habeat experientiam et gustum spiritualem (§. 143. seq.). Ergo mala fugiat. Quoniam uero mala ex confusa oriuntur repraesentatione (Diss. Prol. §. 9-14.); confusa cognitione non sit contentus, sed quaerat in omnibus distinctam.

§. 161. Ergo, quia affectus oriuntur ex confusa repraesentatione (§. 103. Psych.); non sit *sub dominio adfectuum*, multo minus *in statu seruitutis* (§. pr. et §. 124. Psych.).

§. 162. Porro, quia de ueritatibus suis sit conuictus, quod per internum Sp. S. testimonium praecipue obtinetur (§. 28.) 1. Cor. II. 5. seqq. ubi seriae et ardentes necessariae sunt preces Marc. XI. 24. Jac. I. 5. 6. Psal. CXIX. 18; Theologiae Studiosus praecipue in studio suo feliciter pertractando, sub *initium* laborum, in *processu*, et *finitis laboribus*, *semper*, mittat ad Deum preces.

§. 163. In sensatione mens passiue sese habet (§. 5. Log.). Quum itaque experientia et gustus spiritualis in sensatione consistant (§. 143. seq.)

ideo

ideo passiue sese habeat Theol. Studiosus; h. e. *patienti animo* ferat, quae ad hunc spiritualem gustum pertinent, DEOque nullo resistat modo. Quoniam uero ueritates Theologicae partim naturae nostrae, gratae; partim ingratae sunt et uidentur; spiritualis experientia et gustus consequi non potest, nisi etiam gustemus amara. Ergo et per *tentationes*, et *crucem*, (utpote quae ad veritates Theologicas pertinent), experientiam spiritualem sibi acquirit Theologiae Studiosus.

§. 164. Quoniam itaque sine oratione §. 162.), meditatione (§. 149-158.), et tentatione (§. 163.), nemo Theologiae studiosorum, Theologiam sibi acquirere potest; recte B. LVTHERVM haec tria facere Theologum, pronnntiasse, constat. Ergo media, haec tria sunt ad Theologiam (§. 80. Ont.). Conf. hic omnino B. FRANCK. ideam Studios. Theol.

§. 165. Vbi uero media, ibi est finis (§. 80. Ont.). *Finis* ergo Theologiae est reconciliatio cum DEO (§. 1.); quae uera fide obtinetur. Ergo *finis* et quidem *intermedius* Theologiae est fides, quae includit poenitentiam et sanctimoniam uitae. Qui credit, saluatur Marc. XVI. 16. Ergo finis *remotus et ultimus* est Salus aeterna. Joh. XX. ult. Ebr. XII. 14.

§. 166. Si itaque fidem per Theologiam obtinere intendimus (§. pr.); homo peccator, *subiectum Theologiae* recte constituitur.

THEO-

THEOLOGIA POSITIVO-POLEMICA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_0139
DFG

THEOLOGIAE POSITIVAE POLEMICAE.

CAP. I.
DE
DEO TRINVNO.

§. 1.

Theologia positiua de DEO agit eiusque operibus (§. 154. Prol.). Ergo ante omnia de DEO nobis est agendum. Vt uero DEVM in Sc. S. quaerere et inuenire ualeamus; nomina, quibus ibi exprimitur, ante omnia sunt consideranda.

§. 2. Demonstrauimus autem in Theol. Nat. quod DEVS sit ens a se, et necessario existat (§. 5. 9. T. N.). Hinc etiam DEVS in Sc. S. tale sibi ipsi imposuit nomen, quod suam exprimit essentiam. Est illud nomen יהוה adeoque essentiale recte dici potest. Nam ui originis (descendit enim a radice הוה fuit cum praeformatiuo futuri ex Piel et ־ signo praeteriti, nec non ׳ participii) denotat Ens *praesens, praeteri-*

teritum et *futurum*: et quidem, quia ex Piel, quod *intenſionem* indicat, (DANZ. interpr. §. 84.) tale exiſtens intelligitur, quod ſine determinatione aut limitatione alicuius temporis exiſtit; h. e. quod ſemper et neceſſario exiſtit. Probatur hoc etiam ex ipſa DEI explicatione Ex. III. 14. quod ſeptuaginta (Futurum enim omnia tempora adeoque et participium exprimit), reddiderunt: Εγω ειμι ο ων, *ego ſum ens*, ſ. *exiſtens*; h. e. propter naturam meam *neceſſario exiſto*. Eodem loco vertunt: *o ων miſit me ad uos*. Ex collatione itaque Apoc. I. 8. neceſſitas exiſtentiae in DEO, abunde probatur; et ex uerſione *exiſtens*, *qui eſt exiſtens*; h. e. mihi exiſtentia tanquam praedicatum neceſſario competit. Hinc nomen hocce DEVS ſibi ſoli uendicat. Num. VI. 24. ſeq. Eſ. XVII. 8. cum excluſione, Pſ. LXXXIII. 19. Non autem יה idem eſt cum יהוה uel ex eo per apocopen, aut ſyncopen formatum, ſed ex יאה adeoque *decus* denotat ſ. *perfectionem*.

§. 3. Ergo quia יהוה DEO ſoli competit (§. 2.); eſt nomen DEI proprium (per def.). Hinc in S. Sc. attributa nominis proprii; circa illud, obſeruamus ſc. quod non adſit pluralis; nullum cum eo coniungatur ſuffixum; et non ponatur in ſtatu conſtructo;

cto, aut cum ה articuli conf. DANZ. Int. §. 57.

§. 4. Ergo quia nomen proprium ordinarie non ponitur in ſtatu conſtructo (§. 3.); ſub quibus circumſtantiis DEO *ſoli* competat, patet, ſc. ſi ponatur *in caſu recto*, uel *ſimpliciter*: alias denotat excelſum. DANZ. Int. §. 14. 6.

§. 5. Fallunt ergo Sociniani ſi ſtatum conſtructum ſomniant, ubi DEVS dicitur יהוה צבאות Subintelligendum enim eſt mox אלהי uti dicta Pſ. LXXXIX. 9. Jer. XV. 16. Hoſ. XII. 6. probant. De pronunciatione Judaeorum ſuperſtitioſa, non opus eſt, ut aliquid addamus.

§. 6. Quoniam in DEO pluralitas occurrit perſonarum (§. 49. Diſſ. Prol.); ſapientiſſimum Numen etiam tale ſibi in S. Sc. tribuit nomen, ex quo pluralitas concludi poteſt. Eſt autem illud אלהים Deſcendit a rad. Arab. et denotat: *coluit, ueneratus eſt.* Hinc DEVS Ens eſt, omni ueneratione et cultu dignum. Quod uero pluralitas inde cognoſci poſſit; elucet ex numero plurali, cum tamen ſingularis אלה etiam ſit in uſu. Dantur quidem nomina, quae terminatione, pluralem, ſignificatione uero, ſingularem indicant,

dicant, e. g. פָּנִים etc. sed pluralis numeri sunt tantum; adeoque nil contra thesin nostram concludi potest. Attamen nostra uox communicatur ob similitudinem quandam in Sc. S. etiam *Idolis*, Jud. XVI. 23. 24. *magistratui* Ps. LXXX. 1. seqq. Joh. X. 34. itemque *angelis*. Ps. XCVII. 7. Ebr. 1. 6.

§. 7. Quoniam DEVS est omnipotens (§. 53. Th. N.); recte in Sc. S. dici potest אֵל a rad. אול fortis fuit; attamen creaturis tribuitur Dan. XI. 36. Jes. XLIV. 17. Non ergo est ex אֱלֹהַּ

§. 8. Ex eadem §. pr. ratione et quia est Dominus Dominorum, et Rex Regum (§. 6. Ph. Pr. Vn.); dici potest quam maxime אֲדֹנָי a rad. ארן robustus fuit. אָדוֹן quidem significat Dominus, ad formam כָּבוֹד. Verum ־ֹן est paragogicum, non suffixum, ut alii, sed falso putant. Quomodo enim DEVS, Jes. VIII. 5. 7. Se ipsum suum nominare posset Dominum? Deinde suffixum habet (־) non (ר). Quodsi uero suffixum (ר) habeat, est ab accentu Domino. conf. DANZII Praef. ad Paradigm.

§. 9. Haec de nominibus in V. T. Solent alias numerare decem-conf. HIERO-

RONYMVS Epist. CXXXVI. ad MARCELLIN. In N. F. dicitur θεος et κυριος. sed *uerum* et trinunum DEVM denotat, cui in N. T. respondet θεος et κυριος, (a κυρω, *esse, fieri, causari*) adeoque pro synonymis habentur; 1. Cor. VIII. 56. Gal. IV. 8. Marc. XII. 29. coll. Deut. VI. 4. haec uocabula denotare DEVM, sequitur, (§. 4.); quod etiam ex indignatione Iudaeorum patet Ioh. X. 33. itemque ex distinctione, 1. Cor. VIII. 5. 6. adhibita.

§. 10. Non tamen negamus, quod interdum nomina DEI, uti (§. 6.); ita et *Satanae* 2. Cor. IV. 4. *impiorumque idololatriae* Philipp. III. 19. imponantur. Verum haec omnia *improprie*, *aequiuoce*, et κατα ψευδος fieri, ex regula Hermeneut. elucet, quae praecipit, *a proprio uocis significatu, nisi urgeat necessitas, non esse recedendum.* Ergo instantia, a nomine illo hominum proprio: *quod uult* DEVS, desumta, nihil ualet.

§. 11. Cadit ergo *Socininanorum* dubium, quia nomen DEI aliis rebus imponitur, illud non posse denotare uerum DEVM, ex §. 10. Hoc enim fit improprie.

§. 12. Vnde θεος descendat, dubium est

Alii

Alii enim απο τϑ θεαϑαι a contemplando; alii a θειν currendo; rursus alii a θειν ponendo; s. faciendo, quia omnia creauit; alii ab αιθειν aburendo, deriuare solent. Verum res est incerta. Male ergo *Sociniani*: DEVM dici ab operationibus suis θεον; ergo non posse denotare DEVM essentialem, statuunt. Praeterea, quae haec est consequentia?

§. 13. Vox θεος mox *cum* Ioh. XI. 4. XIII. 3. mox *sine* articulo inuenitur. Luc. II. 14. III. 2. Fallunt ergo *Sociniani*, si statuunt; tunc demum, verum intelligi DEVM, si θεος *cum* praefixo articulo ponatur. Ergo contra eos ex Ioh. XX. 28. CHRISTVM esse uerum DEVM, concludere possumus. Ergo articuli *locus*, mutare significatum minime potest.

§. 14. Quoniam idem est, siue subiectum propositionis priori siue posteriori ponatur loco (per. pr. log.); fallunt rursus *Sociniani*, statuentes: tunc demum, uerum DEVM denotare, si θεος loco *subiecti* ponatur. Ergo per instantiam ex Act. XX. 25. contra eos concludimus. Praeterea uariatur locus, ubi θεος loco praedicati etiam inuenitur. Matth. XXII. 32. Act. VII. 42.

§. 15.

§. 15. Ex iisdem rationibus (§. 13. 14.) refutantur etiam Socinianorum dubia de uoce κυριος. Volunt enim tunc demum uerum intelligere DEVM, si *fine* articulo uox sit posita. Sed refutantur ex Matth. l. 22. ll. 15. Luc. l. 9. Vlterius uero ex Rom. XIV. 11. ubi κυριος loco subiecti deprehenditur, cum tamen ex eorum sententia si uerus DEVS exprimitur, stare debeat, loco praedicati.

§. 16. DEnique ab impossibilitate nominis diuini, ex Prouerb. XXX. 4. contra nos argumentantur. Verum hic non de impossibilitate *nominis*, sed de impossibilitate *notitiae* seu scientiae ueri DEI sine reuelatione, loquitur auctor; adeoque de notitia DEI adaequata. In multis enim Sc. S. locis nomen DEI, pro ipsa scientia DEI ponitur.

§. 17. Haec de nominibus. Iam de re ipsa agamus. Ante omnia uero de existentia, quam Sc. S. in omnibus fere paginis declarat. Vbi recte ita argumentamur: Q. operatur, existit; (§. 6. Ont.) DEVS operatur. Gen. l. 1. etc. E. DEVS existit; quod etiam in Theologia Nat. abunde probauimus. (§. 1.-24.)

§. 18. Verum dicis. Ita contradiceremus

mus Apoſt. Ebr. XI. 6. ſecundum quod effatum, exiſtentiam, *credere* debemus. Reſpondemus canono alias notiſſimo: poſito vno, non tollitur alterum. Credere enim magis hic inuoluit, quam ſcire; ſenſus enim, eſt, vti antecedentia probant, credendum eſſe: DEVM, *tale ens eſſe*, quale in Sac. Sc. nobis deſcribitur.

§. 19. Deſcribitur autem in Sc. S. vt Ens a ſe, in Patre, Filio, et Spiritu S. ſubſiſtens. Exod. III. 14. Ieſ. XLI. 4. XLIV. 6. Rom. XI. 36. 1 Ioh. V. 7. Marc. XVI. 16.

§. 20. Quod vero ſit *Ens a ſe*, ſ. quod rationem exiſtentiæ in ſe ipſo habeat; etiam ex Gen. I. 1. et Rom. IV. 17. itemque ex ratione (§. 5. Th. N.), diſcimus. Nam, quia ex dictis et (§. pr.), DEVS omnium rerum cauſa eſt: omnia produxit (§. 1. Ont). Ergo a mundo non dependet, ſeu, rationem exiſtentiæ ſuæ, non in eo habet (§. 1-24. Th. N.). Se ipſum autem producere haud potuit (§. 67. Ont.). Ergo exiſtentia eſſe debet a ſe; id quod nomen ipſi proprium יהוה (§. 2. ſeq.), abunde etiam probat. DEVS ergo recte dici poteſt *ens a ſe*.

§. 21. Verum, et ſpiritum eſſe demon-

ſtrauimus (§. 26. Th. N.). Ergo eſt Spiritus a ſe, in P. F. et Sp. S. (§. 19.) ſubſiſtens. Ioh. IV. 24. et §. 19.

§. 22. Poterit ſane pro noſtro concipiendi modo, ita *definiri* DEVS, vti (§. pr.) indicauimus. Nam notæ hæ, primum DEI conceptum inuoluunt, adeoque eſſentiam rei (§. 14. Log.), et per conſequens definitionem exprimunt (§. 94. Log.). Quodſi vero per definitionem, completam non tantum, ſed et adæquatam rei expreſſionem intelligis, DEVS definiri nequit. 1 Cor. XIII. 12. Sufficit autem hic, quod tales adſint notæ, quibus DEVS ab omnibus aliis, quæ exiſtunt, rebus, diſtingui poſſit. Tota ergo controuerſia eſt Logomachia.

§. 23. Quoniam vero DEVS ens a ſe (§. 21.): eſt etiam independens et neceſſarium (§. 7. 8. 9. 10. Theol. N.); adeoque immutabile (§. 41. Ont.) Pſ. CII. 27. 28. conf. dicta (§. 19. 20.) adducta. DEVS ergo, quia prorſus independens (§. 8. Th. N.): prorſus etiam immutabilis eſt, etiam ratione voluntatis, quod *inuariabilitas DEI* dicitur. Nam, vel in peius, vel in melius ſe mutaret: quod cum ſit abſurdum, ob ſapientiam (§. 39. Th. N.): mutatio

tio DEI, etiam quod voluntatem est absurda. Num. XXIII. 19. Prouerb. XIX 21. Contra *Socinianos*, mutabilem statuentes.

§. 24. Si prorsus immutabilis (§. 23.): etiam est incorruptibilis et immortalis (§. 251. et §. 254. Psych.), Rom. I. 3. 1 Tim. VI. 16. Iac. I. 17; nullaque in EVM accidentia cadunt.

§. 25. Ex his (§. 23. 24.), consequitur: quod non sit corpus, aut ens compositum, adeoque non habeat partes, neque in partes resolui possit (§. 11. Theol. N.). Porro, quod non esse mundus possit, aut rerum natura, elementum, nec animæ nostræ (§. 12. Theol. N.). Hinc *Weigeliani* Sec. XVII. fallunt, si creaturarum essentiam existentem, pro DEO habent. vid. *Caluœri Fissur. Sion.*

§. 26. Et quoniam est ens necessarium (§. 23.): etiam est *æternus*. Contradictio enim, nisi sine initio esset et fine. Ap. I. 4. XI. 17. Ps. CII. 28. coll. 2. Pet. III. 8. Ergo æuiternitas de DEO dici nequit (§. 38. Ont.). Quamuis vero æuiternitas in Sc. S. nonnunquam etiam pro æternitate ponatur Ioh. X. 28: non tamen habere hic locum potest, quia rationi contradiceret

(§. 10. Th. N.). Qua ex ratione omnes termini excluduntur, licet in Sc. S. æternitas pro termino indefinito ſumatur, Gen. VI. 3. XIII. 15. Ex. XXI. 6. Col. I. 4.

§. 27. Ex neceſſitate porro (§. 23.), ſequitur: DEVM, omnia, quæ in eo poſſibilia ſunt, ſimul habere, quod *infinitum* dicamus (§. 54. Ont.). DEVS ergo eſt infinitus. Ergo nulla in eo locum habere poteſt ſucceſſio. Pſal. CXLV. 3. Hiob XXXV. 7. XXII. 2. leſ. XL. 13-18. Rom. XI. 33-36. contra *Socinianos*.

§. 28. Ergo, quia in DEO nulla eſt ſucceſſio (§. 27.): æternitas DEI etiam ſine ſucceſſione *interna*, eſſe debet. Diſtinguendum igitur eſt, inter tempus intrinſecum et extrinſecum (§. 37. Ont.): qua diſtinctione obſeruata, facile ad dubia *Sociniano-rum et Remonſtrantium* reſpondere poſſumus. DEVS enim, ſi ſucceſſionem concederemus, mutabilis fieret, quod abſurdum (§. 23.). Ergo, res magni eſt momenti, et non exigui, quod *Remonſtrantes* putant. Inprimis vero vitium committunt Anthropomorphiſmi (§. 43. Th. N.), quæ optima eſt ad eorum dubia, reſponſio Apoc. I. 4.

§. 29. DEVS non eſt compoſitum (§. 25.). Ergo eſt ens *ſimplex* (§. 48. Ont.), quod nullas partes

partes habet. Ergo *realiter* compositus non est; quamuis compositionem *ratione tantum* concedere queamus (§. 36. Log.). Et, quia immutabilis est et infinitus (§. 23. 27.): nulla in Eo, locum habent modificatio; aut accidentia, quæ abesse et adesse possunt salua re (§. 54. Log.); quo ipso fieret mutabilis. Quoniam vero *modi analogum* est, cuius oppositum enti infinito absolute non repugnat, quod tamen rationem sufficientem in eodem non agnoscit, cur actu vnquam insit: modi analogum, in ente infinito esse potest; attamen non *absolute*, sed *hypothetice necessarium*; quo ipso, *Sociniani*, *accidentia* ipsi tribuentes refutantur, ita vt a) ex decretis, b) *posse* DEI, nullum formare dubium possint.

§. 30. Verum Sc. S. DEVM nobis sistit, vt corpus, adeoque vt compositum. Membra enim humana Ei adscribit plurima, itemque affectus. 2 Sam. XXII. 16. Ps. XCV. 4. CIV. 2. Attamen describit Eum rursus vt Spiritum Ioh. IV. 24. Quum igitur nulla in Sc. S. esse possit contradicto (§. 4. 8. 10. Prol.); prius vero rationi contrarium (§. 25.); verbaque in Sc. S. sensum habeant: aliter hæc dicta explicari debent; alias etiam vitium committeremus Anthropomorphismi (§. 43. 44. Th. N.). Ergo Θεοπρεπως

τως s. per συγκαταβασιν explicari debent. Verba enim impropria, ob similitudinem quandam formantur (§. 88. Log.). Ergo explicaturus hæcce loca, de similitudine intercedente cogitet, qua inuenta, facilis erit explicatio, prouti de affectibus monstrauimus (§. 65. Th. N.). E. g. Auribus nostris percipimus petentium clamores, quibus impulsi, auxilium illis præstamus. DEI ergo *auribus* aliud denotatur nihil, quam vt cognoscat nostras preces, easque interdum exaudiat. Recte ergo regula sese habet: quod locutiones illæ, de *effectu et affectu sint intelligendæ.* Et sic etiam in reliquis.

§. 31. Ergo, quia est ens simplex: omnia ipsi sunt tribuenda, quæ de simplicibus adduximus (§. 51. Ont.). Caret ergo DEVS figura, magnitudine, motu, partium situ, nec spatium replet.

§. 32. Quodsi itaque in Sc. S. DEO, adscribitur magnitudo Ps. CXV. 3. intelligenda est de immensitate §. 27.). Est enim *immensitas,* attributum, quo DEVM ita considerамus, vt nullius rei perfectiones, cum suis, ad obseruandum aliquem inter eas, gradum, comparari possunt. Duplici ergo modo DEVS dicitur immensus,

1) ra-

1) ratione perfectionum; et 2) quia eum metiri, ob simplicitatem, non possumus. Demonstrationem vide (§. 59. Th. N.).

§. 33. Cuius vero perfectiones ita sunt comparatæ, vt omnes alias infinite superent, *perfectissimus* dicitur; Atqui DEI perfectiones sunt tales (§. pr.); ergo est perfectissimus Matth. V. 48. Psal. LXXXVIII. 6. CXLV. 3. Quoniam enim magnitudo, ipsi non adscribi potest proprie sic dicta, intelligenda de perfectionibus 1 Tim. VI. 16. *lux*, enim, perfectionem denotat; e. g. dicimus, intellectus illuminatus, h. e. perfectus. Potuisset etiam hoc attributum ex infinitate demonstrari (§. 27.).

§. 34. Immensitatem alii, tanquam synonymum omnipræsentiæ habent; aut omnipræsentiam, saltem hac occasione statim pertractant. Verum, differre ea inter se, infra, positis principiis, demonstrabimus.

§. 35. Quia itaque DEVS est immensus (§. 32.): est etiam vnus. Et quia nihil est sine ratione sufficiente (§. 24. Ont.); *vnius* vero DEI idea sufficit, ad totius vniuersi productionem; vti totum hocce caput docebit: *vnicus* etiam est DEVS Deut. VI. 4. 1 Cor. VIII. 6. 1 Tim. II. 5. 6. Iesa. XLIV. 6. 8.

§. 36. Non ergo cum Manichæis, duo sunt statuenda principia, refutata (§. 124. seq. Th. N.).

§. 37. DEVS est Spiritus (. 21.). Spiritus vero quum intellectum habeat et voluntatem (§. 97. Pn. oc.): DEVS etiam intellectum 1 Sam. II. 3. Ps. CXLVII. 5. Rom. XI. 33. 34. et voluntatem, habere debet. Ps. CXV. 3. Ies. XLVI. 10. Rom. IX. 19.

§. 38. Spiritus autem cogitat (§. 97. Pn. oc.). Ergo, DEVS etiam cogitare debet (§. 37.).

§. 29. Qui cogitat, agit (§. 55. Ont.). DEVS ergo certissime agit; id quod etiam ex creatione, cuius causa est (§. 1-13. Th. N.), elucet; causa enim est substantia, quæ *agit* et aliquid producit (§. 59. Ont.), Gen. I. 1. seqq.

§. 40. Quoniam vero DEVS est immutabilis (§. 23.): DEVS agit semper. Ergo in DEO nulla esse potest passio, cum ratione sui ipsius, tum ratione creaturarum. Nulla ergo passionis in DEO ratio, in creaturis est quærenda. Hinc recte Scholastici, DEVM, tanquam *actum purum* et *simplicissimum* describunt; nihilque in DEO esse per modum *potentiæ* (*passiuæ* scilicet) recte docent.

§. 41

§. 41. Quicunque autem semper agit, viuit. *Vitam* enim *spiritus* dicimus, perseuerantiam status idearum distinctarum. Nam, corporis vita in circulatione sanguinis consistit (§. 340 Phys.); adeoque in actione. Ergo et vita Spiritus in actione consistit. Ergo DEO adscribenda est vita Ier. X. 10. Gen. XVI. 14. Ioh. v. 26. Deut. XXXII. 40. Act. XVII. 28. Ezech. XXXIII. 11. 1 Tim. VI. 13. Ergo *vita DEI*, quia est purus actus (§. 40.), perpetua duratio est s. perseuerantia in statu, omnia possibilia simul sibi repræsentandi. Ergo, quia immutabilis (§. 23.): recte EI adscribitur *immortalitas* 1 Tim. VI. 16.

§. 42. DEVS habet intellectum (§. 37.). Intellectus quum sit facultas, res distincte sibi repræsentandi (§. 49. Psych.): DEO etiam ob immutabilitatem et infinitudinem (§. 23. 27.), repræsentatio omnium possibilium distinctissima et simultanea adscribi debet. *Intellectus* ergo DEI, (quia in DEO nil est per modum potentiæ aut facultatis (§. 40.), distinctissima et simultanea repræsentatio est omnium possibilium Ies. LX. 28.

§. 43. *Omniscientia* est perfectio, qua, quis omnia *possibilia, distinctissime, uno actu*, sibi repræ-

sentat. DEVS ergo est omniscius (§. 42.) 1 Sam. II. 3. 1 Ioh. III. 20.

§. 44. Ergo, si DEVS est omniscius (§. 43.): se ipsum non solum et omnia possibilia Ps. CXXXIX. 1-17. Gen. XV. 13. Ioh. XXI. 17. (quæ *scientia naturalis*, et in specie quoad possibilia, *simplicis intelligentiæ* dicitur); sed et omnia, *consequenter* ad liberum decretum, de rebus aliquando producendis, siue præsentia sint, siue præterita, siue *absolute* futura 1 Reg. VIII. 39. Prou. XV. 3. Ezech. VII. 6. Eccles. XII. 14. (quæ *Visionis*, *scientia libera*, et respectu futurorum *præscientia* adpellatur); aut denique futura *conditionata* Matth. XI. 21. 1 Sam. XXIII. 11. seqq. (quæ *scientia DEI media* vocatur), cognoscit. Nam, si hæc omnia non cognosceret, et tamen aliquando cognoscere posset, scientia eius et IPSE esset mutabilis, quod absurdum (§. 23.). Hinc per præscientiam, a falsis Diis se distinguit Es. XLI. 21. seq. (§. 28-33. Th. N.) contra *Socinianos*.

§. 45. Quia DEVS est infinitus (§. 27.): omnia vno actu cognoscere debet (§. 54. Ont.); quod, cum nulla creatura valeat; intellectus eius recte dicitur *imperuestigabilis* Ies. LX. 28. et *profunde incomprehensibilis*. Rom. XI. 33.

§. 46.

§. 46. DEVS est immutabilis, infinitus, et nulla in EO, passio (§. 23. 27. 40.). Eius ergo cognitio, originem non ducit a sensatione (§. 5. Log.). Ergo quia iudicia nostra et ratiocinia successiue in nobis oriuntur (§. 111. 32. Log.): in DEO, nulla *iudicia* esse possunt et *ratiocinia*, *proprie* sic dicta.

§. 47. Quoniam vero homines per organa sensoria, ad ideas et cognitionem pertingunt (§. 5-8. Log.): ob similitudinem aliquam cognitionis, DEO etiam in Sc. S. organa sensoria tribuuntur. e. g. Psal. CXXXIX. 16. XVIII. 9. 7. Iesa. XXXVII. 17. quæ tamen loca, ne vitium Anthropomorphismi committamus, improprie sunt explicanda (§. 30. et §. 43. Th. N.).

§. 48. Ob eandem rationem (§. 46. 47.) adductam, nulla in DEO esse potest imaginatio, memoria, obliuio, admiratio aut reminiscentia, somnus et facultas diuinandi (§. 11-33. Psych.). Quapropter et hæc omnia θεοπρεπως in Sc. S. explicanda e. g. Iesa. XXXVIII. 3. Ezech. XVIII. 22. 24. Iesa. LIX. 16.

§. 49. Et, quia DEVS omnia distinctissime cognoscit (§. 42.): *facultatis cognoscitiuæ*

pars

pars inferior, in DEO esse nequit, (§. 34. Psych.). Ex qua ratione etiam nihil confuse aut obscure cognoscit; adeoque nulla in DEO locum habet probabilitas, sed cognitio EIVS est *certa* vera, quæ *Infallibilitas* et *veritas intellectualis*, vocatur. Ergo ob hanc certitudinem, omnium rerum actionumque causas cognoscit, adeoque Intellectus eius est purus, immo purissimus Prou. v. 21. Hiob XXXIV. 21.

§. 50. DEVS omnium actionum causas distinctissime cognoscit (§. 49.). Ergo et illas, quæ per *liberam* voluntatis humanæ determinationem existunt, siue impleantur, siue minus (§. 44.). Luc. XVI. 15. Act. XV. 8. Ezech. III. 6.

§. 51. Verum, quum rei *cognitio*, quæ causa non est, nihil in rebus mutat et obiectis (§. 59. Ont.): cognitio s. præscientia DEI certissima, nullam in rebus aut actionibus *liberis*, necessitatem producit. Nam, sicut homines per ratiocinia, liberas aliorum haud raro detegunt actiones, sine tamen detrimento libertatis: ita etiam res se habet apud DEVM. Aliud ergo est *certum*: aliud *necessarium*. Certæ sunt entis liberi actiones, respectu præscientiæ DEI; non vero necessariæ.

§. 52.

§. 52. Errant igitur *Sociniani* concludentes: Actiones liberas, quia incertæ, præscire nemo potest. Ergo nec DEVS (§. 50.). Verum, respectu *nostri* inde est, quod non omnes cognoscamus causas; quod tamen aliter est respectu DEI. Ergo loca illa Gen. VI. 7. XVIII. 21. 31. (hic præcipue *praterita*, non *futura* respicit, adeoque contra *Socinianos*) Exod. XVI. 4. Deut. VIII. 2. Iesa. V. 2. θεοπρεπως sunt explicanda (§. 30. 47.). Alias in Scriptura Sacra, contradictiones essent; si loca §. 49. 50. et alibi, occasione scientiæ DEI adducta consideremus; in quibus, præscientia omnium, adeoque et liberarum actionum, a DEO prædicatur. *Secundum* eorum dubium est, ab incomprehensibilitate desumtum. Verum refutatur ex §. 49. 50. Ab ignorantia enim modi, ad negationem rei, non valet consequentia. Denique *tertium*, a necessitate actionum liberarum, quod absurdum; cadit per §. 51.

§. 53. DEVS cognoscit omnia (§. 43.). Ergo omnes possibiles fines et media, ad eos ducentia, cognoscit. Quoniam itaque mundum ad sui gloriam produxit (§. 36. Th. N.) Iesa. XLIII. 7. in quo posuit ea media et applicauit; quo ipso omnes

omnes fines particulares, ita ordinare debuit, ad finem *vltimum* conſequendum (alias finem Eius vltimum obtinere non poſſet): DEVS recte *ſapiens*, et propter immutabilitatem, *ſapientiſſimus* dicitur. Eſt enim *ſapientia*, ſi fines ponimus, mediaque ad eos ducentia, adplicamus. Pſ. CIV. tot. vbi ex contextu, noſtra definitio optime probatur. Prou. III. 19. 20. 1 Tim. I. 17. Iac. I. 5. Quod etiam ex ſapienti mundi ordinatione probari poteſt.

§. 54. Sapiens non agit ſine fine (§. 53.). DEVS ergo ſapientiſſimus (§. pr.), non ſolum non ſine fine agit, ſed et optimos fines eligit, eosque ita inter ſe connectit, vt ſemper propiores fiant media remotiorum (§. 102. Pn. Oc.); omnes vero ad finem ſuum vltimum tendant (§. pr.). Hoc etiam de mediis valet.

§. 55. Sapientis ergo actiones ex fine ſunt diiudicandæ (§. 54.). Ergo DEI actiones, quia fines et media ſubordinantur, in connexione ſunt diiudicandæ (§. cit.). Quoniam vero creatura non omnem nexum perſpicit; ideo ſæpe de ſapientia DEI iudicat male. Pſ. LXXIII. 1. ſeqq. 1 Cor. I. tot. Ergo, quo maior eſt huius nexus cognitio; eo melior eſt ſapientiæ

pientiæ DEI diiudicatio. Hinc *imperuestigabilis* dicitur Rom. XI. 33. et *occulta*. 1 Cor. II. 7.

§. 56. *Voluntas* consistit in appetitu, ex distincta *boni* repræsentatione orto (§. 101. Psych.). Quoniam itaque DEVS omnia, adeoque et bona malaque distinctissime sibi repræsentat (§. 43.): non ad malum; sed bonum; immo *optimum*, EI adpetitus adscribitur. Est ergo *Voluntas DEI*, adpetitus ad optimum distinctissime cognitum (§. 37.). Voluntas ergo DEI est perfectissima (§. 100. Pn. oc.). *Noluntas* ergo s. *auersatio* est, DEI detestatio rei malæ distinctissime cognitæ.

§. 57. DEI voluntas est adpetitus (§. 56.). Quum vero DEVS, sit infinitus (§. 27.): adpetitus hic ad optimum, non *successiue* ortum trahit; sed omnia velle debet *vno actu*, *simul* et *semper*, Ephes. III. 11. id quod de noluntate etiam valet, in qua, nulla fieri potest coniunctio (§. 98. Psych.).

§. 58. Vbi adpetitus, ibi coniunctio bonorum (§. 98. Psych.). DEVS ergo, quia est summum bonum (§. 144. Ph. Pr. Vn.), *secum* coniungere debet. Ex coniunctione bonorum oritur voluptas (§. 89. Psych.). Ergo in DEO summa voluptas. Adpetitus ex con-

coniunctione alicuius rei voluptatem percipiendi, dicitur amor (§. 113. Physch.). DEVS ergo se ipsum maximopere amat. Attamen, quia voluntas ad bonum tendit (§. 56.); DEVS vero distinctissime cognoscit, quæ maiora bona sunt, quæ minora (§. 43.); bona maiora autem præferimus minoribus; DEVS, non tantum omnia amare debet bona; sed et maiora, magis, quam minora; se ipsum vero, præ omnibus aliis 1 Ioh. IV. 16. In DEO ergo *amoris* deprehenditur *ordinati* gradus; quod etiam de malis valet (§. 56. 57. et 64. Log.).

§. 59. In DEO amor ordinatus deprehenditur (§. 58.). Qui vero ordinata se Philautia amat, sibi ipsi contrarius esse nequit: *hac* enim, peruenit ad felicitatem (§. 153. Ph. Pr. Vn.). Ergo nec DEVS; sed harmoniam potius obseruare debet perfectionum suarum omnium; quæ harmonia omnium perfectionum in DEO, *sanctitas* dicitur. DEVS ergo est sanctus Ies. VI. 3. 1 Pet. I. 10-17. Ps. XCII. 16. Ex contextu vero Leuit. XI. 44. coll. antecedentibus et XIX. 2. seqq. adparet, nil intelligi aliud præter harmoniam, ibi, corporalem seu *physicam*, hic, *moralem*, per obsequium erga præcepta, quæ bona continent (§. 140. Th. N.). Hæc DEI ergo (quia appetit omne bonum,

num, malum vero aduersatur (§. 56.), sanctitas *voluntatis* dicitur.

§. 60. Neque etiam nostra, de sanctitate DEI notio, consuetudini loquendi est contraria. Nam, quia 1) DEVS per hanc harmoniam suarum perfectionum, ab omnibus aliis separatur; ideo recte in Sc. S. omne, quod ad certum finem separatur, *sanctum* dicitur Matth. XXVII. 53. Iesa. XIII. 3. Exod. XIX. 20. Sanctitas hominis, quia adeo per hanc ab aliis separatur, 2) consistit in harmonia actionum cum lege. Quodsi sanctitatem suam ipso effectu ob oculos, creaturis ponit, dicitur *rectus*, Eccles. VII. 30. Ps. XCVII. 2. seqq. LXIX. 37.

§. 61. Quia DEVS *tantum* bona vult; (§. 56-58.) et sanctus est (§. 59.): mala velle et amare minime potest. Ergo DEVS cum creatura mala, quamdiu mala est, sese coniungere eamque amare nequit. Quem non amamus, eius felicitatem promouere non possumus (cessat enim hic coniunctio, quæ vbi non est amor, etiam esse nequit). DEVS ergo, talis creaturæ felicitatem promouere minime poterit. Quum vero *felicitatem alterius promouere*, sit, media applicare, vt alteri bene sit, s. voluptatem percipiat (per def.): nulla adplicare DEVS me-

dia poteſt, vt creaturæ malæ, bene ſit; alias media adplicaret, quæ non ad finem (ſc. ad ſanctitatem quam omnibus iniungit, §. 59.), ducunt; quod contra ſapientiam foret (§. 54.). Ergo mala ſentiat, mala creatura, quæ DEVS cum actionibus malis connectere debet, quæ pœnæ dicuntur (§. 52. Ph. Pr. Vn.). Malas ergo creaturas DEVS punire debet. Pſ. V. 5. Pſ. L. 21. Ier. XII. tot. Leu. XXVI. tot.

§. 62. Fortaſſis putas: pœnas non neceſſarias eſſe, ſed creaturam talem, eſſe poſſe in ſtatu indifferentiæ (§. 96. Pſych.). Verum, ita non obtineret ſuum finem, ſapientiſſimum Numen. Nulla enim ſanctitati ſtuderet fere, ſi nihil mali exſpectare debuiſſet. Corruptio enim hominis magna eſt (§. 1-3. Diſſ. Prol.).

§. 63. Quum oppoſita contrariam habeant rationem (§. 64. Log.): cum bonis ſeſe DEVS coniungere, eos amare, felicitatem eorum promouere, adeoque bona cum actionibus eorum connectere debet (§. 61. 62.) Ieſ. XL. 10. Rom. II. 6. 1 Cor. VIII. 3. Matth. XXV. vlt.

§. 64. Quæ §. 61. 62. 63. deduximus; alio ex principiis rationis demonſtrare poſſumus

ſumus modo. Sc. quia virtuti dedito, omnia proſpere ſuccedunt, vitioſis non item (§. 140. 141. Th. N.); DEVS vero hæc vt eueniant decreuit (§. 74. et §. 133. Th. N.); DEVS facere minime poteſt, vt bonis male, malis vero ſit bene. Mali ergo ſentiant eſt neceſſe, mala; vti boni, bona. Quum itaque actiones moraliter malæ, ſint *peccata* (per def.): nullum peccatum manet impunitum; etiamſi nulla emendationis ſpes ſuperſit (§. 40. Diſſ. Prol.).

§. 65. Bona illa, quæ a DEO, bonis conceduntur, propter bonas ipſorum actiones, dicuntur præmia; et *merces gratuita*, eſt bonum, quod cum bonis iſtius actionibus connectitur, ad quas alteri præſtandas, iam obligatur. Boni ergo, quia iam ad legum diuinarum obſequium obligati ſunt (§. 12. Ph. Pr. Vn.): mercedem gratuitam a DEO recipiunt (§. 63. 64.).

§. 66. Porro, quia DEVS harmoniam perfectionum ſuarum obſeruat (§. 59.), et bona maiora minoribus præfert, (§. 58.), adeoque mala maiora magis deteſtatur quam minora (§. 58.): ſequitur, vt eadem mala, in diuerſis hominibus, vno eodemque gradu punire debeat DEVS;

maiora ergo mala, quia nullum peccatum manet impunitum (§. 64.), maiori pœna afficienda, minora, minori. Ob (§. 64. Log.) ergo, idem etiam de præmiis valet. Dantur ergo gradus præmiorum et pœnarum.

§. 67. Verum, quia DEVS mundum ad manifestationem gloriæ suæ creauit (§. 53.), quam in creaturis, tanquam speculis perfectionum suarum, exprimere decreuit (§. 36. Th. N.): Deus ipse omnia actu disponere debet, vt creaturæ pœnas et præmia actionum, sentiant. Talis dispositio, qua creaturæ malæ, pœnas actionum promeritas sentiunt, dicitur *iustitia punitiua*, et in specie, si quis pœna afficitur sine spe emendationis, *iustitia DEI vindicatiua*, aut *vindicta diuina* adpellatur. Talis vero dispositio, qua creaturæ bonæ, præmia actionum sentiunt, *iustitia DEI remuneratiua* audit. Recte ergo Sc. S. DEO iustitiam remuneratiuam et punitiuam tribuit (§. 61. 63.). Errant ergo, *Sociniani*, qui *misericordiam* et *iustitiam* in DEO *naturaliter* esse nolunt, vt Christi satisfactionem negent 1) quia semper vel peccata puniret; vel semper remitteret eadem. Verum, non opponuntur sibi misericordia et iustitia; vt potius *exercitium* horum attributorum, pro diuersa relatione hominum, obtineat. 2) misericordiæ, non opponitur iusti-

tia,

tia, sed ira seu furor DEI. Neg. vid. Rom. I. 32. 2 Thess. I. 6.

§. 68. DEVS ergo in iustitiæ speciebus (§. pr.), harmoniam suarum perfectionum obseruat, (§. 61 -67.), adeoque sanctus est (§. 59.), nullumque IPSI in suis actionibus commonstrari poterit malum; quam DEI perfectionem *iustitiam* EIVS dicimus. DEVS ergo est iustus Dan. IX. 4. 7-9. Esr. IX. 6-15. Ier. XII. tot. Deut. XXXII. 4. Ps. XCII. 16. Rom. IX. 14.

§. 69. Ex §. pr. itaque videre est, quare aliqui *sanctitatem*, pro ipsa *iustitia* habuerunt. Maluimus tamen, quia notiones diuersæ sunt, attributa hæcce separare, vt rectitudo vocabulorum retineatur (§. 91. Log.).

§. 70. Ob iustitiam itaque (§. 68.), remouendum est a DEO, omne partium studium (Parteylichkeit); eique adscribenda est æquitas (Billigkeit).

§. 71. Quia pœnæ et præmia leges præsupponunt; DEVS, ob iustitiam, tales præscribere et promulgare leges debet, quæ statui creaturarum conueniunt (§. 68.).

§. 72. In DEO non est studium partium (§. 70.). Ergo, omnes, quicunque sint, transgressores legum, punit (§. 61. 64. 455.). Nulla ergo in DEO est προσωποληψια. Ergo nullum peccatum condonare, et cum peccatore in gratiam redire potest, sine satisfactione (§. 44. Diss. Prol.); alias maneret impunitum Ebr. IX. 22-28.

§. 73. DEVS est sanctus (§. 59.), et iustus (§. 68.). Ergo in *dicendo* sibi contrarius esse nequit, sed loqui debet ita, vt conuenientia inter verba sit et cogitationes, quæ *veracitas* dicitur, *veritas ethica, moralis,* s. *voluntatis* (§. 34. Ont.). Ergo DEVS est verus, adeoque fallere non potest. Ergo promissa sua seruare debet, et seruat infallibiliter Num. XXIII. 19. Tit. I. 2. Rom. III. 4. Ebr. VI. 18. Ps. XXXIII. 4.

§. 74. Ergo, si fallere DEVS nequit (§. 73.): *voluntas signi,* male per voluntatem explicatur, qua DEVS, sine *omni necessaria determinatione adducta,* aliquid se velle pronunciat, quod tamen non intendit, nec decreuit; e. g. est conuersio hominis, eiusque salus æterna. Ita enim tolleretur non solum veracitas (§. pr.); sed ẽt sapientia (§. 53.), et sanctitas (§. 59.).

§. 75.

§. 75. Non tamen ideo negamus voluntatem *signi* et *beneplaciti*. Illa enim est, si *effectui* aut obiecto voluntatis diuinæ, nomen voluntatis tribuitur Gen. XXII. 1. seqq. Iesʃ. XXXVIII. 1. seqq. Ion. III. 4. 5. Vbique enim est determinatio: adeoque ex obiecto hocce aut effectu, tanquam ex signo, DEI voluntas cognoscitur. *Voluntas* autem *beneplaciti* est, quod DEVS actu decreuit Ezech. XXXIII. 11.

§. 76. Noli tamen putare, ac si nos ipsi eodem significatu (§. 74.) vteremur, si voluntatem DEI distinguamus in *primam*, ſ. *antecedentem*, qua DEVS, *sine* habita circumstantiarum ratione, ob naturam ſ. essentiam voluntatis suæ aliquid vult, e. g. salutem omnium; et *consequentem* ſ. *secundam*, vbi DEVS, *consideratis* certis circumstantiis aut conditionibus, aliquid vult Matth. XXIII. 37. e. g. punire, damnare. Errant ergo, qui distinctionem hancce reiiciunt 1) ex Matth. XXIII. 37. quia tantum de voluntate humana loqueretur Christus. Neg. Nonne etiam per Prophetas, ante quam nasceretur homo, congregare Iudæos voluit? 2) Nunquam decreuisse DEVM omnes saluare; sed vide §. 455.

§. 77. Ab hac (§. pr.), distinctione, differt voluntatis diuinæ distinctio, in *absolutam*, qua

DEVS aliquid vult, *sine* respectu ad certum *mediorum* ordinem, a se institutum e. g. Gen. I. 1. Ios. X. 13; et *ordinatam*, qua aliquid vult, respectu, ad certum *mediorum* ordinem a se institutum; e. g. saluare per media gratiæ, conseruare per alimenta. Non tamen cum hac distinctione *prorsus* coincidit, distinctio in voluntatem *absolutam*, qua sine conditione, e. g. *creare mundum; saluare finaliter* credentes; et *conditionatam*, qua *sub conditione*, DEVS aliquid vult; saluare e. g. omnes homines, *si finaliter credunt*: Deut. XXVIII. tot. Differunt ergo relatione *ordinis* aut sapientiæ et *conditionis*.

§. 78. Quia vero sub conditione DEVS interdum quædam velle potest (§. pr.); mirum *non* est, quod, conditione *non impleta*, voluntas hæc conditionata non semper impleatur; quia alias DEVS sibi ipsi esset contrarius, quod absurdum (§. 59.). Ita et *efficax voluntas*, qua DEVS aliquid intendit, tanquam efficiendum; non semper impletur, nec finis obtinetur, e. g. si DEVS efficaciter vult salutem *omnium* Ioh. III. 16. *Inefficax* vero dicitur, quæ in sola complacentia, sine intentione aliquid efficiendi, consistit Luc. XXII. 42. Errant ergo, qui hanc, et (§. pr.) distinctiones reiiciunt, quia omnis voluntas DEI *absoluta* sit, *firma* et *efficax*,

cax, et probant 1) Act. II. 23. Ergo voluntas DEI est definita. Resp. non de voluntate in genere; sed *decreto* est sermo; immo *firma* et *definita* voluntas, *conditionata* etiam esse potest. e. g. iter. 2) in DEO ergo leues et inanes operationes. Neg. diuersa tantum hic intercedit relatio.

§. 79. In omnibus hisce voluntatis diuinæ distinctionibus, a §. 75-78. (quia contingentia locum habet §. 41. Ont.) DEVS, res, vel plane non; vel contrarium etiam velle posset, adeoque *libera voluntas* recte dicitur (§. 145. Psych.). Quia vero DEVS ex sua natura nil potest velle, nisi bonum (§. 56.): recte etiam voluntas DEI *naturalis* statuitur. Hinc se ipsum, omniaque bona non potest non velle. Errant ergo, qui, ob voluntatem DEI naturalem, liberam negant. Coordinata enim hæc sunt, non opposita. Probant quidem 1) si essentia est necessaria: etiam voluntas. Sed disting. inter voluntatem DEI *subiectiue* et *obiectiue* spectatam. 2) DEVM *necessario* velle bonum. Resp. Concedimus. Sed tollitur ideo libertas? 3) Si libera voluntas, etiam est mutabilis. Neg. aliud enim est *mutabilitas voluntatis*: aliud, *electio rerum diuersarum*.

§. 80. Quoniam autem in hisce distinctionibus, *successiue*, nostro concipiendi modo,

res nobis repræsentamus (§. 75-79.): cauendum, ne vitium anthropomorphismi committamus (§. 27. et §. 43. Th. N.).

§. 81. De decretis diuinis, tanquam speciali DEI voluntate, iam egimus (§. 74. 76. Th. N.). Hinc h. l. tantum distinguimus in *absolutum*, vbi DEVS aliquid decernit, licet non adsit causa impulsiua *externa*; et in casu opposito, in *non absolutum*.

§. 82. *Decretum*, est voluntas DEI aliquid ad actum producendi (§. 74. Th. N.). Ergo, quæ DEVS decreuit, etiam ad actum deducit. Ergo quæ ad actum deducit, ea etiam decreuit. Hinc *potentia* EI adscribi debet actiua, et *omnipotentia* (§. 54. Th. N.). Matth. XIX. 26. Luc. I. 37. 2 Cor. VI. 18. Apoc. IV. 8. VII. 12.

§. 83. DEVS vero impossibilia s. contradictoria, ob sanctitatem suam nec facere, nec velle potest (§. 54. Th. N.). Hinc *possibile* tantum, manet omnipotentiæ obiectum. Ergo etiam facere potest miracula. (§. 75. Cosmol.).

§. 84. Quia itaque DEVS omnipotens (§. 82.), quod de nullo homine dici potest; cum nemo etiam omnia possibilia, ob defectum omniscientiæ, sibi repræsentare possit: DEVS facere potest plura, quam

nos

nos ab EO petere, aut intelligere possumus Eph. III. 20. Matth. XIX 26.

§. 85. Denique, quia DEVS, sola, omnia tamen possibilia facere et velle potest (§. 83.); facere etiam potest, quæ vult, Ps. CXV. 3. CXXXV. 6. quod de homine rursus dici non potest. Non tamen quæ vult, etiam facit (§. 75-79.

§. 86. *Potentia* hæc DEI, si IS ordini suo semel constituto, conuenienter agit, dicitur *ordinata;* si vero agit sine respectu ad suum ordinem, *absoluta* nominatur. Quia itaque DEVS est omnipotens (§. 82): recte EI tribui potest *potentia absoluta*, et *ordinata*. Dubia vero contra ordinatam, formata, cum ex prouidentia; tum ex §. 122. Th. N. solui possunt.

§. 87. Quum itaque DEVS sit omnipotens (§. 82. seq.), et omniscius (§. 43.): est etiam *omnipræsens*. Nam ex effectibus, discimus præsentiam causæ (§. 60. Th. N.); vt itaque *omnipræsentia* DEI, sit perfectissima Eius coniunctio, cum creaturis omnibus, ad cognoscendum et operandum in iis. Ier. XXIII. 24. Ps. CXXXIX. 7. 8. immo tot. Act. XVIII. 10.

§. 88. Ergo, si DEVS per omnipræsentiam cum creaturis se coniungit (§. 87.); etiam quoad *substantiam* suam, vbique præsens est. Hinc *approximatio* locum habere nequit

nequit (§. 61. Th. N.). Hinc loca Ioh. XIV. 23. Gen. XIIX. 21. Pſ. X. 1. XI. 4. aliaque, vel de vnione *gratioſa*, aut *glorioſa*, aut etiam *pœnali*, Mal. III. 5. (pro ſubſtrata materia effectiue ſcil, ſunt intelligenda.

§. 89. Quod DEVS ſit *bonus*, ſeu omnibus creaturis tot concedat bona et perfectiones, quantæ vnicuique, ad finem DEI conſequendum, neceſſariæ ſunt (§. 150. Th. N.): ex prouidentia demonſtrauimus; id quod etiam ex *voluntatis* idea, qua nil niſi optimum appetit (§. 56.), claret. Hinc pronus eſſe debet ad conceſſionem perfectionum poſſibilium, quod bonitas eſt Pſ. XXV. 8. 9. 10. CIII. tot. CXVIII. 29.

§. 90. Quia itaque DEVS ſapiens et bonus eſt (§. 89.): omnes perfectiones et bona poſſibilia, creaturis concedere debet *actu*, adeoque *reuera* concedit, quo reſpectu *beneficus* dicitur Pſ. CIII. 2. 1 Petr. II. 3. Tit. III. 4. Hinc bonus eſt in genere *cauſæ efficientis* Iac. I. 17. 1 Cor. IV. 7. Dubia vero contra hancce theſin, ſoluunt (§. 151. Th. N.) pluresque ibi cit.

§. 91. Hinc, quia omnia bona et perfectiones *poſſibiles* concedit (§. 90.); nos vero omnem mundi nexum perſpicere non poſſumus (per exper.): non ſemper DEI diſtributionem bonorum intelligere poſſumus. Mox enim pii bonis carent, impii iis abundant

dant Pſ. LXXIII. 3. ſeq; mox ſcena mutatur, ita vt pii omne benedictionis genere frui poſſint, Pſ. XXXIII. 18. 19. impii vero, defectu bonorum laborent. Recte ergo adplicari poteſt, Pſ. XVIII. 26. 27.

§. 92. Boni ſ. pii a DEO mercedem gratuitam recipiunt (§. 65.). Nihil ergo actionibus ſuis apud DEVM merentur; quod etiam exinde patet: quia omnia, quæ habent, bona, a DEO acceperunt (§. 89-91.). De impiis, res tam manifeſta eſt, vt nemo vocet in dubium. Ergo O. bona *gratis* recipiunt a DEO. Qui vero alteri gratis benefacit, dicitur *gratioſus*; DEO ergo adſcribenda eſt *gratia* Pſ. CIII. tot. Eph. I. 16. Et quia peccatores, qui nullum reconciliationis medium excogitare potuerunt, per reuelationem et redemtorem generis humani, e miſeria liberare intendit (§. 54. diſſ. proluſ. et §. 1. Prol.): *miſericors* et *longanimus* recte dicitur (§. 150. Th. N.), Pſ. CIII. tot. Deut. IV. 31. Luc. I. 78.

§. 93. Quia vero DEVS omnia poſſidet, quæ habere debet (quod non ſolum tota Theologia naturalis loquitur, ſed et hactenus dicta, immo omnis noſtra tractatio abunde ſatis monſtrabit); præterea etiam perfectiſſimus eſt (§. 33.): etiam eſt *bonus eminenter*

nenter ſ. *metaphyſice* (§. 36. Ont.) Luc. XVIII. 19. Ioh. XVII. 3. 1 Cor. VIII. 5.

§. 94. DEVS ergo verus perfectiſſimus eſt (§. pr.). Complexus vero perfectionum in DEO conſtituunt *gloriam* DEI (§. 36. Th. N.). Hinc recte Sc. S. Ipſi tribuit gloriam Eſ. XLII. 8. Act. VII. 2. Matth. VI. 13. et ob infinitudinem, gloriam *aeternam* Rom. XI. 36.

§. 95. Propter omniſcientiam, DEVS omnes ſuas perfectiones diſtinctiſſime cognoſcit. Quum vero ex intuitu perfectionum voluptas oriatur (§. 89. Pſych.): recte DEO tribuitur *voluptas* Matth. III. 17. Et quia DEVS eſt immutabilis (§. 10. Th. N.): voluptas Eius a nemine poteſt turbari. Hinc perpetua voluptate gaudet. Hæc vero perpetua omnium ſuarum perfectionum et voluptatis poſſeſſio, *beatitudinem* DEI abſoluit; DEVS ergo recte 1 Tim. VI. 15. dicitur beatus (§. 154. Th. N.).

§. 96. Quodſi dicta hactenus conſideremus: ex aſeitate nos ea deduxiſſe, patebit. Id vero, ex quo reliqua deducuntur omnia, dicitur *eſſentia* (§. 9. Ont.): aſeitas ergo DEI eſſentiam conſtituit. Quodſi autem eſſentiam DEI in idea: *ſpiritus a ſe*, ponere velis, non repugnabimus. Verum ſufficit, vt hactenus dicta loquuntur aſeitas.

§. 97.

§. 97. Quicqid ex essentia entis consequitur seu fluit, dicitur eius *attributum*. Quum igitur immutabilitas, incorruptibilitas, simplicitas, æternitas, independentia, vnitas, infinitas, intellectus, omniscientia, omnisapientia, voluntas, bonitas, misericordia, gratia, potentia, sanctitas, iustitia, vita, immortalitas, veritas, gloria, beatitudo etc. ex essentia DEI, sint deducta (§. 1096.); recte hæc attributa DEI, aut perfectiones EIVS adpellantur. *Perfectiones in ente*, sunt entis realitates.

§. 98. Licet vero DEVS sit vnus atque vnicus (§. 152. Th. N.): non tamen pluralitas ipsi repugnat (49. Diss. Prol.). Hinc, quid de pluralitate hac statuendum sit, Sc. S. ductu, videndum. Sistit autem illa et denominat, *tres* præcipue, *Patrem* scilicet Ioh. XVII. 3. *Filium* Matth. III. 16. seq. (qui etiam *Iesus* Matth. I. 21. *Christus*, Matth. XVI. 16. *Filius hominis* Matth. XI. 19. *Verbum* Ioh. I. 1. seq. vocatur) et *Spiritum Sanctum*, aut *Spiritum* DEI Luc. III. 22. conf. Matth. XXVIII. 19. 1 Ioh. v. 7.

§. 99. Quum itaque ab omnibus, qui Sc. concedunt, *Pater*, vt verus adsumitur DEVS: non opus est, vt Deitatem Patris, operose demonstremus; poterit tamen ex iisdem, quas

quas pro Filio et Spiritu S. adducemus, rationibus, demonstrari. Scilicet, attributa ex essentia entis consequuntur (§. 97.). Ergo, vbi eadem attributa sunt *per se* et *formaliter*; ibi eadem etiam est essentia. Notanter dico: *formaliter* et *per se* (§. seq.); ne dubium ex *communicatione* attributorum oriatur. Ergo, cui attributa adsignantur diuina *per se* et *formaliter*; illi etiam competit essentia diuina, et est DEVS; Ergo qui attributa diuina, dicto modo possidet, est ipse DEVS.

§. 100. Quodsi attributa, quæ in Sc. S. CHRISTO adsignantur, consideremus; ita sunt comparata, vt merit audiant attributa DEI *Formalia* s. quæ nulli nisi DEO adscribi possunt. Tribuitur autem ipsi 1) *omnipotentia* Apoc. I. 8. Ioh. X. 28. 2) *omniscientia*, Ioh. XXI. 17. hoc Christus adprobatur tacite, quod facere minime potuisset, nisi ipsi omniscientia competeret. Describitur porro Matth. IX. 4. Ioh. II. 24. 25. vt *scrutator cordium*, quod est opus solius DEI 1 Reg. VIII. 39. vid. etiam Col. II. 3. 3) *aeternitas* Ioh. I. 1. Apoc. I. 8. quæ descriptio respondet voci יהוה soli DEO propriæ (§. 2.), et Ies. XLI. 4. Ebr. I. 11. seq. conf. Ps. CII. Quia itaque creatura infinita est contradictio (§. 116. Th. N.): nulla creatura *per se* et *formaliter*, esse potest omnisci a et omni-

potens,

potens, vtpote quæ attributa ex *sola* immutabilitate et infinitudine deduci possunt, debent, et consequuntur (§. 27. 53. Th. N.). CHRISTVS ergo creatura esse nequit; adeoque esse debet creator s. DEVS (§. 49. Diss. Prol. et §. 99.).

§. 101. Si itaque CHRISTVS est DEVS (§. pr.); habeat etiam essentiam diuinam, est necesse (§. 99.); per consequens omnia illa, quæ §. 97. recensuimus DEI attributa, Ipsi tribui debent, alias non haberet essentiam diuinam (§. 96.). Hinc rectissime Sc. S. Filio DEI adscribit *omnisapientiam* Col. II. 3. Matth. XI. 19. *vitam* a se ipso, Ioh. V. 26. *Omnipræsentiam*, Matth. XXVIII. 20. *immutabilitatem* Ebr. I. 10. 11. cet.

§. 102. Ergo, quia CHRISTVS est DEVS (§. 100.); mirum non est, si Sc. S. opera, DEO soli propria, ipsi adscribat; e.g. 1) *creationem*, Col. I. 16. Ioh. I. 1. seq. Ebr. I. 10. 2) *conseruationem*, Ebr. 13. 3) *miracula*, qualia permulta in his terris perpetrauit; exemplo esse possunt sanationes illæ, eiectiones diabolorum, resuscitatio mortuorum, per *sola* verba etc; quæ omnia in omnibus litterarum diuinarum paginis recensentur. Quod vero *propria virtute* resuscitauerit mortuos, contra *dissentientes* ex Ioh. XI. 42. claret; vbi

in populi *adſtantis gratiam* (ergo pro ſe non habuit neceſſe), ſupplicauit antea patri. 4) *Contritionem capitis ſerpentis* Gen. III. 16. conf. 1 Ioh. III. 8. Quod vero hoc ſit opus DEI, demonſtrat diſſert. proluſ. §. 49. 5) *ſupremum in res creatas dominium.* Ebr. I. 8. 9. 6) *iudicium huius vniuerſi* Ioh. V. 27. ſeq. Act. XVII. 31. Hinc etiam recte ex his operibus argumentum formant Theologi: *Cuicunque competunt opera* ſoli *DEO propria: ille eſt verus DEVS:* Atqui CHRISTO: *Ergo.*

§. 103. Ergo, quia CHRISVVS eſt verus DEVS (§. 100.): *nomina* etiam ſoli DEO propria, ipſi imponi poſſunt atque debent. Hinc. recte Sc. S. Eum vocat verum DEVM 1) Act. XX. 28. quod de Patre dici non poteſt, ſed de Chriſto Ebr. IX. 12. Nam *Sociniani,* ſine ratione a proprietate litteræ, quod tamen ob princ. harm. fieri non deberet, hic recedunt 2) Ioh. XX. 28. quod Chriſtus non ſolum adprobat; ſed et per vocem *αυτω,* probatur, contraria vero (verba exclamatoria ſecundum *Socin.* eſſe) theſis refutatur; ſicuti illa (quod per appoſitionem particulæ *μὲ,* ſenſus imminuatur), ex Pſ. XXII. 1 Ioh. XX. 16. 3) Rom. IX. 5. vbi *contextus* Socinianorum interpunctioni contradicit. Ita enim non opus fuiſſet reſtrictione: *ſecundum carnem;* conf. Rom. I. 25. Et licet

in

in quibusdam codicibus, vocabulum θεος abeſſe concedamus; adeſt tamen in (aliis antiquioribus, e. g. ſyriac. etc. 4) Tit. II. 13. 5) Ier. XXIII. 5. ſeq. Sic 6) N. T. de Chriſto dicta explicat, quæ in V. F. de ſummo DEO adducuntur. Num. XXI. 5. 6. coll. 1 Cor. X. 9. Eſ. VI. 1. ſeq. coll. Ioh. XII. 40. 41. Pſ. LXVIII. 19. coll. Eph. IV. 5-18. it. Pſ. XCVII. 7. XLV. 7. CII. 26. CX. 1. coll. Ebr. I. 6-13. Ieſ. XL. 3. et Malach. III. 1. coll. Matth. III. 3. vbi ipſi tribuitur nomen יהוה. Hinc, vti §. 102. argumentum inuerti et diuinitas Filii, probari poteſt.

§. 104. Ergo, ſi Chriſtus eſt verus DEVS (§. 100.), *cultus* et *adoratio* ipſi tribui debet, quæ *vero* competit DEO; quod etiam facit Sc. S. Ioh. III. 16. V. 23. XIV. 1. vbi verba ita verti debent: *Credite in DEVM, et credite etiam in me* Matth. XXVIII. 19. Hinc, quia DEVS Ieſ. XLII. 8. honorem ſuum, alteri ſe daturum negat; argumentum inuerti, et ſic diuinitas Chriſti probari poteſt. conf. etiam dicta §. pr. ex Pſalmis citata.

§. 105. Denique, quia gignens et genitus *proprie* ſic dicti, eiusdem ſunt eſſentiæ; diuinitas Chriſti etiam ſequenti ratiocinio probari poteſt; Q. eſt de ſubſtantia DEI patris genitus, ille eſt verus DEVS; Atqui Chriſtus Ioh. I. 14. 18. III. 16. V. 18.

Rom. VIII. 32. Ergo etc. Errant ergo *Arminiani* ob *supernaturalem* ex Maria *productionem, missionem in mundum, resuscitationem ex mortuis, collocationem ad dextram Patris* etc. et non ob generationem ex substantia Patris, *filium* dici probantes 1) ex script. silentio. Sed vide Rom. VIII. 32. Ebr. I. 3. 2) Ioh. X. 35. 36. Resp. argumentatio est, a minori, ad maius. 3) Matth. I. 18. Luc. I. 35. Resp. ob personam θεανθρωπε conceptam et natam. 4) Act. XIII. 32. Dist. inter constitutionem et manifestationem.

§. 106. Ergo, quia Christus est verus DEVS (§. 100-105.): non potest respectu Christi statui *subordinatio*, vti faciunt *Sociniani* et *Arminiani*, alias vnus ab altero penderet; DEVS autem est independens (§. 23.). Vid. EPISCOP. Inst. Theol. Lib. IV. Sect. II. Cap. XXXII. CVRCELLAEVS instit. R. C. LII. XIX. qui Patri subordinari, eoque inferiorem esse, defendit. Probant quidem sententiam 1) quia dignius sit generare, quam generari; ex se a nullo, quam esse ab alio. Verum, distinguimus inter *humana* et *diuina*: ab illis, ad hæc, non V. C. præterea etiam est petitio principii; quia *numero* eandem personarum omnium esse essentiam, concedunt. 2) quia filius a patre mittitur; verum non *per modum imperii*; sed

ſed κατ' οικονομιαν 1 Ioh. IV. 14; deinde etiam *æquales* ab æqualibus, aut *ſuperior*, ab inferioribus mittitur; loca vero, quæ adducunt, de humana Chriſti natura ſunt intelligenda. 3) Filium non eſſe αυτοθεον. Verum vide (§. 100-105.); qua de re pluribus. 4) Loca Ioh. XIV. 28. XX. 17. Ebr. I. 9. 1 Cor. III. 23. XI. 3. de *humana* Chriſti natura agunt, adeoque eſt partim *ignoratio elenchi*; partim *hac* limitatione, ſine vitio conceduntur.

§. 107. *Chriſtiani* notionem formaturus, cum ex Sc. S. tum vſu loquendi, optime notas deſumere poterit. Ex locis itaque Sc. S. Eph. II. 20. Rom. X. 9. præcipue 1 Ioh. II. 18. 19. 22. coll. IV. 3. Ioh. I. 14. VIII. 24. XVII. 2. ſeq. Eph. IV. 13. ſeq. ſequens exſurgit definitio: *Chriſtianus*, eſt perſona, quæ DEVM, vt trinum cognoſcit, Chriſtumque vt verum mediatorem (qualem in diſſ. prol. §. 44. deſcripſimus) colit. Quum itaque illis, qui diuinitatem Chriſti negant (quales ſunt *Sociniani* aliique), hoc tribui nequeat; Chriſtiani, hi minime dici poſſunt. Male ergo *Remonſtrantes*, *Chriſtianos* etiam adpellant, qui non ſolum Trinitatem, ſed et diuinitatem Chriſti negant; conf. Apolog. Remonſtr. Cap. III. et Op. Episcop. T. II. et in Reſp. ad Specim. Calum. Curcellaevs Inſt. R. C. LII. Cap. XXI. Probant quidem

sententiam 1) ex IVSTINO. Verum erravit sæpe, vti ipse EPISCOPIVS Lect. S. ad 1 Ioh. V. notauit. Deinde, alii Patrum fere omnes e. g. ATHANASIVS, CYRILLVS, GREGORIVS, IGNATIVS etc. contrarium docent. 2) Ex meritis Socinianorum contra Papatum. Verum vid. GVILH. JAMESON Racouia Romana, et Roma Racouia Ao. 1702. et Gal. V. 4. Tit. l. 1.

§. 108. Verum, non tantum in genere, contra diuinitatem Christi, vti (§. 106.) monstrauimus, sed et contra nostra argumenta, *in specie* etiam argumentantur aduersarii. Nam præter hæc §. 100. 101. 102. adducta; etiam proferunt Act. II. 34. 36. Verum refutatur ex Ioh. XVIII. 36. Et contra §. 103. solam *accommodationem* esse perhibent, quia in verbis (scilicet ratione diuinæ auctoritatis et donorum), DEO erat *similis:* qua ex ratione, DEI nomine describatur. Verum, quia loca illa contra Iudæos adduxerunt Apostoli: accommodatio, qualem Iudæi minime concessissent, locum habere non potest.

§. 109. Ita etiaam contra (§. 104.) argumentantur Remonstrantes, dum putant: ex cultu diuino, solidum nos pro diuinitate Christi, non petere posse argumentum; conf. eorum *Apol.* CIII. f. 50. seq. EPISCOP. Opp.

Opp. T. II. Probant qui sententiam: quia Christo etiam secundum humanam naturam competit adoratio, secundum quam tamen non sit verus DEVS. Verum, hoc est propter communicationem; sicut omnipotentia et omniscientia communicata est Christo homini, non tamen inde sequitur: naturam humanam esse diuinam.

§. 110. Denique contra §. 105. obiiciunt Remonstrantes: *non esse praecise ad salutem scitu et creditu necessarium: Iesum, de substantia Patris genitum, esse Filium DEI.* conf. EPISCOP. in instit. Theol. LIV. Sect. II. C. XXXIV. Verum obstant loca Ioh. III. 16. 18. 36. XX. 20. et Matth. XVI. 15. seq. vbi Christus *Confessionem Petri, Petrum* seu fundamentum totius ecclesiæ, vocat. Act. VIII. 27. Probant quidem sententiam suam ex *difficultatibus* et *obscuritate*, quæ premunt filiationem ex substantia Patris. Verum, difficultates non tollunt *necessitatem:* præterea ex voce *filii*, præsertim vnigeniti, res clarissime elucet; quamuis modus, non sit conceptibilis. Ab ignorantia vero modi, ad negationem necessitatis, non valet Consequentia; quod semper fere confundunt e. g. in dubio, quia non extet sc. modus in symbolo Apostolorum.

§ 111. Q. attributa diuina per se et formaliter possidet, est ipse DEVS (§. 99.).

Atqui *Spiritus Sanctus* possidet; vid. Ps. CXXXIX. tot. vbi *omnipræsentia*, Ioh. XIV. 26. XVI. 13. seq. 1 Cor. II. 10. vbi *omniscientia* (scrutari enim *effectiue* est sumendum, s. pro distinctissima cognitione conf. vers. 11. et Ier. XVII. 9. seq.) Ies. XL. 13. 14. vbi *omnisapientia*, Ebr. I. 14. vbi *æternitas*, Spiritu S. tribuitur; Ergo est verus DEVS.

§. 112. Si ergo Sp. S. est verus DEVS (§. 111.); omnia etiam *attributa* DEI ipsi tribui debent; adeoque essentiam *diuinam* habeat, est necesse (§. 99.) conf. Ies. XI. 2. Ioh. XIV. 17.

§. 113. Ergo Sp. S. opera DEI etiam tribui debent (§. 111.). Sic Sc. S. Sp. S. tribuit *creationem* Iob. XXXIII. 4. Ps. XXXIII. 6. *miracula* 1 Cor. XII. 4. 5. seq. Luc. I. 35. *gubernationem ecclesiæ*, Act. XX. 28. Ita argumentum hocce etiam inuerti et diuinitas Sp. S. inde probari potest: Cui competunt opera diuina, ille est verus DEVS; Atq. Sp. S. E.

§. 114. Ergo, quia Sp. S. est verus DEVS (§. 111.); *nomina, soli* DEO propria, ipsi imponi debent. Hinc. 2 Sam. XXIII. 2. 3. dicitur יהוה; id quod etiam ex Ies. VI. 9. coll. Act. XXVIII. 25. Luc. I. 70. 2 Pet. I. 21. itemque ex Ps. XCV. 1-11. coll. Ebr. III. 7-10. claret. Quod vero non sit *accommodatio*, ex §. 108. elucet. Porro etiam *nomina* DEI in N. T.

N. T. vsitata, ipsi imponuntur. Act. V. 3. 4. 1 Cor. III. 16. 17. VI. 19.

§. 115. Ergo, quia Sp. S. est verus DEVS (§. 111.); cultus etiam et adoratio tribui ipsi debet, quæ vero competit DEO. 2 Cor. XIII, 13. Ies. VI. 3. Vbi Seraphim Eum adorarunt coll. Act. XXVIII. 25. Apoc. I. 7. Luc. II. 26. 29. Argumentum hoc et præcedens etiam, vti (§. 113.) inverti potest.

§. 116. Ergo, quia Sp. S. est verus DEVS (§. 111-115.): non potest in Deitate statui subordinatio (§. 106.), vbi eadem fere *Remonstrantes* in medium proferunt dubia, contra diuinitatem S. S. quæ formarunt contra diuinitatem Christi. Hinc mutatis mutandis (hic enim est *spiratio*, vti respectu filii, *generatio*) eadem etiam dabitur responsio. Obserues modo, quædam loca de *donis* Sp. S. atque *effectibus*, agere. Ioh. VII. 39. Act. XIX. 2. 5.

§. 117. Quum itaque Pater sit DEVS (§. 99.); Filius etiam (§. 100.); et Sp. S. (§. 111.); præterea DEVS tantum sit vnicus (§. 97.); non esse possunt tres Dii, sed numero vnicus. Pater ergo filius et Sp. S. eandem numero essentiam diuinam habent. 1 Ioh. V. 7. ἓν εἰσι. Ergo non tres sunt essentiæ diuinæ. Ergo hi tres *vnum* sunt reuera, non *voluntate, potentia* et *operibus tantum*.

§. 118. Filius quis fit per generationem. *Generatio* vero eſt communicatio eſſentiæ. Ergo, DEVS Pater eſſentiam ſuam, cum Filio communicauit. h. e. eum *generauit* Pſ. II. 7. quæ etiam improprie *exitus* dicitur Mich. v. 1. conf. Gen. XV. 4. XLVI. 26. Ieſ. XI. 1. Ioh. XVI. 27. ſeq. Ergo generatio hæc eſt *proprie* ſic dicta, quod patet: quia Pater et Filius, nomen ſuum inde habent Ioh. I. 14. III. 16. Matth. XIV. 33. Rom. VIII. 32. etſi non ſit phyſica. *Eſſentia vero diuina*, ipſa eſt natura diuina, qualis in ſe abſolute, quæque vna cum attributis *ſimpliciſſime vna* ac ſingularis eſt: nam DEVS eſt vnicus (§. 97.). Ergo *vna* tantum eſt, numero eſſentia diuina.

§. 119. DEVS eſt ens abſolute neceſſarium (§. 9. Th. N.). Ergo non ſolum generatio hæc abſolute, eſt neceſſaria; ſed et quia Filius DEVS eſt (§. 99.): Filius etiam abſolute neceſſarius.

§. 120. Abſolute neceſſarium eſt æternum (§. 42. Ont.), hoc vero eſt ſine principio et fine (§. 38. Ont.). Ergo generatio filii DEI eſt æterna, ſine principio et fine durationis Pſ. II. 7. vbi vocabulum עולם æternitatem denotat, alias in DEO eſſet ſucceſſio, quod abſurdum; et Mich. V. 1. (§. 118.) Col. I. 15.

§. 121.

§. 121. DEVS est Ens a se (§. 5. Th. N.). Filius ergo DEI, essentiam habet, quæ est a se ipsa. Ioh. V. 26. Verum cum Filius DEI, per generationem est a Patre (§. 118.); Filius DEI qua *modum* diuinam habendi essentiam, non est a se ipso Ioh. VII. 29. Ergo nihil agit *a* se, sed, quia est a Patre (§. 118.); agit *a* Patre. Ioh. V. 19. 30. XIV. 10.

§. 122. Quia Filius agit a Patre, et non a se (§. pr.); Pater vero et Filius, vnum sunt Ioh. XVII. 22. 23. X. 4. ideo simul etiam agere debet. Ergo S. S. essentiam diuinam, *vel* a se, *vel* a Patre et Filio simul habere debet. Sed non habet a se, quia a Patre mittitur Ioh. XIV. 26. XV. 26. et per Eum operatur Ps. XXXIII. 6. Ergo Sp. S. essentiam diuinam a *Patre* et *Filio* communicatam habet. Ioh. XV. 26. Matth. X. 20. Gal. IV. 6. Rom. VIII. 9. Ioh. XVI. 7. Luc. XXIV. 49. Errat igitur ecclesia græca, Sp. S. a *solo* Patre procedere affirmans 1) ex Ioh. XV. 26. Resp. Non a) dicitur: a *solo* Patre procedere cum tamen in aliis a nobis excitatis locis deprehendatur. Nonne etiam b) de filio in Sc. S. dicuntur quædam, quæ respectu Patris (non tamen ideo neganda) non occurrunt; præcipue vero c) in statu exinanitionis loquitur Christus, quod contextus docet. 2) *duo* fore Sp. S. principia. Neg. quia a

patre

patre et filio *simul* procedit. Nec nobis, quod error esset, *principium* est, quod causa (§. 60. Ont.). 3) Patrem, Deitatis *fontem* esse. Sed hæc locutio a) non est *biblica*; deinde b) tantum est *simile*, vltra *tertium*, non extendendum. Dicant ergo c) quid per fontem intelligant *Græci*? Nonne sic etiam d) filius, respectu Sp. S. dicifons potest; adeoque dubium negatur 4) Ita pater *magis* est principium filii, quam Sp. S. quia tantum *solus* est principium filii. Resp. Neg. quia *etiam* est Sp. S. principium. 5) vel imperfectam esse patris; vel filii superfluam. Resp. processio hæc non fit actu *diuiso*, sed *indiuisa*; adeoque nec imperfecta; nec superflua, vnitatem potius essentiæ declarat. 6) ex descensu Sp. S. in Iordane Matth. IV. Resp. non est missus in Christum, vt DEVM; sed *hominem*; nec locus de processione agit; adeoque est ignoratio Elenchi. 7) Consensum ecclesiæ primitiuæ vrgent. Resp. Concedimus. Nam a) quia hac de re nullum fuit dubium motum, ideo, vt cum aliis b) etiam doctrinis factum, nil proposuerunt Patres, quia nemo negabat, adeoque c) non erat opus. Hinc a *silentio* Patrum, d) ad *negationem* rei non V. C. siquidem e) ex nullo, nisi *Athanasio*, in *quæst. sacr.* vocabulum *ex solo Patre*, probare possunt. Suppositicium vero esse, ex *Franci*, quo *Occidentales* indigitantur, vocabulo, Sec. fere

fere duodecimum prodente, adparet. Facile ergo f) vocabulum: *filioque*, in Concilio Toletano, A. 627. demum inſertum fuiſſe, ob prudentiamque in prioribus, ne anſa Græcis daretur, omiſſum, largimur. Multa etiam g) ex Patribus, quæ *Danhauerus, Tubingenſes* aliique collegerunt, opponere Græcis poſſemus, noſtram ſententiam probantia; ita vt 8) ſilentium, quod tantopere vrgent, diuturnum, vixque adeo probabile; nec non 9) quæ de tabulis argenteis, A. 809. *Romæ* propoſitis, in quibus, *filioque* omiſſum, cadat. 10) eccleſiam catholicam ſecus ſentientes valde perſtrinxiſſe. Reſp. Eſt petitio principii. Quænam enim fuit eccleſia catholica? deinde etiam, ſi de prioribus temporibus, vbi altum de hac re ſilentium, loquaris eſt falſum. Aliam vero probationem noſtræ theſeos (§. 147.) deprehendes.

§. 123. Ergo et DEVS Pater, eſſentiam diuinam, vel habet a ſe, vel a Filio, aut Sp. S. vel ab vtroque. Quum vero in tota Sc. S. nunquam legatur, quod Filius aut Spiritus S. mittat Patrem, ſed potius vice verſa (§. 122.); DEVS Pater, eſſentiam diuinam, etiam *qua modum* habendi, *a ſe ipſo* habere debet. Ergo etiam *a* ſe agit 1 Cor. VIII. 6. Eph. IV. 6. Rom. XI. 36.

§. 124. Filius DEI dicitur ideo *Filius*, quia a Patre eſt genitus (§. 118.); adeoque a modo habendi

habendi essentiam diuinam (§. 121.). Quum itaque Sp. S. essentiam diuinam a Patre et Filio habet (§. 122.); præterea etiam Patris et Filii Spiritus dicitur Ps. XXXIII. 6. 2 Thess. II. 8; cum Spiritu S. Pater et Filius essentiam communicant per *spirationem*; et respectu Sp. S. per *processionem*. Modus ergo habendi essentiam diuinam in relatione ad Sp. S. est spiratio, aut processio.

§. 125. Verum, quia DEVS est ens absolute necessarium (§. 9. Th. N.); Spiratio hæc non solum est absolute necessaria; sed et quia Sp. S. est verus DEVS (§. 111.); Sp. S. est absolute necessarius.

§. 126. Absolute necessarium est æternum (§. 42. Ont.); ergo spiratio aut processio hæc est æterna, neque principium neque finem durationis habens (§. 38. Ont.).

§. 127. DEVS autem est Ens a se (§. 5. 6. Th. N.). Sp. S. ergo essentiam habet, quæ est a se ipsa. Verum, cum Sp. S. qua modum diuinam essentiam habendi, non est a se ipso (§. 122.); non agit a se, sed a Patre et Filio (§. 122.), Ioh. XVI. 13. Rom. XI. 36.

§. 128. *Prior ratione ordinis* dicitur, quem priorem altero concipimus. Quum itaque Pater essentiam communicauit cum Filio (§. 118.); Pater et Filius cum Spiritu S. (§. 122.);

(§. 122.); Pater ratione *ordinis*, est primus; Filius ratione ordinis est secundus; et Sp. S. in diuinitate, ratione ordinis est tertius in subsistendo et operando. Verum, quia Pater est DEVS; Filius est DEVS (§. 100. seq.); et Spiritus S. est DEVS (§. 111.): Pater 1) non est *primus* ratione *perfectionis*. DEVS enim est ens perfectissimum. Et quia DEVS est æternus (§. 10. Th. N.): Pater non est primus 2) ratione *temporis*. Denique, quia Filio et Spir. S. cultus competit diuinus (§. 104. 115.); Pater 3) non est primus ratione *dignitatis*. Hinc est, vt ordo in Sc. S. sæpe mutetur 2 Cor. XIII. 12. sæpe etiam ordine suo recensentur. Matth. XXVIII. 19. Hinc rursus asserti (§. 106. propositi, veritas elucet.

§. 129. Ex ordine vero §. pr. indicato, nec non ex modo diuinam habendi essentiam, cum Pater eam habeat a se (§. 123. Filius a patre (§. 118.); Sp. S. a Patre et Filio (§. 122.) itemque ex generatione et spiratione; rite rectèque *differentiam* inter Patrem, Filium et Sp. S. concludere possumus, et quidem *realem*, h. e. quæ in re (DEO) ipsa, sine nostro cogitationis modo deprehenditur, id quod ex idea *diuersitatis*, necessario etiam fluit (§. 26. Ont.). Ergo, hæc in differentia non in *relatione* aut modis s. acci-

accidentiis forte consistit (§. 61. Log.), aut a nobis fingitur. Hine. Sc. S. expresse *alium* dicit Patrem, *alium* aduocatum Ioh. V. 32. 37. Ioh. XIV. 16. 17. 26. X. 36. Gal. IV. 8.

§. 130. Quodsi nunc omnia, quæ ad Trinitatem spectant, consideremus: ad *tria* potissimum capita, ea reuocare possumus, sc. 1.) Patrem Filium et Sp. S. esse verum DEVM (§. 128.); 2.) P. F. et Sp. non esse tres DEOS, sed DEVM vnum (§. 117.); et 3) P. F. et Sp. reuera realiterque inter se differre (§. pr.). Proposuimus tamen hasce doctrinas, sine omni termino ecclesiastico et philosophico. Quum vero ad dogmata hæc distinctius explicanda; hæreticorumque sophismata et falsa ratiocinia excludenda, non solum Veteres, sed et Nostrates, terminis vtantur Philosophicis; ideo et hoc modo, doctrinam hancce pertractabimus.

§. 131. Expressit sc. ecclesia latina s. occidentalis, mentem suam sequenti modo: *tres esse personas, in una essentia diuina;* græca vero s. orientalis: *tres esse hypostases et vnam essentiam:* qua ex ratione, quia terminos ex vtraque parte non bene intellexerunt, factum est, vt diu inter se contenderint, quod tamen dissidium, terminis intellectis deinceps euanuit. Ergo, ne et nos in tam graui materia peccemus, terminos vt explicemus, est necesse.

§. 132.

§. 132. *Persona* nobis est suppositum intelligens. *Suppositum* vero, est substantia completa incommunicabilis. *Intelligens* est substantia, si possibilia *distincte* sibi repræsentare potest. *Substantia* est ens, quod propriam habet existentiam. *Completa substantia*, quæ per naturam suam non est ordinata s. producta ad constitutionem alterius substantiæ. *Incommunicabilis* est *substantia*, vbi vna altera esse aut fieri nequit. Denique *subsistentia*, est modus, quo substantia existit complete et incommunicabiliter.

§. 133. DEVS produxit mundum (§. 25. Th. N.); vbi egit (§. 55. Ont.). Quum vero agere sit substantiarum (§. 55. Ont.): DEVS est substantia.

§. 134. DEVS est Ens a se (§. 5. 6. Th. N.): adeoque non productus s. ordinatus, ad constitutionem alterius substantiæ. Ergo est substantia completa (§. 133. 132. et Exempl. nostr. Ontolog. in append. ad §. 22.).

§. 135 Pater est DEVS, Filius est DEVS, et Sp. S. est DEVS (§. 128.), et realiter inter se differunt (§. 129.). DEVS ergo est substantia (§. 133.), quæ de pluribus prædicari potest; quæ cum dicatur *communicabilis* (vid. Exempla nostr. Ontolog. in append. ad §. 21.): DEVS est substantia communicabi-

is. Ergo non est suppositum (§. 132.); nec persona (§. 132.).

§. 136. Pater est DEVS, Filius est DEVS, et Sp. S. est DEVS (§. 128.), DEVS vero est substantia (§. 133.). Ergo Pater est substantia, Filius est substantia, et Sp. S. est substantia; id quod ex operationibus s. actionibus, quæ substantiis tantum tribui possunt (§. 55. Ont.), etiam demonstrari potest (§. 102. 113.). Et quidem, quia DEVS est substantia completa (§. 134.): Pater est substantia completa, Filius est subst. completa, et Sp. S. est subst. completa. Porro, quia Pater, Filius et Sp. S. inter se realiter differunt (§. 129.): vnus alter esse aut fieri nequit. Ergo Pater est substantia incommunicabilis, æque ac Filius et Sp. S. (§. 132.).

§. 137. Pater itaque cum sit substantia completa, incommunicabilis, æque ac Filius et Sp. (§. 136.); Pater est suppositum, Filius est suppositum, et Sp. S. est suppositum (§. 132.); adeoque etiam Pater est Persona, Filius est Persona, et Sp. S. est Persona (§. 132.). Tres ergo in DEO sunt Personæ; vna vero essentia (§. 118): s. tres sunt personæ in vna essentia diuina (§. 131.). DEVS adeo recte dicitur *Trinunus*.

§. 138. Ergo, quia vna est numero essentia diuina (§. 118.); quæ tamen Patri, Filio et Sp. S. competit (§. 128.); id vero quod

quod multis competit, dicitur *commune:* essentia diuina tribus in DEO personis, est communis. Ergo non *diuiditur* in tres personas; contra *Socinian.*

§. 139. Ergo, quia essentia diuina tribus personis communis est (§. 138.): omne, quod ad essentiam diuinam pertinet, tribus commune esse debet personis. Ergo, quia Intellectus, voluntas, potentia, et in genere omnia attributa DEI, ad essentiam diuinam pertinent (§. 97.): Intellectus, voluntas, potentia, omniaque attributa diuina, tribus personis sunt communia; adeoque, quia essentia vna est (§. 118.); vnus est intellectus Patris, Filii et Sp. S. et sic etiam in reliquis.

§. 140. Ergo, quia *opera* DEI *ad extra*, quibus effectus extra DEVM realiter producitur, ab essentia diuina pendent, vtpote qui rationem existentiæ in DEO habent (§. 24. Ont.); adeoque a potentia DEI, quæ tribus personis communis, proueniunt (§. pr.): *opera ad extra tribus personis sunt communia* (§. pr.). Hinc creatio in Sc. S. tribuitur Patri, Filio (§. 102.), et Sp. S. (§. 113.), et sic etiam alia plura.

§. 141. Verum dicis: Sc. Patri tribuit creationem, Filio Reconciliationem, et Sp. S. Sanctificationem, contra regulam §. pr. Hoc autem fit per *appropriationem*, vbi alicui,

ad differentiam cognoſcendam, opus tribuitur, quo ſe peculiari modo manifeſtauit.

§. 142. Vti vero operibus quibusdam externis ad differentiam cognoſcendam vtimur (§. pr.): ſic etiam *interna* eundem in finem adhibemus. Dicuntur autem *opera ad intra*, quæ intra eſſentiam diuinam terminantur.

§. 143. Duo autem, ob §. pr. opera ad intra deprehendimus, ſc. generationem actiuam (§. 118.), et ſpirationem actiuam (§. 124.). Opus vero, quo diuina eſſentia communicatur cum alia diuinitatis perſona, dicitur *actus perſonalis*. Dicta ergo opera pertinent ad actus perſonales. Et, quia Pater eſſentiam diuinam habet a ſe ipſo (§. 123.): duo tantum ſunt actus perſonales. Generatio ergo eſt opus ad intra, quo DEVS Pater, ab æterno, eſſentiam diuinam cum Filio communicauit. *Spiratio* vero eſt opus ad intra, quo DEVS Pater et Filius ſimul, ab æterno, cum Sp. S. eſſentiam diuinam communicarunt. Differunt ergo ratione *principii* ſ. termini. Quum igitur *opus diuiſum* ſit, quod ab hac aut illa perſona prouenit: opera ad intra ſunt diuiſa (§. pr.).

§. 144. Ex §. pr. itaque elucet: tres in DEO perſonas, varias inter ſe habere relationes, ex actibus perſonalibus prouenientes, quæ *proprietates perſonales* dicuntur. Quia itaque

itaque Pater per generationem, quæ comparatio s. relatio, *paternitas* audit; Filius vero, quia est a patre genitus, quæ relatio *filiatio* dicitur; et Sp. S. quia a Patre et Filio simul procedit, qua ex relatione *processio* vocatur, inter se relationes, ex actibus personalibus prouenientes, habent (§. pr.): tot esse debent proprietates personales, quot personæ. Ergo tres hæ relationes, paternitas, filiatio, processio, sunt proprietates personales.

§. 145. Caue tamen putes, in DEO esse passiones; hoc enim *grammatice* tantum dicitur (§. præc.).

§. 146. Has proprietates personales, alii etiam *notiones personales* vocant. Verum, quia vsus fert, vt *notiones*, a proprietatibus distinguantur; sequentem in modum definiri possunt, quod sint notæ, (quia personam notam faciunt) ab actibus et proprietatibus personalibus diuersæ, quibus personas diuinas inter se, intra essentiam diuinam distinguimus.

§. 147. Quum itaque Pater, essentiam diuinam habet a se ipso (§. 123.); per ἀναίτιον εἶναι s. *omni principio sui carere*, Pater a Filio et Sp. S. distingui potest. Et, quum hoc nec sit actus (§. 143.), nec proprietas personalis (§. 144.): recte esse potest notio personalis (§. pr.). Melius saltem est, quam

si *innascibilitatem*, quæ etiam Sp. S. competit, adsumeremus. Et, quia nulla persona nisi Filius, genita est (§. 118. 122. 123.): per *generationem passiuam*, discerni potest a reliquis, nec tamen ad actus, nec proprietates pertinet (§. 143. 144.). Ergo est *notio personalis Filii* (§. 146.). Ita, quia nulla persona spiratur, nisi Sp. S. (§. 118. 121. 123.): per *spirationem passiuam* Sp. S. non solum, ab omnibus tribus discernitur; sed et hæc, neque ad actus, neque proprietates personales pertinet (§. 143. 144.). Ergo hæc est Sp. S. notio personalis (§. 146.).

§. 148. His præmissis, definiri potest *Pater*, quod sit prima ratione ordinis, diuinitatis persona, quæ diuinam essentiam a se habet, eamque cum Filio per generationem, et cum Sp. S. per spirationem communicat (§. 128. 137. 123. 118. 122.). *Filius*, est secunda ratione ordinis, persona diuinitatis, quæ diuinam essentiam habet a Patre per generationem, eamque simul cum Patre, communicat cum Sp. S. (§. 128. 137. 118. 122.) Denique *Sp. S.* est ratione ordinis tertia diuinitatis persona, quæ essentiam diuinam a Patre et Filio *simul* per spirationem, communicatam habet (§. 128. 122. 137.).

§. 149. Ergo, quia tres distinctæ in Diuinitate sunt personæ (§. pr.): fallunt *Patri-*

pas-

passiani, Noëtiani, Sabelliani etc. qui tantum *nominum, qualitatum, virtutum* et *potentiarum* differentiam admittunt. Fallunt ergo *Modalistæ*, qui *tantum* diuersorum modorum, non realem differentiam concedunt (§. pr.).

§. 150. Cognitio nostra *naturaliter* et sine reuelatione oritur vel ex principiis per ratiocinium, vel experientiam h. e. a *priori* aut *posteriori*. Quum vero doctrina trinitatis, neque a posteriori neque a priori (vbi enim sunt principia)? nobis innotescat, et quidem nec ratione existentiæ, nec modi possibilitatis: doctrina trinitatis ex ratione concipi non potest; adeoque est articulus fidei purus. Sunt quidem, qui hanc, partim ex principiis deducere, partim *similibus* illustrare voluerunt; verum irrito etiam conatu; inprimis vero quoad *similia* caute est procedendum. conf. PFANNER in Syst. Theol. gentil.

§. 151. Quia itaque nemo modum possibilitatis, quomodo essentiam diuinam Pater communicauit cum Filio et Spiritu S. indicare poterit: doctrina Trinitatis est *mysterium*, quod est doctrina, vbi modum possibilitatis rei cognoscere non possumus. Quia vero ab ignorantia modi, ad negationem rei, non V. C: ideo mysterium hoc, neque negare, neque ex ratione impugnare licet. DEVS enim sibi non contradicit.

§. 152. Verum, Filius est redemtor Generis humani (§. 102.); cuius notitia ad salutem necessaria (§. 32. 45. Diss. prol.); hominibus vero trinitatis dogma, mysterium est (§. pr.). DEVS ergo hominibus hoc revelare debuit (§. 1. prol.). Ergo, quia omnium in V. T. propter gratiam suam vniuersalem, salutem voluit quoque (§. 48. Diss. prol.): mysterium hoc etiam ex V. T. constat: 1) Ps. XXXIII. 6. Patrem sc. Filium s. verbum, quod est Filius (de quo vide Ioh. I. 1. et Paraphras. Chald. ita explicantes) et Spirit. S. conf. Gen. I. II. creasse mundum. Creatio vero est opus DEI (§. 78. Th. N.). Ergo in V. T. iam est reuelatum: P. F. et Sp. S. esse verum DEVM. Vide etiam dicta §. 100-116. citt. 2) Qui alterum alloquitur, ab eo est diuersus (§. 26. Ont.); Atq. Ps. XLV. 7. 8. Pater alloquitur Filium, DEVS, DEVM; Ergo Filius a Patre est diuersus. Porro 3) quiescens, diuersus est ab eo, super quem quiescit (§. 26. Ont.). Ergo Spirit. S. a Filio est diuersus Ies. XI. 1. Ita a Patre etiam differre legitur Ies. XLVIII. 16. LXIV. 10. Ergo in V. T. iam reuelata erat differentia, inter P. F. et Sp. S. realis. Denique quod DEVS sit vnus, extat Deut. VI. 4. aliisque in locis plurimis. Quum vero hæc tria capita, Trinitatem constituant (§. 130.): Trinitas iam in V. T.

erat

erat reuelata, conf. etiam Gen. I. 26. Num. VI. 24. seqq. Ies. VI. 3. 8. conf. HORNEI Diss. Theol. P. I. p. 491. et 308. *Distinctius* tamen, ob diuersam Oeconomiam (§. 15. Prol.) in N. T. propositam esse, lubentissime concedimus, conf. omnino Ven. IOACH. LANGII ausführliche Anleitung in die heilige Schrift, vbi varia etiam ex PHILONE aliisque adducit.

§. 153. Errant igitur *Iudæi hodierni*, *Muhamedani*, et *Antitrinitarii* hocce §. pr. negantes. Nam quod non subsit 1) Magnatismus, contextus docet; non enim dicitur אֱלֹהָּ creauerunt; sed אלהים creauit. Et quia Angeli sunt creaturæ (§. 1. Pn. oc.); Gen. I. 26. seqq. DEVS angelos, vt creatores 2) alloqui non potuit; vide etiam §. 182.

§. 154. Denique, quia per terminos ecclesiasticos mysterium Trinitatis distinctius cognoscitur (§. 132-138.): termini illi omnino habent vsum (§. 81. Exempl. nostr. Ontol.). Quum vero vsus rerum sit finis DEI (§. 37. Th. N.): DEVM voluisse, vt mysterium hocce, terminis etiam ecclesiasticis proponeretur; adeoque magni esse momenti, recte concludere possumus.

§. 155. Errant igitur et peccant *Fanatici* cum *Antitrinitariis*, qui terminos istos reii-

ciunt, dum contra finem DEI agunt (§. pr.). Obiiciunt: 1) Sc. his de terminis tacere; sed est ignoratio elenchi (§. pr.); præterea etiam negatur, vid. Ebr. I. 3. 2 Cor. IV. 6. Matth. XI. 10. 2) Tria non esse vnum. Resp. Vnum sunt qua essentiam; tres quoad personas. Ergo non hoc dicitur *eodem* respectu.

CAP. II.

DE CREATIONE.

§. 156.

Considerauimus hactenus opera DEI ad intra (§. 143.); iam etiam, quia Theologia de DEO agit (§. 116. Prol.), de operibus ad extra quibus se manifestauit, nobis agendum erit, vt veram et DEO conuenientem nobis acquiramus cognitionem. Quum vero omnia opera ad extra, creationem supponant; ante omnia de *creatione* est dicendum.

§. 157. Mundus est ens contingens (§. 9. 19. Cosm.), quod necessarium supponit (§. 41. Ont.). Ergo mundus a DEO existentiam suam accepit. Ergo nulla adesse potuit materia præexistens (quæ etiam contingens), ex qua DEVS mundum produceret

ret. Hinc solo DEI iussu omnia sunt facta Gen. I. tot. Rom. IV. 17. Ebr. XI. 3.

§. 158. Hinc, quia mundus a DEO existentiam accepit (§. pr.): antea nondum fuit, adeoque tantum erat ens potentia (§. 15. Ont.). Vt adeo *creatio*, sit opus DEI ad extra, quo mundo tanquam enti potentia, solo suo iussu existentiam concessit. Ens vero potentia est nihilum (§. 15. Ont.). Creatio ergo est productio rei ex nihilo. Frustra ergo obiicitur: ex nihilo nihil fieri. Nihilum enim hic non est *materia*, ex qua DEVS produxit mundum.

§. 159. Et hic quidem creationis significatus (§. pr.), quia ex rebus ipsis desumebatur: *determinatus* est, *proprius, verus* atque *realis* (§. 125. 132. Log.). Hinc, si alio sensu in Sc. S. sumatur: creatio *impropria* est dicenda. Sic Sc. 1) *miraculosæ actionis*, Num. XVI. 30. Ier. XXXI. 22. 2) *nouarum virium spiritualium* Ps. LI. 12. 3) *operis ex materia inhabili* Gen. I. 21. 27. 4) rei ex causis naturalibus Eccles. XII. 1. productionem, creationem vocat. Ita stylo profano etiam datur 5) *creatio moralis*, si alicui officium conceditur e. g. *creare magistratum, Duces, Consules* etc.

§. 160. Creatio est opus DEI ad extra. Hinc, tribus personis communis (§. 140.). Ita etiam loquitur Sc. S. Gen. I. 1. 26. Ies. LIV. 5. conf. DANZ. Interpr. §. 114. ed. pl.

vbi

vbi semper pluralis numerus attendi debet. conf. loca §. 102. 113. citt.

§. 161. Attamen Pater agit per filium et Sp. S. (§. 121. 127.) Hinc Sc. S. ita etiam loquitur Ps. XXXIII. 6. Ioh. I. 3. Ebr. I. 2. Verum cum creatio sit opus omnipotentiæ (§. 53. Th. N.): nulla DEO opus erat *instrumentali*, aut *socia* causa, Rom. XI. 36. Ebr. II. 10. quod etiam ex iussu (§. 158.) patet. Pater ergo F. et Sp. S. non sunt causæ creationis sociæ (§. 71. Ont.).

§. 162. Porro, quia omnes ideæ oriuntur ex sensatione (§. 8. Log.): mirum non est, si de *modo* creationis, nullam habeamus ideam. Ergo, per hoc impugnari nequit. Sed ex ratione tamen cognoscere aliquid de creatione possumus (§. 78. Th. N.). E. est articulus fidei quidem; sed *mixtus* (§. 139. Prol.). Rom. I. 20.

§. 163. Mundum fuisse ens tantum potentia (§. 158.), ex Sc. S. adsumimus, cuius dicta probant: mundum ab æterno non fuisse productum Gen. I. 1. Matth. XIII. 35. Marc. X. 6. Ioh. XVII. 5. 24. Ephes. I. 4. 1 Pet. I. 18. seq. Ebr. IX. 26. IV. 3. 4. Apoc. XIII. 8. XVII. 8. Attamen, quia DEVS est æternus, ab æterno etiam causa esse potuisset. Hinc quid de possibilitate æternæ creationis mundi sentiendum, cum B. SCHERZERO in Syst. Th. Loc. III. tacere volumus,

mus, quia quæstio nullum habet vsum. Describamus potius eam ad ductum Sc. S. Gen. I. et II.

§. 164. DEVS tanquam Sapiens ordine in suis operibus procedit. Hinc, primo *Elementa* creauit, Gen. I. 1. et quidem actu instantaneo (§. 51. Ont.), ex quibus reliqua disposuit. Hæc vero ante eorum dispositionem, inter se erant mixta; hinc תהו ובהו Ergo immensa aderat multitudo, quorum finis facile non potuit animaduerti; quod eo facilius conceditur, quo maius est hoc vniuersum, quodque ex illis, tanquam materia prima, est compositum. Quodsi vero res ita comparata est, vt propter immensam multitudinem, finis animaduerti facile non possit, dicitur *Abyssus*: recte ergo Sc. S. mentionem facit Abyssi.

§. 165. Quia vero Elementa, substantiæ sunt quæ vim agendi (ad essentiam pertinentem) habent: cum illa vi, quia forma erant prædita, DEVS ea creare debuit. Cum vero *Chaos* sit multitudo materiarum sine forma: Abyssus §. pr. non erat Chaos; nisi Chaos dicere velis rem, suo adhuc ornatu destitutam.

§. 166. Etsi vero materia prima, vi prædita fuerat (§. 164. 165.); erant tamen inter se mixta (§. 164.). DEVS ergo, quia in composito, motu omnia fiunt (§. 46. Ont.): mate-

materiæ primæ motum imprimere debuit, vt separanda, separarentur; coniungenda coninngerentur; alias motu non fuisset opus, vid. vers. 9. Hinc dicitur מרחפת Sp.S. Ergo, quia mouebantur hac die; regulas motus, statim probabiliter illis indidit DEVS.

§. 167. Quum vero immensa aderat multitudo (§. 164.), quæ mouebatur (§. 166.); non potuit non motus existere celerrimus. Motu vero celerrimo particularum minimarum fit lux, vti experimenta loquuntur physica. Recte ergo de luce loquitur MOSES. Hinc mirum non est, si ante hanc agitationem חשך fuerit Gen. I. 2. 3.

§. 168. Per motum coniunxit coniungenda, separanda separauit DEVS (§. 166.). Ergo, quæ ad materiam spectabant corporum lucidorum s. particularum ignearum, separauit DEVS ab illis, quæ *opaca* constituere debuerunt corpora. Ex particulis igneis oritur lux (§. pr.). Ergo, si causam pro effectu hic MOSEM posuisse, dicas (quod ob contextum non solum, sed et ideo erit adsumendum, quia alias, nulla, quæ textui conuenit, aut contradictoria statuenda erit idea vid. etiam vers. 16. 18.) explicare poteris dicta Gen. I. 4. Vbi enim corpora opaca, ibi oriuntur tenebræ. Ergo hæc per προλη-

ψιν

ψιν ita dicuntur, ſicut factum eſt verſ 1. conf. SCHERZER. in Syſt. L. III. §. 10.

§. 169. Ex rationibus §. pr. itaque per προλησιν etiam explicamus *diem primum*; ſcil. ratione durationis ſ. temporis, quo terra ad motum ſimplicem vertiginis opus habebat; id quod etiam in reliquis, ante creationem ſolis, intelligendum eſt diebus.

§. 170. Diuiſit DEVS *ſecunda die* aquas inferiores a ſuperioribus Pſ. CIV. 3. Gen. I. 6. ſeu materiam illam elementarem (§. 164.), vt in parte ſuperiori, materia corporum cœleſtium, a materia corporum terreſtrium ſeparatim exiſteret. Quum itaque verſ. 15. 17. DEVS luminaria tanquam corpora cœleſtia, quæ in æthere mouentur, רקע השמים poſuiſſe dicitur; *expanſum* illud nil aliud eſſe videtur, quam *Æther*, qui qer totum vniuerſum expanditur (§. 86. Phyſ.). Ratio vero omiſſionis formulæ: *DEVS videbat, quod bonum eſſet*, quærenda forte eſt, in operum connexione, ita vt cum BVRMANNO verſ. 9. 10. ad diem ſecundum referre, non opus habeamus.

§. 171. Secunda die ſuperiores materias et inferiores tantum ſeparauit DEVS (§. pr.). Materia ergo terreſtris adhuc mixta erat (§. 164.). Quum vero DEVS voluit, vt terram homines et animalia inhabitarent (§. 37. Th. N.): ſeparauit ideo die *tertia*,

tia, materiam terrestrem et aquaticam. Quia itaque omnia, iam motus regulas acceperunt (§. 166.): terrestria versus centrum telluris (§. 136. Phys.), aquæ vero per grauitatem suam defluere debuerunt (§. 256. Phys.). Et, quia leuiora *ascendunt* (§. 162. Phys.): aër ob leuitatem respectu terræ, ascendere debuit, quo ipso atmosphæra terræ ortum traxit.

§. 172. Fontes vero ex quibus fluuii originem ducunt, oriuntur in montibus (§. 149. Phys.). Hinc *montes* etiam creauit DEVS Gen. II. 10. Ps. XC. 1. Errant igitur LVCRETIVS et BVRNETIVS, qui ob *dedecus* montium, prouidentiam et sapientiam DEI impugnant. Verum, dedecus est relatio. Ergo ex illorum comparatione idea non fit fixa, et determinata. Quod enim alteri pulchrum est, alter vt indecorum reiicere solet. Non tamen negamus, alio modo postea montes oriri potuisse, quod ex contentis in montibus patet (§. 281. Phys.).

§. 173. Terram ex intentione DEI inhabitare debent animalia (§. 171.). Ergo ob sapientiam, ita omnia ordinare et disponere debuit, vt, quia conseruationem animalium decreuit (§. 27. Th. N.), animalia in variis casibus et sustentationem et medicamenta habere potuerint; quod cum fiat per herbas

bas, arbores aliaque vegetabilia, metalla et mineralia: hæc omnia die hac creare debuit DEVS. Verum, quia vt ſapiens via breuiſſima ad ſcopum tendit (§. 41. Th. N.): non ſolum vegetabilibus ſemen ſtatim indidit; ſed et reliqua (quæ ad vegetabilium productionem aliquid conferunt, e. g. Solem, pluuiam etc.) omnia ordinare debuit, ne (indiuiduis primis conſumtis) alia creare, neceſſe haberet.

§. 174. Quia die hac vegetabilia plantauit DEVS (§. pr.); Paradiſus vero Gen. II. 8. etiam vt hortus deſcribitur: et hunc locum, hoc die plantatum fuiſſe, eſt credibile. De ſitu vero Paradiſi, quia res incerta, diſputent alii.

§. 176. Quia vero terra pro animalibus habitabilis eſt facta (§. 171. 173.); animalia vero rationalia temporum viciſſitudines attendunt, ſuaque ſecundum ea peragunt, (per exper.): ideo DEVS propter ſapientiam et benignitatem ſuam, vniuerſum ita condere debuit, vt fines ſuos conſequi poſſent animalia. Hinc neceſſaria erant corpora, viciſſitudinibus iſtis inſeruientia. Quapropter ex materia illa, iam die prima lucida, et ſecunda die, a materia terreſtri ſeparata, (§. 168. 170.), fecit ſolem ſtellas fixas, planetas atque cometas, quibus, vti in Aſtronomia vlterius docetur, fines

hos consequi possunt homines. Gen. I. 14-18. conf. ergo Script. Astron. et Ven. LANGIVS im Mosaischen Licht und Recht. ad h. l.

§. 176. Quia luna et planetæ, itemque cometæ lumen a sole recipiunt(§. 104. Phys.): hac die demum ad classem luminarium euehere hæc curauit. Etsi itaque lumine proprio destituantur (§. 104. Phys.): obiecta tamen quia illuminant, recte dici luminaria possunt. Et quidem luna, pro diuerso illuminationis respectu et cum sole comparatione, dici poterit luminare magnum et paruum (§. 63. Log.).

§. 177. Ergo, quia corpora hæc vicissitudinibus inseruire debebant (§. 175.): in systema suum, hac die redegit ea DEVS, iisque certum indidit motum.

§. 178. Animalia aquatilia ex aqua, volatilia ex terra, tanquam materia suae naturæ conuenienti, produxit DEVS, *die quinta* Gen. I. 20-25. II. 19. vbi accentus asserti nostri veritatem declarant. conf. BOCHARDVS in Hierozoico, et Ven. LANG. im Mosaischen Licht und Recht. h. l.

§. 179. Quia vero DEVS tanquam sapiens via breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th. N.): ne, hisce consumtis, noua creatione opus esset, benedictionem addidit, vt sese multiplicare potuissent. Gen. I. 22.

§. 180.

§. 180. Sexta die producta erant animalia terrestria, quadrupeda, reptilia, atque insecta, et quidem ex terra, materia sc. suæ naturæ conuenienti Gen. I. 24. ita tamen, vt propter rationem §. pr. sese multiplicarent. Ergo, quæ *ordinarie* non generantur animalia, DEVS etiam non produxit. Hinc *mulum* s. animal ex equo et asina genitum, DEVS non produxit. Attamen, quia vsus rerum sunt fines DEI (§. 37. Th. N.): vt talia animalia producerentur, DEVS omnino voluit. Ratio vero, quare DEVS hæc animalia ab initio statim non produceret, est, quod miracula non edit, si quid viribus naturalibus consequi potest (§. 122. Th. N.).

§. 181. Quum brutorum anima facultate ratiocinandi et hinc libertate destituitur (§. 90. Pn. oc.): in eam non cadunt leges (§. 11. Ph. Pr. Vn.). Ergo, quia vita et damnatio æterna, præmium est vel pœna vitæ moraliter bene vel male actæ (§. 144-148. Th. N.): brutorum anima vitæ aut damnationis æternæ non erit capax; adeoque mortalis (§. 145. Th. N.). Quia vero eorum anima est ens simplex (§. 92. Pn. oc.): interire debet per annihilationem (§. 52. Ont.). Attamen DEVS nihil facit frustra (§. 41. Th. N.). Hinc, num DEVS brutorum animas annihilare velit, dicere non

possumus. Vnius enim rei plures esse fines possunt (§. 83. Ont.).

§. 182. Denique eodem die, consilio cœpto, DEVS etiam produxit hominem ex terra, (et quidem vt videtur, rubicunda), in quam post mortem iterum resoluitur (per exper.), Gen. II. 7. Quia vero DEVS est summe sapiens et omiscius (§. 39. 27. Th. N.), præterea nihil facit frustra (§. 41. Th. N.): alium ad consilium suum adhibere nequit Rom. XI. 34. Ies. XL. 13. 14. Ergo, quia pluralitas non solum ex verbo נעשה, sed et suffixis patet Gen. I. 26: totam S. S. Trinitatem hoc cœpisse consilium, luce est meridiana clarius. Dubia, quæ hic formari possunt, ex §. 153. refutantur, præcipue si attendas, quod nec Ex. XX. 2. (vbi tamen quam maxime opus fuisset) Magnatismus locum inueniat.

§. 138. Hucusque formabatur homo ratione corporis, quod עפר et inanimum erat. Hinc inspirauit DEVS in nares eius spiraculum vitarum, quo fiebat animal viuens. Ergo, quia animal vivens, tale fit per functiones animales s. circulationem sanguinis (§. 340. Phys), et rationale per coniunctionem animæ s. mentis cum corpore (per def.): DEVS non solum per hanc inspirationem, motum sanguinis promouit; sed et mentem cum corpore coniunxit; id

quod

quod ex vers. 19. Gen. II. patet, vbi eadem vocabula de animalibus viuentibus irrationalibus vsurpantur.

§. 184. Quia itaque *post* cœptum consilium, DEVS demum hominem creauit, et quidem numero primo vnicum (§. 182. 183.): non solum rite sese habet assertum PAVLLI Act. XVII. 26. 1 Cor. XV. 45. sed et falsa est ISAACI PEYRERII sententia de Præ-Adamitis. Nam, quod ex Gen. IV. 14. 17. Rom. V. 14. ad probationem existentiæ Præ-Adamitarum affert; intelligi potest de Adami posteris, ita vt non sit necesse ad Præ-Adamitas confugere. Nonne hoc modo frustra Adamum creasset? quod absurdum.

§. 185. Quia porro *insufflatio* illa nil erat, nisi actio DEI, qua Adami corpus reddidit animatum (§. 183.): *proprie*, hoc sumi vocabulum nequit; alias DEVS esse deberet corpus. Verum est ens simplex (§. 12. Th. N.). Ergo et nihil ex DEO emanare potest. Hinc errant *Mystici* quidam *Gnostici* et *Manichæi*, cum *Pythagoricis* et *Platonicis*, qui animam nostram, tanquam particulam essentiæ diuinæ, luminisque essentialis scintillam habuerunt. Nam sine mente soni sunt, prætereaque nihil. Dictum vero 1 Ioh. IV. 13. de Sp. S. donis in regeneratione acceptis loquitur, quod ex vers. 15. 16.

III. 24. etc. claret. Et si vel maxime, quod tamen negamus, res ita se haberet, nunquam inde animam ad DEVM, per vnionem, quod blaterant, mysticam refluere posse et debere, probari potest. Multo itaque minus ex Gen. II. 17. eorum sententia robur accipit. Nam symbolum tantum fuit, quo corpus fuit animatum, et in statum animalem euectum (§. 183.); quod ex collatione Ioh. XX. 22. elucet. Nonne sic DEVS corpus atque compositum?

§. 186. Quia DEVS est ens *simplex*, partibus carens (§. 12. Th. N.): DEVS causa per emanationem in creationis actu, minime fuit, uti BOEHM. in aurora p. 26. seqq. itemque in principiis göttl. Wesens p. 11. aliique *Fanaticorum* absurdissime putant. Probant sententiam suam 1) ex Act. XVII. 28. Resp. non essentialiter, sed secundum Ebræorum loquendi formulam, per modum *effectus*, s. dependentiæ. 2) 2 Pet. I. 3. 4. Resp. contextus docet, quod fiat per DEI imitationem. 3) Rom. XI. 36. Resp. *ex*, hic non denotat causam materialem, sed efficientem.

§. 187. Denique, quia tantum duarum hominis partium mentionem facit Sc. Gen. II. (§. 183.): a à de Cohel. XII. 7. Gen. XXXV. 18. Luc. XXIII. 46. Act. VII. 60. 1 Reg. XVII.

XVII. 21. Luc. VIII. 55. Matth. X. 28; præterea tertia pars superflua est, quod de DEO cogitari nequit; et contra experientiam (§. 218. Psych. et 75. seqq. Pn. oc.): ideo male *Fanatici* tres hominis partes essentiales statuunt. In pluribus enim, quæ adducunt, locis, e.g. Ies. XXVI. 9. Luc. I. 46. 47, vel exergasia s. Exepegesis locum habet; vel de donis spiritualibus, qualis est conuersio, regeneratio, agunt euidenter; e.g. Ps. LI. 12. 1 Cor. XIV. 14. 1 Thess. V. 23.

§. 188. Creauit vero mentem s. animam, vt substantiam, a corpore distinctam (§. pr.). Ergo, anima non esse potest corpus s. compositum, sed ens simplex (id quod vlterius in Psychologia exposuimus) adeoque vt Spiritum (§. pr.). Et, quia DEVS elementa primum creauit, ex quibus omnia dispositit (§. 164.): animam hominis non statim vt Spiritum creasse, sed tunc demum ad statum perceptionum distinctarum euexisse, postquam cum corpore coniungeret, est probabile. Verum opposita sententia sic etiam locum habet. (§. 176. Log.).

§. 189. Adamum sic *primo* constitutum (§. 183-188.), extra Paradisum formatum, in illum introduxit Gen. II. 15. et vt finis DEI procreatio sc. sobolis et adiutorium ob-

tineri posset Gen. I. 27. feminam ex costa viri, ad statum inter eos æqualem, formauit Gen. II. 18-22. Non autem ideo concludere licet: Adami corpus fuisse mutilum et imperfectum. Nam, quia a DEO perfectissimo, imperfecti quid provenire non potest, ideo vel alia costa, cum carne suppleuit Gen. II. 21. vel ad eundem finem iam in Adamo erat.

§. 190. Somnus vero, quem immittebat DEVS, varias ob rationes necessarius erat, sc. ad timorem et horrorem depellendum et ad admirationem sapientiæ, etiam hoc in opere excitandam etc.

§. 191. Femina ædificata est ex costa Viri intra Paradisum, Adamus vero extra eum (§. 189.). Ergo Homo ante lapsum non erat *ανδρογυνος*. Ergo, quia et matrimonium iam ante lapsum fuit institutum Gen. I. 27. 28. II. 24. Matth. XIX. 4. haud ex se ipso generare potuit liberos, vti quidam Rabbin. somniant. conf. *Talmud* in Kethuboth f. 821. quod etiam statuit obscurus ille BOEHMIVS in myst. magno C. 18. p. 104. Probant 1) copulam maritalem *carnalem* esse, adeoque peccatum. Resp. est fallacia æquiuocationis. 2) Adamum ante lapsum non cohabitasse Euæ. Resp. quia non multo post creationem lapsi.

§. 192.

§. 192. Quia genus humanum ab hisce erat propagandum (§. pr.): conseruari etiam debuerunt. Hinc, quia organa ad victum et cibum ipsis formauerat DEVS (per exper.): genera ciborum, vti reliquis animalibus, ipsis etiam ad fruitionem concessit, immo concedere debuit. Hinc intelliguntur loca Gen. I. 29. II. 16.

§. 193. Denique, ob sapientiam et omnipotentiam DEVS omnia facere et creare debuit et potuit, vt hisce, suum obtinere potuerit finem (§. 39. Th. N.). Quod vero ita comparatum, est bonum (§. 36. Ont.): Ergo, Q. DEVS creauit, fuit bonum, et propter omnisapientiam, valde bonum h. e. optimum (§. 36. Ont.). Gen. I. vlt.

§. 194. Creaturæ erant *metaphysice* bonæ (§. pr.). Quum vero DEVS per creaturas, finem suum consequi intendit (§. 36. Th. N.): vna etiam alteri vsum atque perfectionem præstare debuit, alias finem suum minime fuisset consequutus. Ergo creaturæ habebant etiam bonitatem *physicam* (§. 36. Ont.), id quod ex operibus etiam §. 170 - §. 182. elucet.

§. 195. Porro, quia creaturæ bonitate metaphysica gaudent, (§. 193.): suis ideis conuenientes fecit DEVS. Ob sanctitatem vero nihil velle potest, quod suis perfectio-

nidus repugnat, sed quod istis conuenit (§. 50. Th. N.). Creaturas ergo omnes s. mundum, ita producere debuit, vt suis perfectionibus conuenirent. Ergo, quia conueniunt: perfectiones suas in mundo expressit et manifestauit Rom. I. 20.

§. 196. Quia vero vt sapientissimus omnes fines particulares ita ordinare debet, vt media sint ad finem vltimum (§. 102. Pn. oc.); per omnes vero creaturas s. totum mundum suas perfectiones manifestauit (§. pr.), vbi semper quia in mundo datur nexus (§. 9. seq. Cosm.), vna alteri vsum præbet: manifestatio perfectionum recte hinc, vt finis Eius vltimus adduci debet. Complexus vero perfectionum DEI, constituunt *gloriam Eius.* Mundum ergo creauit ad suam gloriam, quæ est finis Eius *vltimus. Intermedius* vero s. *finis cui*, est creaturarum vtilitas (§. 194. et 83. 84. Ont.).

§. 197. DEVS perfectiones suas per creationem manifestauit (§. 196.). Quum vero homo omnes creaturas earumque influxum, hodie cognoscere non potest, e. g. sunt stellæ nonnullæ, aliaque animalcula &c: non etiam harum cognoscere poterit vsum. Hinc probare non possumus, omnia esse facta *propter hominem*; quamuis thesin hancce non reiiciamus. Ad minimum

nimum exinde de gloria et maiestate DEI, suæque scientiæ paruitate, cogitare poterit homo 1 Cor. X. 31. 1 Tim. IV. 4. 5.

§. 198. Absolutis hisce, quæ hucusque recensuimus, absoluta etiam sunt, quæ ad ἑξαημερον sunt referenda. Quum itaque secundum Gen. I. DEO placuit, interuallo ἑξαημερῳ omnia producere, et verba historica plana sunt atque perspicua, a quibus recedere, nulla vrget necessitas, siquidem viæ DEI imperscrutabiles sunt; non opus est, vt cum PHILONE *Iudæo*, aliisque credamus: totum hocce vniuersum, in momento fuisse creatum, vt h. m. sextiduum spectaret tantum ad ordinem rerum, non ad distincta temporis interualla. Neque etiam vrget necessitas, vt cum CLVVERO, BVRNETIO, WHISTONIO per sex illas dies, *annos* intelligamus. Nam, DEVM hoc modo et tempore creare potuisse, concedimus; an vero etiam voluerit, est probandum. Qua ex ratione WHISTONII etiam cadit sententia, quod creatio, ex cometa imperfectiori facta sit; quæ omnia litteris repugnant diuinis.

§. 199. Iisdem etiam litteris repugnat, cœlum atque terram vers. 1. Cap. I. Gen. diu ante sextiduum, magnoque temporis spatio intercedente, creata esse, quod *Re-*

mon-

monstrantes EPISCOPIVS instit. Theol. L. IV. Sect. III. C. I. aliique defendunt. Nam 1) quæ vers. 1-5. recensentur, creata dicuntur die prima 2) semper Sc. S. si de creatione sermo est, cœlorum et terræ, rerumque in iis contentarum, mentionem facit Gen. II. 14. Act. IV. 24. Ap. X. 6. 3) nulla adest ratio, quare DEVS post tam longum temporis spatium demum exornasset cœlum atque terram; potius 4) est contra eius sapientiam, quæ omnes fines intermedios *connectit*, ad finem vltimum, quæ tamen, posita *creatione Remonstrantium secunda*, *connexio* omnino exularet. Dubia vero eorum 1) terram fuisse inanem 2) opus habuisse ob putredinem metuendam agitatione venti 3) cœlum die secunda conditum fuisse, ex tractatione nostra facile refutantur.

§. 200. Acquisito fine, cessat actio (§. 80. Ont.). Quum itaque DEVS sapientissimus, finem suum omnino consequi debuit per creationem, siquidem propter omniscientiam omnes fines, omniaque necessaria media cognouit (§. 27. 42. Th. N. et §. 80. Ont. 102. Pn. oc.): mirum non est, quod Sc. S. Gen. II. 1. seq. die septima DEVM quieuisse ab omni opere suo, affirmet. Quod etiam alio demonstrari modo potest. Nam, quia sapiens via breuissima ad scopum

pum tendit, adeoque miracula non edit, si quid viribus naturalibus deduci potest (§. 41. 122. Th. N.), DEVS vero omnes res ita creauit, vt naturali modo sese propagare possent, quod ex benedictione diuina elucet Gen. 1. 22. 28: ideo actio seu creatio cessare debuit omnino.

§. 201. Denique, quia Spiritus est DEVS independens et immutabilis (§. 7. 10. Th. N.): non indiget creaturis. Hinc, nulla datur caussa creationis *impulsiua externa* (§. 70. Ont.). Quum vero creaturæ vtilitatem habeant per creationem (§. 194.): bonitas DEI, *causa impulsiua interna* recte dici potest (§. 70. Ont.).

§. 202. Ergo, quia nulla, respectu creationis, adest causa impulsiua externa (§. pr.), DEVS etiam neminem in consilium adhibet (§. 188.), nec ob omnipotentiam, alicuius auxilio opus habet (§. 53. Th. N.): ipse causa est et auctor creationis (§. 59. Ont.). Ergo mundum creauit libere (§. 145. Psych.).

§. 203. Ex ratione porro §. pr. patet, decretum hoc de condendo mundo, non esse absolutum (§. 81.).

§. 204. Possemus quidem plura de creatione præsertim *mundi optimi*, in medium proferre. Verum, cum institutum, tum explicatio, prohibet, quam inuenies in Curs. Philos.

Philoſ. (§. 73. Th. N. ſeqq.). Interim conferri ad hæc poſſunt Ven. REINBECCIVS in den Betrachtungen der Augſp. Confeſſ. et cel. WIDEBVRG. Prof. Ienenſ. in diſſ. de luce prim. et in ſpecim. Matheſ. Bibl.

CAP. III.

DE IMAGINE DEI IN HOMINE.

§. 204.

Et potuiſſet ſane hæc, de imagine DEI, doctrina, capite pr. etiam proponi, quia ad creationem pertinet. Gen. I. 26. 27. Verum ob conſuetudinem, in peculiari eam pertractabimus capite, et ob adductam rationem, Cap. præc. ideo ſtatim ſubiungemus.

§. 405. Quod vero homo ad imaginem DEI fuerit conditus, demonſtrauimus in diſſ. prol. §. 16. Ergo imago DEI conſiſtit ratione facultatis cognoſcitiuæ, ſeu intellectus, in cognitione diſtincta, et quidem *concreata* et *habituali* reſpectu earum rerum, quæ ad cultum pertinent diuinum. Col. III. 10. (§. 8-15. Diſſ. prol.). Ergo quia DEVS eſt Trinunus (Cap. pr.), adeoque Eum vt Trinum colere debuit homo (per antea demonſtr.)

monſtr.): cognoſcere etiam DEVM homo debuit vt Trinum ſine reuelatione. Denique, quia cultus DEI requirit obſeruationem officiorum erga ſe et alias creaturas (per def.): ideo homo non ſolum ſe, ſed et alias cognoſcere debuit creaturas. Gen. II. 19-24.

§. 206. Attamen, quia DEVS ob ſapientiam, hæc tantum adplicat media, quæ ad finem conſequendum neceſſaria ſunt, adeoque non ſuperflua (§. 41. 121. Th. N.): ideo talem etiam concreauit primis parentibus cognitionem, quæ fini, ſc. cultui diuino erat neceſſaria. Hinc, quia redemtio Generis humani ante lapſum non erat neceſſaria: de opere redemtionis, nihil eos cognouiſſe, patet. Ergo, quia creatura infinita eſt contradictio (§. 116. Th. O.): cognitio Adami non erat *infinita*, ſeu non habuit cognitionem de *omnibus* rebus, neque obſcuram, multo minus diſtinctam.

§. 207. Ergo cognitio Adami tam per ratiocinia et experimenta, quam per reuelationem augeri potuit (§. pr.): adeoque non omnia ſciuit naturalia.

§. 208. Errant igitur *Sociniani* cum SCHMALZIO ſtatuentes: Adamum ante peccatum inſtar infantis vel pueri fuiſſe (§. 205.). Probant quidem ſententiam 1) ex ignorantia nuditatis Gen. III. 7. Verum erat

erat tantum ignorantia ignominiosi pudoris Gen. 2. vlt. 2) ex ignorantia arboris vitæ, et distinctionis inter bonum et malum. Verum prius negatur; posterius autem nesciuerunt *experimentaliter*, (quod perfectio) non *simpliciter*. 3) ex ignorantia Euæ, quod serpens non possit loqui. Verum, non omnia sciuisse naturalia, ipsi concedimus (§. pr.). Fortassis putauit, subesse angelum.

§. 209. Quia vero imago DEI etiam consistebat in iustitia et sanctitate (§. 16. diss. prol.), Eph. IV. 24: hinc vires habituales primis erant parentibus nil appetendi, nisi vera bona, et nil auersandi, nisi vera mala. Vera bona nos perfectos reddunt et voluptatem afferunt durabilem (§. 36. Ont.). Ergo nihil appetere debuissent, quam quod perfectum reddit, voluptatemque durabilem affert. Talis vero dicitur *rectus* (per def.). Primi ergo parentes fuerunt recti Cohel. VII. 30. conf. Prouerb. XXIX. 27.

§. 210. Adamus non de omnibus rebus cognitionem habebat distinctam (§. 206.). Ergo habuit etiam confusam, ex qua adpetitus fluit sensitiuus (§. 101. Psych.). Quum vero nil adpeteret, nisi vera bona etc. (§. pr.): adpetitus sensitiuus non contrarius erat rationali; sed optima inter hasce facul-

facultates erat harmonia. Hinc vlli motui inordinato locum non concedebat. Gen. II. vlt.

§. 211. Ergo, quia DEus cultum ſuum hominibus iniungit, (§. 1. diſſ. prol.), (quod etiam ex fine creationis vltimo (§. 196.) patet, quia per cultum diuinum gloria DEI ſ. perfectiones Eius manifeſtantur; homo vero nil appetiiſſet, niſi vera bona (§. 209.): promtitudo erat in homine, DEVM ſuper omnia diligendi (quod voluptatem affert durabilem) et facienda omnia, quæ legibus naturalibus præſcribuntur. Ergo etiam omiſiſſet, quæ vt omittenda cognouiſſet.

§. 212. Ergo, quia *ſtatus purorum naturalium* eſt ſtatus, in quo quis neque bonus neque moraliter malus eſt, et per conſequens *facultates* tantum habet, non *habitum*: ſtatus hic, quem Pontificii fingunt, (vid. BELLARM. de Grat. prim. hom. C. V. et VII. quod etiam facit POIRET) circa imaginem diuinam, locum habere non potuit (§. pr.). Multo minus iisdem concedere poſſumus, hominem ante lapſum, ſenſurum fuiſſe rebellionem carnis aduerſus ſpiritum, ob materiæ naturam conditionemque (§. pr.). Probant quidem 1) ſententiam ex Gen. III. Verum, tunc a Diabolo, anima EVAE iam erat deprauata, vti

infra demonstrabimus. 2) quia homo labi potuit; hinc non habuisse iustitiam habitualem. Verum, homo erat creatura finita (§. 206.); quæ saluo habitu, errare aliquando potuit: vt sæpe videmus, circa habitum Musices, ratiocinandi, iudicandi etc. homines, saluo habitu, et hodie errare.

§. 213. Habuerunt ergo primi parentes non solum distinctam rerum ad finem necessariarum *cognitionem habitualem* (§.205.), (quod si *sapientiam, perfectionem* aut *lucem* nominare velis, non repugnabimus) sed et *iustitiam* et *sanctitatem* (§.209.). Hæ vero perfectiones constituunt *imaginem* DEI *primariam* s. *specialiter sic dictam.*

§. 214. Verum, quia mors stipendium est peccati Gen. II. 17. III. 22. Rom. V. 6. 12. 21. homo ante lapsum ratione corporis, fuisset immortalis. Quia vero corpus habet partes: in partes resolui potest, adeoque mortale est omnino. Hinc immortalitas corporis ita erit concipienda, vt *aptus* quidem fuisset homo ad mortem, sed non fuisset obnoxius morti, s. vt non debuisset et *potuisset non mori.*

§. 215. Ergo, quia mors est stipendium peccati (§. 214.): DEVS hominis corpus ita constituere debuit, vt ante lapsum, per ipsam

ipsam optimam temperiem fuisset immortale. Ergo et sine arbore vitæ immortalitatem consequi potuissent parentes. Quia vero DEVS nihil facit frustra (§. 41. Th. N.): frustra arborem vitae minime posuit. Hinc, quia CHRISTVS Apoc. II. 7. XXII. 14. arbor vitæ dicitur: arbor vitæ typus erat CHRISTI. Hinc, quum de CHRISTO Redemtore nihil cognouerunt primi parentes (§. 206.): nec arbore vitæ, ob optimam corporis temperiem opus habuerunt, appetitus etiam sensitiuus contrarius minime fuit rationali (§. 210.): adpetitum etiam habuerunt nullum, fructibus arboris vitæ vescendi. Post lapsum vero adpetitus sensitiuus rationali est contrarius (per exper.). Ne itaque DEVM redderent mendacem, symbolumque misericordiæ diuinæ, de salute sua, (si arboris vitæ recordarentur) haberent: ex horto eos dimisit.

§. 216. Hac itaque §. pr. explicatione omnes tolluntur difficultates. Ergo non negamus vim arboris vitæ; neque habemus opus, vt cum SCHMIDIO ad denominationem serpentis confugiamus. Ita etiam sapientia DEI salua manet, quæ oppugnatur, siue adsumas, immortalitatem corporis, temperie corporis optima; siue ab arbore vitæ; siue a ratione utraque de-

pendere. Errant ergo *Pelegiani*, *Sociniani* et *Remonſtrantes*, corpus Adami mortale affirmantes.

§. 217. Denique conceſſit etiam DEVS homini primo dominium in creaturas, ſc. in animalia bruta et herbas, quæ viribus ſuis dirigere potuit Gen. I. 28-30. Quum vero dominium conſiſtit in iure ſeu facultate re vtendi (§. 207. I. N.): facultatem homini conceſſit animalibus brutis vtendi. Ergo potentiam etiam habuit homo, animalia ad ſuum vſum cogendi. Nam, ſi hac non præditus fuiſſet; iure illo morali nihil effeciſſet. Ergo hoc dominium habebat vir et femina.

§. 218. Quia itaque iam ante lapſum animalibus vti potuit homo (§. pr.): quorundam vero animalium vſus alius ſit nullus, quam vt ad eſcam præparentur, e. g. ſunt aquatilia; ideo iam ante lapſum homo comedere potuit carnem. Eo magis ergo ſequitur hæc theſis, quo magis ante lapſum differebat a ſtatu poſt lapſum, in quo ipſi eſt conceſſum Gen. IX. 3. Quamuis itaque nulla, huius rei Gen. I. fiat mentio; a ſilentio tamen, ad negationem non valere conſequentiam, quilibet videt. Multa enim expreſſis verbis non extant in Sc. S. (§. 91. Prol.). Ergo, quia finis DEI ſcil. conſeruatio hominum obtineri debet:

et

et hodie homines dominium in creaturas habere claret. Gen. IX. 3.

§. 219. DEVS ergo vt Spiritus, intellectu et voluntate (§. 37.), libertate porro, immortalitate et dominio in creaturas omnes gaudet (§. 24. 23.). Quum itaque et homo ſpiritum, cum ſuo corpore coniunctum habet, adeoque intellectu, voluntate, libertate, immortalitate quoad mentem (§ 49. 125. 145. 156. Pſych.), et corpus, nec non dominio in creaturas ornatus erat (§. 214. 218.); DEVS vero nihil fruſtra facit, nec caſu aut fortuito (§. 41. Th. N. et §. 15. Coſm.): recte et quoad haſce perfectiones ad imaginem DEI, hominem fuiſſe conditum, affirmare poſſumus (§. 57. Ont.). Hæ vero perfectiones conſtituunt imaginem DEI *ſecundariam*, ſeu *generalem*.

§. 220. Quum itaque hodie adhuc homo dominium habeat in creaturas (§. 218.): intellectum porro voluntatem, et libertatem (§. 49. 125. 145. Pſych.); non vero immortalitatem quod corpus (per exp.): homo hodie imaginem diuinam *generalem ex parte* gerit Gen. IX. 6. Iac. III. 9. (§. 219.). Aſt, *ſpecialem* ſeu *primariam* amiſit (§. 214. et §. 2. 3. Diſſ. Prol.). Col. III. 10. Eph. IV. 24. Ad quod enim homo eſt reuocandus et renouandus, illud non amplius

habet. Ergo imago diuina erat *amiſibilis*, et hodie *reſtauabilis*.

§. 221. Ergo, quia partes tantum imaginis diuinæ adſunt (§. 220.); partes vero, quæ de re aliqua ſuperſunt *rudera* dicuntur: rudera imaginis diuinæ hodie adhuc ſupereſſe, recte concludimus.

§. 222. Porro, quia Dominium in creaturas hodie adhuc habet homo (§. 218.); et tamen imaginem diuinam amiſit (§. 220.): dominium in creaturas, *formalis* et *eſſentialis*, adeoque *primarius* imaginis diuinæ conceptus eſſe nequit, prout *Sociniani* et *Remonſtrantes* putant. Patet id etiam ex termino *ad quem* renouandi ſumus Col. 3. 10. Eph. IV. 24. Probant quidem ſententiam 1) quia Gen. I. 28. diſerte in dominio collocatur. Reſp. Negatur: quod ordo verborum oſtendit. *Prius* enim de imagine DEI dicitur; et nota *aliqua* imaginis diuinæ hic recenſetur, non vero omnes; alias PAVLLO contradiceremus; *immo hoc modo imago diuina in multiplicatione animalium conſiſteret.* 2) ex Gen. IX. 6. Iac. III. 8. Verum Reſp. vide §. 220. 3) quia angeli non habent dominium in creaturas; hinc ipſis etiam non tribuitur imago diuina. Ergo imago DEI conſiſtit in dominio. Reſpond. MOSIS intentio non erat, vt præciſe angelorum notitiam traderet. Hinc mirum non eſt,

est, de imagine diuina in angelis, nihil dicere. Quodsi porro imaginem DEI in dominio quæras; quid opus fuisset tam cruenta redemtione? Is enim, qui diuina est præditus imagine, DEVM videre poterit, adeoque DEI erit filius; quod vero de dominio dici non potest. Magni ergo hæc doctrina est momenti, dum magnitudo gratiæ non recte intelligi potest, nisi mala, a quibus liberati sumus, bene cognouerimus. Vid. etiam §. seq.

§. 223. Quia itaque DEVS hominem ad imaginem suam condere debuit (§. 16. Diss. prol.): imago DEI homini fuit *naturalis*, non *supernaturalis*, vt *Pontificii* (qui illam frenum aureum ad concupiscentiam compescendam) dicunt. vid. BELLARM. L. de Grat. prim. hom. C. V. VI. VII. Attamen imago *DEI* est amissa (§. 220.). Ergo non fuit naturalis *constitutiue* aut *consecutiue*: sed *inchoatiue*, *inhæsiue*, *connexione naturali* (§. 11. Ont.). Ergo rursus concludimus, imaginem diuinam non esse quærendam in dominio (§. pr.). Dubia confutata vid. §. 212. *Naturale* enim dicimus, sine quo ens, *illud* ens esse non potest.

§. 24. Imago *DEI* homini erat naturalis (§. pr.). Ergo, quia species virium propagatur, et omnes homines ex intentione *DEI*, leges suas obseruare debuissent (§. 1.

Diss. prol.): omnes etiam homines imagine diuina ornare debuisset *DEVS*. Nam, sine imagine diuina, nil nisi defectus in actionibus hominum deprehenduntur(§.1-3. Diss. prol.). Ergo, quia DEI intentio erat, vt per generationem seu propagationem, genus humanum multiplicaretur: imago diuina etiam ad posteros propagata fuisset. Gen. I. 26. Act. XVII. 26. Ergo Imago DEI homini *naturalis* quoque erat *transitiue* (§. pr. et §. 11. Ont.).

§. 225. Ergo, quia Adamus non solum, sed et Eua legibus diuinis conuenienter viuere debuissent (§. 1. Diss. prol.): Adamus et Eua secundum imaginem DEI conditi erant (§.pr.) Gen.I.26. Gal.III.28. Elucet etiam theseos huius veritas: quod vir et femina pœnas luant Gen. III. Rom. V. 12. Errant ergo *Fanatici*, probantes sententiam ex 1 Cor. XI. 7. Sed locus tantum de imperio mariti in feminam agit. Aut locus intelligi potest ita, quod Adamus *immediate*: Eua *mediate* ad imaginem diuinam facta sit. Errant ergo etiam *Socinia-ni*, qui mulieri ob denegatum in bruta dominium, imaginem diuinam denegant; ad quod responsio ex §. 217. est hauri-enda.

§. 226.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_0234
DFG

§. 226. Etsi autem Eua vt Adam habuerit imaginem diuinam; Eua tamen mediate ad imaginem DEI facta erat (§. pr.). Hinc Eua quoad certos gradus, Adamo cessisse videtur, 1 Tim. II. 14.

§. 227. Denique, si corpus primorum parentum cum nostro comparamus: nullam, excepta immortalitate (§. 214.), diuersitatem attendere possumus. Gen. I. 29. II. 16. 21. 23. 25. I. 28. Eadem enim membra et functiones ibi animaduertimus. Quum itaque Sc. S. nihil de fulgidissimo et lucidissimo parentum corpore dicat: BOVRIGNONIAM im neuen Himmel p. 54. aliosque hæc de corpore Adami prædicantes, errare, manifestum est. Nam, maiestas corporis, et differentia a reliquis, tum per actiones mentis, ope corporis; cum per erectam eius staturam et immortalitatem, conspicua iam erant. אדם vero non *fulgidissimum* denotat, etsi *amœnum* significare possit.

§. 228. Status, in quo homo imagine diuina *primaria* ornatus viueret, dicitur *status integritatis* s. *innocentiæ*. Fuit ergo olim talis status (§. 213. 219.).

§. 229. Gessit se autem DEVS in creatione imaginis diuinæ, vt pictor bonus.

Ille enim ante omnia, fundamentum ponit, in quo secundum exemplar quoddam imaginem exprimit. Ita etiam DEVS naturam humanam h. e. mentem et corpus, fundamenti loco posuit. Pictor deinceps lineamenta exemplaris obseruat, eaque exemplari conformiter ducit, fundamentoque illinet. Ita etiam DEVS secundum exemplar sui intellectus et voluntatis, harmoniæque perfectionum, perfectiones, homini, tanquam creaturæ finitæ conformes, dedit; quæ lineamenta exemplar exprimunt et adumbrant. Denique, ornamenta pingit artifex imaginem cingentia, vt pulcriori et nitidiori modo compareat. Ita etiam DEVS ornauit hominem, decenti corporis dispositione, immortalitate et dominio in creaturas.

CAP. IV.

DE ANGELIS.

§. 230.

Et de angelis doctrina, in capite creationis pertractari potuisset, quia pertinent ad opera DEI. Ob consuetudinem autem, peculiari capite, creationi et imagini diuinæ, quia hæc supponitur, eam subiungemus. Et quidem eo magis in Theo-

Theologia de angelis est agendum, quo magis nostra notitia theologica non solum augetur, (dum varia sine angelorum cognitione nec intelligere possemus e.g. est lapsus parentum et origo peccati); sed et eorum seruitio ad nostram salutem promouendam, DEVS vtitur; quo ipso Eius sapientia manifestatur, gloriaque promovetur. Ne iam de illa dicam ratione, quod aliquando cum ipsis futuri simus hæredes vitæ æternæ.

§. 231. Quod existant angeli, variis argumentis probauimus in Pneum. occult. Sc.S. vero expressis verbis eorum mentionem facit Pſ. XCI. 11. Matth. IV. 6-11. Luc. XXIV. 39. Eph. IV. 12. Ep. Iud. 6. etc. Ex locis vero istis etiam definiri possunt nominaliter, quod sint Spiritus, qui præter DEVM et mentes creaturarum in stellis huius mundi aspectabilis habitantium, existunt.

§. 232. Dicuntur autem in Sc. S. מלאכים et ἄγγελοι, nuncii. Ergo nomen non est a *natura* (§. pr.), sed ab *officio* eorum desumtum, quia DEVS eos mittit, iisque ad varia efficienda vtitur. Ebr. I. 14. Hinc etiam in Sc. homines, qui ad varia efficienda mittuntur, angeli vocantur, e.g. Ier. XXXII. 3. 6. Iac. II. 25. Sic *sacerdotes* Mal. II. 7. *Prophetæ* et *Ministri verbi diuini* 2Paral. XXXVI. 10. 16.

10. 16. Ap. II. *Iohannes* Matth. XI. 10. et CHRISTVS Mal. III. 1. angeli adpellantur. Synonyma angelorum in Sc. S. sunt, si dicuntur *filii* DEI Iob. I. 6. XXXVIII. 7. *Spiritus* Ps. CIV. 4. Ebr. I. 7. *serui* DEI et πνευματα λειτουργικα Ebr. I. 7. 14. *exercitus cœlorum* Neh. IX. 6. Luc. II. 13. Hinc DEVS vocatur DEVS exercituum.

§. 233. Quia itaque existunt angeli (§. 231. 232.): errant *Sadducæi* cum *Dositheanis* Act. XXIII. 8. *Ranteris* vid. ALEX. ROS mundi varius DEI cultus p. 490. et HOBBESIO in Leuiath. Cap. XXXIV. etc. qui existentiam angelorum negant.

§. 234. Angeli itaque sunt Spiritus, qui aliter esse possunt (§. 232.). Ergo sunt entia contingentia adeoque ab alio (§. 41. Ont.): et quidem, quia summam potentiam creatoris indicant, tanquam opus ad extra, a Deo Trinuno Gen. II. 1. (§. 140.).

§. 235. Quia vero sunt Spiritus (§. pr.): nullis constant partibus, adeoque sunt entia simplicia (§. 48. Ont. et §. 169. Psych.). Simplex vero *natura sua* non potest interire (§. 52. Ont.). Ergo nec angeli sic interire possunt, seu sunt incorruptibiles, quamuis ob omnipotentiam DEI annihilabiles. In loco autem esse possunt, quia cum aliis rebus

bus simul existunt, quamuis non possint circumscribi (§. 40. Ont.). Hinc veteres ex male formata idea loci illis illocalitatem (loci quia notioni extensionem adiungunt) adscripsere Matth. VIII. 32. nr autem *definitiuum* ipsis assignarunt.

§. 236. Angeli sunt entia simplicia (§. pr.). Ergo in instanti a DEO sunt producti (§. 234.): adeoque ex nihilo (§. 1. Ont.). Per consequens omnia ipsis attribui debent, quæ entibus simplicibus competunt (§. 48. seq. Ont.). Fabriculosa ergo est *Rabbinorum* traditio, quod Adamus lapsus per CXXX. annos semet ab Eua separauerit, et interim generauerit angelos malos, vid. Ven. BERNHOLD in Theol. Pol. p. 73.

§. 237. Quia itaque angeli intra sextiduum a DEO sunt creati (§. 199. 236.): non male, *quanam die*, quæritur? Ex historia creationis Gen. I. id tam certo non patet. Verum cum Ps. CIV. opera creationis secundum dies recensentur; angelorum fit mentio ante fundationem terræ, et post diuisionem aquarum. Hæc vero facta est die secunda Gen I. Ergo in Spiritualitatis statum (nam vt *simplicia* iam die prima creati erant Gen. I. 1.) DEVS hoc die angelos evexit. Id quod etiam ex Iob.

Iob. XXXVIII. 4. 7. patet; itemque ex Gen. II. 1. (§. 232.). Errant ergo *Remonstrantes*, qui diu ante, eos creatos esse perhibent (§. 199.). Hæc controuersia nullum habet vsum; hinc mittimus. Qua ex ratione accedere nec iliis possumus, qui sexto creationis die conditos fuisse ex eo affirmant, quia perfectissima vltimo essent producta. Petitio enim principii, et perfectissima, ex parte DEI finis *sapientis*, cum perfectissimis naturis confunduntur.

§. 238. Angeli sunt entia contingentia (§. 234.). Ergo successio in illis locum habet, adeoque creaturæ sunt finitæ (§. 54. Ont.), et per consequens attributa illorum a DEI attributis maximopere differunt.

§. 239. Ad angelorum essentiam secundum quosdam non pertinet corpus. Ergo sunt Spiritus completi (§. 22. Ont.): non tamen contradictionem inuoluit, si corpora ad tempus assumserunt, vti ex Sacra Scriptura patet. Corpora vero ex aëre et æthere fuisse, probabiliter concludunt, quia motus æther efficit etiam colores (§. 94. Phys.). Quid vero cum depositis corporibus, expleto ministerio, factum sit? definiri sic vix potest.

§. 240. Sunt vero contra alii, qui ex sapientia DEI, qua omnia harmonice facit, adeo-

adeoque 1) per argumentum analogicum (§. 194. log.), cum aliis spiritibus finitis, itemque 2) ex natura cogitationum, quæ ex sensationibus proueniunt (§. 5. 7. log.); et 3.) omnibus, quæ de angelis Sc. dicit, faciliori modo explicandis, e. g. de adparitionibus, obsessionibus, igne damnationis etc. angelis, subtile aliquod corpus, a nostro itaque carne et ossibus prædito, valde diversum, (*typum* vocant) esse, concludunt: quam sententiam IVST. MARTYR, ORIGENES, aliique ecclesiæ patres, defendebant quoque.

§. 241. Angeli sunt spiritus (§. 234.). Ergo habent intellectum (§. 97. Pn. oc.). Sunt etiam finiti (§. 238.). Ergo non omnia possunt cognoscere, neque etiam simul, sed successiue. Hinc non sunt omniscii (§. 27. Th. N.). Quia vero sunt a DEO (§. 236.): cognitio eorum, DEI conuenienter naturæ esse debet, et hoc modo perfecta; attamen limitata. Ex (§. 232.) itaque concludimus: quod pro munere, certo modo, *DEVM, se, aliasque res creatas* cognoscere queant Matth. XVIII. 10. Ies. VI. 3. Ebr. I. 6. Eph. III. 10. 2Sam. XIV. 20. et quidem distincte et clare (§. 49. Psych.). Quia vero non omnia distincte et clare, ob naturæ finitudinem cognoscere possunt: nec *certo* omnia cognoscunt; sed multa solum,

lum *probabiliter*, et quoad *possibilitatem* tantum; qualia sunt *futura contingentia*, quæ a libera hominum dependent voluntate. Es. XLI. 22. XLII. 8. 9. Ier. XVII. 9. 10, aliaque a *nobis* etiam non cognoscenda: quia vires naturæ eorum nobis latent, in Scriptura vero patefacta, qualia sunt, *dies extremi iudicii*, *corda hominum* Ies. XVII. 9. 10. œconomia salutis quoad tempus Eph. III. 10. vno verbo, libera DEI decreta. Hæc eorum notitia, quia ex natura Spiritus finiti sequitur, dicitur *cognitio naturalis*.

§. 242. Attamen non negamus, 1) ob *experientiam* longiorem, immo fortassis ob vires præstantiores, et sagaciores in coniecturis, præ hominibus; 2) itemque per reuelationem DEI, specialem, aliquam de rebus hisce (§. pr.) posse habere notitiam, quam *reuelatam* appellare solent; vti etiam Scriptura testatur, esse, ad futura prædicenda, missos. Denique *iam* DEVM et in posterum intuitiue cognoscunt, quæ eorum *cognitio DEI beatifica* salutatur. Hæc autem ad solos pertinet bonos. vid. §. 249.

§. 243. Quia vero sunt Spiritus (§. 234.): habent etiam voluntatem (§. 97. Pn. oc.). Indicant etiam hanc, actibus *desiderii* 1. Petr. I. 12. v. 8. *gaudii* Lev. XV. 10. *obedientiæ* Ps. CIII. 20. 2 Petr. II. 4. ex quibus etiam videre

dere est, quod sint causæ actionum, adeoque entia libera (§. 145. Psych.).

§. 244. Communicatio cogitationum cum aliis entibus intelligentibus, dicitur generali sensu, *loquela* (per def.). Cum ergo DEVS ad certum angelos officium mittat (§. 232.): communicare cum aliis suas cogitationes debent, adeoque loqui. Quomodo vero id fiat, rite explicari nequit. DEO ergo Es. VI. 3. Apoc. VII. 11. *aliis angelis* Es. XI. 3. *hominibus* Luc. I. 13. 19. 28. 30. 35. II. 10. Act. I. 10. 11. suos manifestare conceptus possunt.

§. 245. Quodsi doctrinam de corporibus angelorum adsumamus (§. 240.): facilis erit huius §. pr. communicationis cogitationum explicatio. Ita enim vel per sensationem externam, vt in hominibus, excitari possunt ideæ; vel etiam per nexum aliquem *exigitiuum*, seu *typicum*.

§. 246. Tribuit quoque Scriptura Sacra angelis *potentiam* extra se agendi et magnam quidem, finitam tamen in corpora etiam Ps. CIII. 20. Matth. XII. 29. 2 Thess. I. 7. 2 Petr. II. 11. 2 Reg. XIX. 35. quam et Philosophia, si corpora angelorum (§. 240.) tibi arrident, probabiliter cognoscit. (§. 9-66. Pn. oc.), et infra §. 266-270.

§. 247. Quot sint angeli? neque ex Philosophia neque Theologia definiri potest; ingentem tamen numerum esse, recte affirmamus. Nam, cœlum productum fuit cum *exercitu* suo Gen. II. 1. neque de eo, sicut de terra dicitur: fuisse vacuum et inane: hinc etiam angeli cœlorum appelantur Matth. XVIII. 10. Luc. II. 13. Dan. VII. 10. Matth. XXVI. 53. Marc. V. 8. 9. *Legio* autem multitudo sex millium erat apud Romanos. Ebr. XII. 22.

§. 248. Quia angeli sunt a DEO (§. 236.): non mali; adeoque cum imperfectionibus moralibus non sunt creati. Sed, quia DEVS nil, nisi bona producit (§. 4. diss. prol.): angeli vero ad cultum DEO præstandum sunt producti Iob. XXXVIII. 4. 7. necesse est, vt iisdem condecorati sint ad finem consequendum virtutibus, quales tribuimus homini (§. 205-212.). Hinc, quia etiam filii DEI dicuntur (§. 232.): filius vero est imago Patris: ad imaginem diuinam creatos esse concedere possumus (§. 213.), licet non κατὰ ῥητὸν in Scriptura sit manifestatum. Hinc etiam fuerunt in statu integritatis seu innocentiæ (§. 228.); seu quod de angelis dicitur, in *statu gratiæ*. Quapropter *status purorum naturalium* etiam quoad angelos, cadit §. 212. Ergo in hoc statu non peccarunt; ideo ipsis Ioh. VIII. 44. ἀληθεια

et

et Iud. 6. eiusmodi ἀρχὴ tribuitur; relicta vero hac demum peccarunt.

§. 249. Aliqui angelorum peccarunt (§. præc.) aliqui non; sed *semper* vident faciem patris in cœlo Matth. XVIII. 10. qua de causa etiam *electi* dicuntur 1 Tim. V. 21. Qui vero *semper* faciem DEI videt, nunquam peccat, aut peccare potest. DEVS enim odit peccata et cum iis tantum se coniungit, qui leges suas obseruant (§. 51. Th. N.). Ergo etiam angeli electi iam non peccant, nec peccare possunt. Ergo, vires ipsis DEVS concedere debet, quibus necessaria *distincte* sibi repræsentare queant (§. 9. seq. Diss. prol.). Ergo malum non possunt non aversari; bonum vero amplecti. Quia vero aliqui peccarunt: talem naturam habuerunt antea, vt peccare potuerint. Hi itaque qui peccarunt, lapsi sunt; illi vero in bono iam sunt confirmati, vt peccare amplius non possint; id quod etiam ex iustitia DEI remuneratiua, patet (§. 67.). Status autem ille ante lapsum et confirmationem, dicitur *status viæ* seu *probationis;* status autem confirmationis dicitur *status gloriæ;* et qui in hoc statu sunt, dicuntur *boni;* quamdiu autem durauerit status gratiæ, ob scripturæ silentium, non liquet. Errat ergo ORIGENES, eos hodie interdum peccare, putans Hom. 3. in Luc.

§. 250. Quoniam vero angeli in hoc statu suarum actionum et passionum causæ existunt: habent adhuc libertatem. (§. 145. Psych.). Ergo status confirmationis non tollit libertatem (§. pr.). Omnes vero actiones ita dirigunt, vt voluntati diuinæ sint conuenientes, quia bonum amplecti debent (§. pr.).

§. 251. DEVS angelos in bono confirmavit, et elegit (§. 249.). Ergo rationem habuit (§. 24. Ont.). Quum vero Decretum absolutum sit impossibile (§. 30. Diss. prol.): ratio erit: quod manserint in veritate (§. 248.); reliquorum vero damnationis ratio, fuit ipsorum lapsus. Oppositorum enim eadem est ratio. Ergo electi fuerunt, sub conditione conseruationis legum in statu viæ (§. 249.). Quoniam vero ad obedientiam DEO præstandam, per naturæ iam dependentiam sunt obstricti; non *ex merito*, sed *per ordinem bonorum operum* sunt electi (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Ergo ex sola DEI, ordinem hunc constituentis benignitate; nisi *ordinem meriti*, qui, quia non peccarunt, cogitari vix potest, *expiatorii*, probes.

§. 252. Omnes actiones angeli boni ita dirigunt, vt voluntati diuinæ sint conuenientes (§. 250.). Cum ergo voluntas DEI sit, vt cuiusuis rei naturæ conuenienter

enter viuant omnes (§. 6. I. N.): angeli etiam naturæ diuinæ conuenienter viuunt. Hinc Eum laudant Es. VI. 3. seq. Iob. XXXVIII. 4. 7. faciunt voluntatem eius in cœlis Matth. VI. 10. Christum etiam tanquam DEVM (§. 100.) adorant Ebr. I. 6. Eique seruiunt; Matth. VI. 11. efficiuntque verbum DEI Ps. CIII. 21. et quæ sunt alia erga DEVM officia (§. 20. seqq. I. N.).

§. 253. Angeli faciunt voluntatem DEI (§. præc.). Cum ergo DEVS velit, vt felicitas hominum semper; et ita etiam in vitæ initio et infantia, nec non in adultiori ætate, et omni honesta functione ac morte promoueatur (§. 39. Ph. Pr. Vn.): angelos etiam felicitatem hominum, hoc modo promouere, claret Matth. XVIII. 10. Ps. XXXIV. 8. Ps. XCI. 11. 12. Matth. I. 19. 20. Act. X. 3. 5. Dan. VI. 22. Act. V. 18. 19. Luc. I. 13. XVI. 22.

§. 254. DEVS vult, vt omni statui bene sit. (§. 39. P. Pr. vniuers.). Ergo etiam statui Ecclesiastico. Ideo etiam felicitatem hominum hoc in statu viuentium, promouere debent angeli (§. pr.). Hinc videmus, adfuisse angelos promulgationi legis Mosaicæ Deut. XXXIII. 2. Gal. III. 19. annunciasse aduentum Christi in carnem Luc. I. 26. II. 9. impedire idololatriæ in Eccle-

siam introductionem Ep. Iud. 9. et interesse cœtibus sacris 1 Tim. V. 21. 1 Cor. XI. 10.

§. 255. Ergo etiam status Politici, hominumque hoc in statu viuentium felicitatem promouere debent (§. præc.). Ita tranquillitatem et salutem reipublicæ promovent Dan. X. 13. defendunt Reges et Ministros Dan. VI. 22. arcentque pericula 2 Reg. XIX. 35.

§. 256. Ergo etiam status œconomici felicitatem promouere debent (§. 254.). Ita promouere eos, piorum coniugia, Gen. XXIV. 7. tueri liberos Matth. XVIII. 10. custodire rem familiarem Ps. XXXIV. 8. Iob. I. 10. etc. legimus.

§. 257. Ergo, quia angeli hominum felicitatem promouent (§. 253-256.): ideo vt nobis *seruiant, in sensu latiori*, affirmare possumus. Non vero, si in sensu *strictiori* sumas, vbi ratio actionum alicuius quærenda est in mandatis alterius. Ergo controuersia est logomachia. Ebr. I. 14. enim serui DEI, non *hominum* dicuntur. Ergo, quia serui DEI sunt, (per antea dicta): sunt nostri *conserui*. Hinc cultu *religioso* eos colere, et per consequens adorare non debemus Matth. IV. 10. Ap. XIX. 10. Quoniam vero tot tantisque modis nostram felicitatem promouent (§. 253-256.): magnos facere eos

eos omnino possumus. Errant ergo Pontificii, qui 1) coli posse dicunt θελειαι; sed negatur ob Act. XX. 19. Rom. X. 11. 1 Thess. I. 9. Ergo, si ex Pontificiorum mente, ob venerationem hum. CHRISTI naturæ, adorari renuant angeli; 2) etiam *posse*, negamus. Neque 3) ex eo, quod cuique homini, vnus *certusque* angelus custos adsit, adoratio religiosa sequitur. Nam etsi angelos, hominum custodes non negemus (§. 253-256.) Ps. XCI. 11. Matth. XIIX. 10, Luc. XVI. 22.: non tamen indubitanter, licet probabiliter sequitur: vnum certum cuique homini esse angelum. Per consequens etiam cadit *Pontificiorum* adoratio. Non tamen inficias ire possumus, multos, doctrinam, de angelo tutelari, calculo suo adproboſſe, e. g. CLEMENS ALEXANDRINVS, HIERONYMVS, et ex Iudæis, permulti. Hinc fortasse locus Act. XII. 15. ex mente Iudæorum est explicandus, aut cum TOBIA MAIOR. ad h. l: *Est nuncius a Petro missus, aut nuncius eorum, quæ Petro acciderant.* Nullum ergo hæc doctrina affert damnum.

§. 258. Ergo etiam aliquando in iudicio extremo voluntatem DEI facient (§. 250.). Hinc ipsis Scriptura attribuit comitatum ad aduentum Christi, et proclamationem eius per sonum tubarum Matth. XXV. 31.

1 Theſſ. IV. 15. 16. collectionem hominum Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27. ſegregationem piorum ab impiis Matth. XIII. 41. 49. illorum ad dextram Matth. XXV. 32. horum ad ſiniſtram l. c. et præcipitationem in infernum Matth. XIII. 47.

§. 259. Quia boni, DEVM ſemper intuitiue clare et diſtincte cognoſcunt (§. 249.): Matth. XVIII. 10. Eum ament eſt neceſſe (§. 113. Pſych.). Ex intuitu bonorum oritur voluptas (§. 89. Pſych.). Ergo, quia DEVS eſt ſummum bonum (§. 144. Ph. Pr. Vn.): voluptas eorum ſumma eſt et ineffabilis. Porro, quia ſunt entia ſimplicia (§. 235.); DEVS vero nullam haberet rationem, cur eos annihilaret, (potius ad gloriam ſuam promouendam pertinent), uoluptas eorum erit æterna, adeoque etiam ſunt *beati*, h. e. non interruptam felicitatis poſſeſſionem habent (137. Ph. Pr. Vn.).

§. 260. Aliqui angelorum peccarunt (§. 248.). Ergo malum ſub ſpecie boni ſibi repræſentarunt (§. 91. Pſych.). Qui vero hoc facit, res inter ſe confundit (§. 28. Log.). Ergo angeli illi, ſuas a DEO ipſis concreatas perfectiones non bene adhibuerunt. Quodnam vero illorum ſit peccatum, ex ſcriptura non claret. Probabili tamen modo

do ex Gen. III. 5. Matth. IV. 9. 1) *ambitionem* fuisse colligitur. Alii, 2) *peccatum in Spiritum Sanctum:* rursus alii 3) *inuidiam* fuisse dicunt: quia DEVS decreto quodam, humanam Christi naturam, supra angelicam exaltauit: sed nulla harum sententiarum est probabilis, præter primam. Nam, peccatum in Sp. S. impeditionem officii et ministerii eius, quo tamen ante lapsum vsus nondum erat, includit. Vid. §. 393. Inuidia vero, et odium in humanam Christi naturam; aut, quæ aliorum 4) rursus sententia, *in homines* Ioh. VIII. 44. 1 Tim. III. 7. Iud. 6. nullo probatur fundamento; sicut 5) *Deiformitas* illa, seu affectata cum DEO æqualitas; maiusque 6) in angelos reliquos imperium. Omnes enim incertæ sunt, et ex ambitione sequuntur. De tempore, Scriptura quoque tacet. conf. diss. nostr. cui tit. *diiudicatio iudicii, de non existentia Diaboli.*

§. 261. Describit autem Scriptura lapsum angelorum malorum, sub certo quodam Duce, quem *Diabolum*, *Satanam*, *antiquum Serpentem*, *Principem Dæmoniorum*, (quo nomine omnes mali angeli seu lapsi veniunt) vocat; quomodo vero, an *exemplo*, aut *persuasione* id factum, iterum non liquet Ioh. VIII. 44. Luc. XI. 15. Apoc. XII. 7. 12. Matth. XXV. 41. Apoc. XII. 7. Ergo Dia-

boli ipsi sunt causæ lapsus, adeoque libere est factus, (§. 145. Psych.). Ergo causa non est DEVS, aut Decretum DEI absolutum (§. 30. Diss. Prol.).

§. 262. An vero tanta huic lapsum secuta sit corruptio, vt priuati sint perfectionibus concreatis, ex Philosophia demonstrari accurate non potest; ex Sc. S. vero luculentissime perspicitur. Mutatio vero status angelorum, quo ex moraliter bonis, facti sunt moraliter mali, dicitur eorum *lapsus*. Per lapsum ergo in ipsis oriebatur totalis perfectionum corruptio 2 Petr. II. 10. 11. Ioh. VIII. 44.

§. 263. Quodsi ergo perfectiones suas amiserunt (§. præc.): exciderunt statu gratiæ et gloriæ (§. 248. seq.); quapropter clare et distincte bonum et malum cognoscere non possunt, nihilque nisi naturalis cognitio ipsis supersit omnibusque oppositis imperfectionibus sunt prædíti (per opp.). Eo ipso autem carent sapientia et prudentia, quæ ex distincta boni et mali repræsentatione oritur; et potius calliditate prædíti sunt maxima. Quapropter cognoscunt quidem DEVM; sed tanquam iustum iratumque iudicem. Hinc metus, dolor etc. (§. 97. 109. Psych.). Cognoscunt se; sed tanquam miserrimos. Hinc deploratio,

ratio, ira, dolor etc. (§. 118. Pſych.). Cognoſcunt alios, et præcipue homines beatos et beandos. Hinc inuidia etc. (§. 115. Pſych.). Nullus itaque in DEVM amor; ſed potius auerſio a DEO. Et quidem, vt Ei quoque auerſentur: omnia DEO contraria faciunt tanquam hoſtes Matth. XIII. 28. (§. 113. Pſych.). Infeliciſſimi itaque ſunt Diaboli, omnique carent beatitudine. Et quo magis omnia hæc agnoſcunt, eo magis augentur praui in illis affectus et ſcelera (§. 102. ſeq. Pſych.). Hinc ſunt in ſtatu damnationis, nihilque boni facere poſſunt (§. 148. Th. N.).

§. 264. Quodſi itaque perfectiones adhuc habent, adeoque *concreatas* tantum amiſerunt (§. 262.): ob ſpiritualitatem, in ipſis non tollitur libertas *omnis:* ſed tantum eligendi bonum, malum vero auerſandi. Inter plura vero mala aliquod eligere poſſunt, quod ipſis maxime arridet (§. 145. Pſych.); adeoque poſſunt ſuarum actionum et paſſionum cauſa eſſe Ioh. VIII. 44.

§. 265. Diaboli omnia faciunt quæ DEO ſunt aduerſa (§. 263.). Ergo non obſervant officia erga DEVM et alias creaturas; ſed potius negligunt. Ergo male de DEO cogitant, Eumque blaſphemantur; attamen ob dependentiam, mandata DEI ſpe-

ſpecialia obſeruare debent. Hinc vtitur DEVS ipſis ad caſtigandos homines pios Iob. I. et II. et puniendos impios, cum in hac Pſ. LXXVIII. 49. tum in altera vita Matth. XXV. 41.

§. 266. Diaboli non obſeruant officia erga alios (§. præc.). Ergo non promouent perfectionem hominum, quoad animam; ſed potius eorum imperfectionem 2 Cor. IV. 4. Ergo a DEO abducunt et ad peccata irritant homines, vt damnationis participes reddantur Luc. XXII. 31. Epheſ. V. 8. 9. VI. 11. 12. Huc itaque pertinet *obſeſſio ſpiritualis*, quæ eſt actio Diaboli, qua hominum contumaciter impiorum animos Ioh. VIII. 44. ad ſcelera peſſima impellit efficaciter Eph. II. 2. 2 Tim. II. 26. Luc. XXII. 3.

§. 267. Ergo etiam officia erga corpus hominum non obſeruant (§. præc.). Hinc deſtruere id allaborant Luc. XIII. 11. 16. omniaque perdere ſtudent, quæ ad conſervationem eius pertinent. Pertinet ergo huc *obſeſſio corporalis*, quæ eſt habitatio Diaboli intra corpus hominum, qua varia, ad perniciem eorum, ex permiſſione diuina efficit Matth. VIII. 28. 31. 32. Marc. VII. 25. ſeqq. Luc. IV. 35. 36. Iob. I. quæ ex effectibus præternaturalibus cognoſci poteſt e. g.

e. g. ex linguis exotericis et manifestatione futurorum (§. 59. seq. Pn. oc.).

§. 268. Quia itaque animam et corpus hominum perdere studeant (§. 266. seq.): mirum non est, quod primos nostros parentes, seductione, in perniciem trahere conati fuerint; qua de re seq. Cap. VI.

§. 269. Hinc spectris, mentis corporisque imperfectionem promouent (§. 266.). Sap. 3. XVII. seq. Ps. LXXVIII. 49. Es. XIII. 21. XXXIV. 14. Marc. VI. 49. Luc. XXIV. 37.

§. 270. Quia Diaboli in perniciem homines trahunt (§. 266. seq.): fieri etiam potest, vt operam suam hominibus, ad varia efficienda, adhibeant, cuius vitii existentiam, sacra scriptura confirmat, *veneficium*-*que* dicitur (§. 34. seqq. Pn. oc.). Ex. VII. 12. Deut. XVIII. 10. Act. XVI. 16. XII. 24. Non enim refutat Christus Iudæorum opinionem, sed potius fieri posse concedit. Conf. diss. §. 260. cit.

§. 271. Quia itaque tantam habent Diaboli potentiam (§. 67-70): male POMPONATIVS, BECKERVS, aliique hancce negant. Prouenit hic error ex eo, quod spiritus non possit agere in corpus; verum refutauimus hancce thesin (§. 229. Psychолog.): vbi et alia dubia, huc pertinentia, refutata vide. Quod vero non amplius tam

tam magnus energumenorum sit numerus; nihil, nisi Diaboli sensim sensimque debilitatam potentiam probat Apoc. XII. 12. Quod vero hæcce ab iis prouenire possint? non solum ex potentia (§. 67. seq.); sed et longæuitate, atque experientia, quibus maiorem sibi præ hominibus, cognitionis gradum acquirere potuerunt, concludimus recte. Habitus enim augetur exercitio crebro (§. 13. Ethic.). Ergo et in coniecturis sagaciores esse possunt hominibus. Lev. XX. 6. Act. XVI. 16. Qua ex ratione, *quasdam* hominum inielligere poterit cogitationes Ioh. XIII. 2. id quod ex oraculis etiam conspicitur (§. 64. Pn. Oc.), non vero *omnes* 1 Reg. VIII. 39. Act. I. 24. Ies. XLI. 22. seq.

§. 272. Annon vero omnes hæ Diaboli operationes, concesso eorum corpore (240.), rectius explicari possent? mittimus. Minimum §. 276. inde distinctius intelligimus.

§. 273. Diaboli DEO contraria faciunt (§. 263.). Dum ergo DEVS amet ordinem (§. 39. Th. N.): Diaboli hostes erunt ordinis; quapropter ordini aduersantur *Ecclesiastico*. Hinc spargunt hæreses Matth. XIII. 27. 1 Tim. IV. 1. 2. 2 Thess. II. 8. impediunt laborem ministrorum ecclesiæ 1 Thess.

1 Thess. II. 18. et salutem hominum eorumque conuersionem Luc. VII. 12.

§. 274. Ordini ergo insidiantur *œconomico*, quoad coniuges 1 Cor. VII. 5. et bona familiæ Iob. I. liberosque Iob. I. Matth. XV. 22. (§. præc.).

§. 275. Hinc etiam ordinem turbant *Politicum* consiliis malis, imperantibus suggerentes 1 Chron. XXII. 1. 1 Reg. XXII. 21. 22.

§. 276. Attamen, quia DEVS est iustus (§. 67.): non potest non punire peccata (§. 29. 40. Dis. prol.) Matth. XXV. 41. 2 Pet. II. 4. Iud. 6. et quidem pœnis æternis l. c. Marc. IX. 43. Apoc. XIV. 11. XIX. 3. Male ergo æterni Euangelii defensores, pœnarum infernalium æternitatem negant. conf. Ven. Ab. MOSHEMII heilige Reden P. I. et Ven. WALCH. in den Religions-Streitigkeiten P. II. p. 654. Quare autem DEVS in gratiam eos nunquam recipiat? dicere non possumus; nec rationes sanctas, decretaque diuina perspicere. Fortassis provenit: quia Diaboli homines seduxerunt; homines vero sunt seducti: aut quia cum angelis, nullum DEVS, ob sapientem mundi nexum, (quia, gratiam non recepturos esse, præuidit) inire potuit pactum, sicuti cum hominibus pepegit. conf. Cap. seq. et §. 1065.

§. 1065. vbi ex instituto hanc controuersiam tractamus.

§. 277. Vbi multitudo rerum; ibi esse potest ordo (§. 33. Ont.). Ergo angeli certis ordinibus differre possunt. Quod vero actu ordo et diuersitas inter eos sint, ex principio indiscernibilium perspicere possumus (§. 53. Cosm.). Ordinem etiam indicat Scriptura Sacra quoad *bonos* Gen. III. vlt. Es. VI. 3. Col. I. 26. Eph. I. 2. 1 Thess. IV. 16. quoad *malos* Luc. XI. 15. 28. Matth. XXV. 41. Apoc. XII. 7.

§. 278. Quamuis itaque ductu Sc. S. ordines inter angelos admittamus (§. pr.); non tamen ordinem probamus a DIONYSIO AREOPAGITA in medium productum; vid. WILH. CAVE, hist. litt. ad an. CCCLXII. multo minus admittere possumus distinctionem in angelos *assistentes* et *ministrantes* Ebr. I. 14. Matth. XVIII. 10. Archangelum vero vnicum tantum esse, probat Ven. BERNHOLDVS in diss. de *Michaele Archangelo vno.* conf. 1 Thess. IV. Ep. Iud. 9. coll Ioh. V. 28.

CAP.

CAP. V.

DE FOEDERIBVS DIVINIS, ET IN SPECIE DE FOEDERE PRIMO, S. OPERVM.

§. 279.

Quodsi omnes homines DEVM colerent: omnes etiam non solum Ipsum cognoscere, sed et omnes actiones ita dirigere deberent, vt quiuis videre posset, DEVM pro tali Numine, quale re vera est, haberi (§. 35. I. N.). Hoc vero modo manifestarentur Eius perfectiones. Complexus vero perfectionum in DEO, dicitur Eius gloria (§. 36. Th. N.). Per cultum ergo DEI promoueretur et manifestaretur gloria DEI.

§. 280. Quum vero DEVS mundum ad manifestationem gloriæ suæ creauit (§. 196.): omne vult, quod ad gloriæ suæ manifestationem aliquid confert (§. 53.). Vult ergo, vt ab omnibus etiam hominibus colatur (§. pr.).

§. 181. Si vero DEVS ab omnibus hominibus coli postulat (§. 280.): omnibus etiam præscribere debet leges (§. 279.). Et,

quia *omnes* eandem habent naturam et essentiam: easdem etiam et non diuersas, *omnibus* (nisi diuersa relatio obsit), præscribere debet. Hinc naturales, *omnibus*, nullo excepto, sunt datæ, vti I. N. loquitur. *Positiuæ* vero dicuntur, quæ per specialem revelationem cognoscuntur e.g. Gen. II. 17. Ergo, quia in statu integritatis, quo posito, omnes ornati fuissent imagine diuina (§. 224.), omnes eandem habuissent naturam: leges positiuæ, si quæ fuissent, omnes etiam obligassent homines: adeoque etiam Adami posteros *omnes*. Ergo et *lex* illa *peiraſtica*, qua sibi subiectorum obedientiam explorauit.

§. 282. Etsi ergo in Sc. S. legamus, quod primo hominum pari *tantum*, lex aliqua in statu integritatis sit data; non tamen ab ea possunt excludi posteri (§. pr.). Ergo, quia lex de vsu arboris vetitæ, lex aliqua diuina erat positiua (§. pr.): lex hæc omnes etiam obligauit Adami posteros.

§. 283. *Lex vniuersalis* audit, quæ omnes, eandem inter se relationem habentes, obligat. Lex ergo de vsu arboris vetitæ est lex diuina positiua vniuersalis (§. 281. 282.).

§. 284. Minabatur vero DEVS transgressoribus huius legis (§. pr.) mortem Gen. II. 17. Ergo videndum, quia Sc. S. tri-

triplicem mortem explicat, qualisnam hic sit intelligenda. Quoniam vero hæ ideæ alias præsupponunt: et hasce vt definiamus, est necesse.

§. 285. *Spiritualia* sunt, quæ ad salutem æternam consequendam pertinent. Discimus huius definitionis realitatem a teste IESV CHRISTI 1 Cor. II. 13. Ille enim Cap. I. et II. sapientiam diuinam cum humana comparat, semperque Cap. I. 18. seqq. II. 2. 6. seqq. illam denominat a cruce seu passione Christi, a qua omnis nostra salus pendet, quam principes huius mundi non sunt assequuti vers. 6. 8. quæ tamen ordinata est ad gloriam nostram comm. 7. quam etiam reuelauit DEVS spiritu suo comm. 10. quam Corinthiis prædicauit quoque comm. 2. 15. et hæc est, quod PAVLVS vocat τὰ τῦ θεῦ vers. 14.

§. 286. Quum itaque *vita entis in genere* consistat in perseuerantia virium, quibus aliquid agere et efficere potest: *vita spiritualis* erit perseuerantia virium, quibus salutem æternam consequi possumus (§. pr.); *vita* vero *temporalis* erit perseuerantia virium mentis atque corporis, quibus ea peragere possumus, quæ animali rationali sunt possibilia. Denique *vita æterna* erit perseuerantia virium, quibus in altera vita DEVM sine fine videbimus (§. 147. Th. N.),

§. 287. Ex oppositione itaque §. pr. *mors entis in genere erit* priuatio virium, quibus aliquid agere et efficere potest. Hinc sine difficultate, per oppositionem reliquæ formari possunt definitiones *mortis spiritualis, temporalis,* et *æternæ* (§. 64. Log.).

§. 288. Quodsi homo in statu integritatis mansisset: non peccasset (§. 209. seq.). Ergo vitam accepisset æternam (§. 140. seqq. Th. N.). Ergo, quia est iustitia DEI remuneratiua (§. 67.): DEVS homini vitam æternam ideo concessisset, quia mandata et leges obseruasset (§. 140. Th. N.). Attamen non fuisset meritum, sed merces gratuita (§. 65. 251.).

§. 289. Quia itaque viribus sufficientibus instructus erat homo, mandatis diuinis, actiones conuenienter dirigendi (§. 205. 209.); quibus vitam æternam fuisset consecutus (§. 288.): homo in statu integritatis habebat et vitam iam spiritualem non solum; sed et, quia etiam quoad corpus fuisset immortalis (§. 215.), vitam temporalem.

§. 290. Concessit DEVS homini primo, vitam spiritualem ob cultum, simulque eum creauit vt ens liberum (§. 205. 121. Th. N.). Quodsi itaque homo, non amplius DEVM colere velit: ipsi non amplius necessaria est vita spiritualis. Quapropter

quia

quia DEVS nil facit fruſtra (§.41.Th.N.): homini, cultum IPSI præſtare nolenti, non amplius concedere poteſt vires. Ergo, quia peccatores cultum DEO minime præſtant: peccatoribus ſpecialem, quo ſufficienter colere DEVM potuiſſet, gratiæ influxum, viresque iſtas concedere amplius non poteſt, ſed potius iisdem eos priuat. Ergo hoc modo ſpiritualem mortem neceſſario oriri, patet (§. 287.).

§. 291. In ſpirituali morte, qua DEVS hominem puniuit (§. pr.), priuatio adeſt virium, quibus ſalutem æternam conſequi potuiſſet homo (§. 287.). Vbi vero non ſunt vires, ibi exiſtere non poteſt actio (§. 55. Ont.). Homo ergo in morte ſpirituali, nunquam poterit conſeqni vitam æternam. Qui caret vita æterna, DEVM in æternum non videbit (§. 147. Th. N.): quæ priuatio mors æterna dicitur (§. 287.). Ergo propter peccata homo pati debuiſſet mortem æternam (§. 284.). Hanc et §. pr. ſententiam alia etiam ratione probamus. Nam, quia cum peccatoribus, quamdiu horum adſcripti ſunt numero, DEVS ſe non coniungit (§. 61.): in ſtatu peccati DEVM videbunt minime. Qui vero DEVM non vident, vitam habere æternam non poſſunt; adeoque nec vires, quibus DEVM videre queamus. Quum vero defectus hic virium

rium mors audiat æterna (§. 287.): morte peccatores plectuntur æterna. Quoniam porro vitam hi consequi æternam non possunt: viribus etiam hanc consequendi carent: quia alias per adplicationem virium, necessario sequeretur actio; adeoque contradictionem inuolueret. Quum itaque defectum hunc virium mortem vocamus spiritualem (§. 287.): et spiritualem ex peccatis mortem sequi, claret. Idem etiam ex subtractione amoris diuini est perspicuum. Nam, quem non amamus eius felicitatem promouere non possumus. *Promouere* autem alterius felicitatem dicimur, si efficimus, vt alteri sit bene. Bene ergo peccatoribus hoc in statu esse nequit. Ergo nec DEVM videre, nec viribus ornari possunt, quibus vitam consequimur æternam; quæque mortem *æternam* et *spiritualem* constituunt (§. 287.).

§. 292. Qui vita spirituali priuatus est, male agere h. e. peccare debet omnino (§. 141. Th. N.). Ergo, homo propter mortem spiritualem et aeternam peccare debuit omnino (§. 290. 291.); id quod sequenti etiam ratiocinio probare possumus. Homo in morte spirituali, defectu laborat virium bene agendi (§. 290.). Quia itaque ex vi consequitur actio (§. 55. Ont.): homo

mo in morte ſpirituali, bene agere non poteſt. Quum vero homo nihilominus agat; actiones eius vel cum legibus convenire, vel non conuenire debent: non enim datur tertium (§. 64. Log.). Quæ conueniunt, dicuntur *bonæ*: quæ non, *malæ* ſeu *peccata*. Homo ergo in morte ſpirituali, nil niſi mala facit, et facere h. e. peccare poteſt.

§. 293. Ergo quia nil niſi mala et peccata facit (§. pr): nulla eſt in ſuis actionibus directio ordinata, qua felix fieri poteſt; ſed inordinata, quam infelicitas neceſſario comitatur (§. 162.). Quoniam vero commercium eſt inter mentem et corpus (§. 150. ſeqq. 181. ſeqq. Pſ.): inordinatus etiam in ſtatu peccati eſſe debet ſanguinis fluxus. Quum itaque ex inordinata ſanginis circulatione corporis miſeria, morbi varii, atque dolores, ipſaque mors oriatur corporis (§. 340. Phyſ.): ex morte ſpirituali ſequitur mors etiam corporalis, omnisque corporis miſeria. Mors itaque et corporalis et ſpiritualis æternaque ex DEI ſapienti directione et ſanctitate, naturali effectu ex peccato ſequitur. Non ergo aliter niſi morte peccatum punire DEVS potuit.

§. 294. Triplicem ergo Gen. II. 17. DEVS minabatur noſtris parentibus mortem

(§. 290-293.). Eph. II. 1. Matth. XXV. 41. Rom. VIII. 10. VI. 23. V. 12. Quoniam vero in ſtatu integritatis, quoad *corpus* fuiſſent immortales (§. 215.), viresque habuiſſent bene agendi DEumque colendi, quibus vitam æternam conſequuti fuiſſent (§. 140. ſeqq. Th. N.): recte ipſis ex intentione DEI, ſi legi Eius conuenienter vixiſſent, adſcribi debent, cum vita ſpiritualis, tum æterna (§. 286. ſeqq.); alias DEVS non ita eos creaſſet, quo ipſo indicauit declarauitque: Se, ipſis daturum eſſe vitam æternam.

§. 295. Quia vero declaratio, qua in alterius gratiam aliquid nos commiſſuros eſſe, indicamus, *promiſſum* audit: DEVS obſeruantibus hancce legem, vitam æternam promiſit (§. pr.).

§. 296. Cui autem competit definitio, illi etiam competit definitum (§. 68. ſeqq. Pſ.). Atqui declarationi DEI (294.) competit promiſſi definitio (§. pr.): ergo et definitum; adeoque eſt *verum* promiſſum (§. 34. Ont.), et *proprie* ſic dictum (§. 125. Log.). Licet ergo nullius promiſſionis *verbalis* mentionem faciat Scriptura: adeſt tamen *realis*. Ita leges naturales earumque promulgatio veræ et proprie ſic dictæ leges et promulgatio dicuntur, quamuis ſint *realiter*, non *verbaliter* nobis datæ. Ita nemo erit

erit, qui *promissionem* vitæ æternæ rationi factam, negabit, qui nostram in Theologia nat. demonstrationem (§. 140. seqq.) considerabit. Fluit enim ex natura et attributis diuinis. Ita etiam fluit ex attributis et operibus diuinis (§. 294.). Nam, quia DEVS tanquam sapiens via breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th. N.): ideo non necesse fuit, vt *expressis* verbis promissionem hancce poneret, vti etiam videmus, quod plura, ratione creationis, breuissimis sint descripta. Gen. I. II. III. Hinc principia (§. 92. seqq. Prol.), hic etiam adplicari possunt.

§. 297. Sunt tamen etiam Sc. S. dicta, quæ idem (§. pr.) euincunt. Nam Ebr. XI. 6. *vniuersaliter* hoc enunciatur, quod vlterius per totum caput explicatur, præcipue vers. 16. conf. 13. 14. 15. 40. Quod vero etiam sit promissum, docet Cap. X. 36. quæ promissio deinceps Cap. XI. vlterius confirmatur. Ita Eph. II. 12. dicitur de iis, qui sunt sine DEO h. e. impiis, spem non habere *vitæ æternæ*. Ergo, per oppositionem sequitur: Qui sunt cum DEO, h. e. pios habere spem vitæ *æternæ*. Quum itaque in statu integritatis parentes nostri, pii fuerunt (per Cap. III.): spem etiam habebant vitæ æternæ; quæ ipsis etiam erat promissa; (per antec.). Et quia CHRISTVS pro nobis mortem subiit, legemque im-

pleuit Matth. V. 17. quo nobis vitam æternam acquisiuit, 2 Tim. I. 10. 2 Cor. V. 1. sequitur: si nos ipsi legem implere potuissemus, idem nobis præmium DEVM concessisse, quod infra clarius patebit. Interim vide Matth. XIX. 16. 17. vbi CHristus vniuersaliter loquitur. Errant igitur *Sociniani*, statuentes; quod nec *primo* homini, nec *vlli* ante promulgatum Euangelium promissa fuerit *vita æterna*, eo quod DEVS prima illa ætate vsque ad CHristum *solo pœnæ metu* sibi obediri voluerit. vid. *Iageri* Compend. Theol.

§. 298. Promisit ergo DEVS primo hominum pari vitam æternam, si leges obseruarent (§. 294-297.). Vita autem æterna est bonum (§. 46. Ont.), quod adpetimus (§. 128. Pf.). Ergo fieri non potuerit aliter, quam vt parentes nostri hoc promissum appeterent, illudque acceptarent. Ergo si acceperunt: DEO promittere debuerunt, vt leges suas vellent seruare. Gen. III. 2. seqq. Nam, sub hac conditione DEVS ipsis promisit vitam (§. 244.). Ergo, quia promiserunt, DEVS etiam ob finem suum acceptauit. Ergo erat promissum mutuum, de factis sibi inuicem præstandis. Qui vero hoc modo sibi inuicem aliquid promittunt, ineunt *pactum* s. *fœdus* (§. 185.

185. l. N.). Ergo DEVS cum primis nostris parentibus iniit pactum s. fœdus. Hos. VI. 7.

§. 299. Formantur vero contra hocce pactum (§. pr.) dubia 1) כאדם Hos. VI. explicant, *vt hominis* sc. fœdus, non vero *sicut* ADAM. Sed sine ratione a sensu litteræ recedunt. Magis enim nostra explicatio inobedientiam et defectionis turpitudinem auget. Comparat enim DEVS beneficia Israelitis præstita, qualia etiam contulit ADAMO, in antecedentibus, cum inobedientia. Hæc vero beneficia nihilosecius neglexerunt et ad ea non attenderunt, sicut ADAMVS, ex cuius tamen exemplo sapere debuissent. 2) negant consensum. Verum responsionem vide (§. 294 - - 298.). Et licet, (quamuis non in totum concedamus), non adsit expressis verbis; adest tamen *realis* atque *tacitus*. 3) promissionem DEI adesse nullam vitæ æternæ. Resp. ex (§. 294 - 297.). 4) Legem esse (§. 283.), non pactum; ad quam, citra pactum iam obligatus fuisset homo. Concedo totum. Quemadmodum vero vnius rei variæ esse possunt relationes (§. 36. Log.): ita et hic *lex:* et *pactum* locum habet omnino (§. 298.). Neque negamus obligationem, etsi non accessisset pactum. Elucet potius hinc

συγ-

συγκαταβασις ad φιλανθρωπιαν DEI demonstrandam. 5) circa leges et officia perfecta non ineunda esse pacta. Negatur. Nam non Respublicæ solum interdum circa officia perfecta, pacta ineunt; sed et sæpe imperantes cum suis subditis. 6) Obligationem ex parte DEI, quia ius in creaturas omnes habet, contradictoriam esse; adeoque 7) contra scripturam hæc asseri dicunt Eph. II. 8. Verum vide responsionem num. 4) propositam. DEVS enim in promissis seruandis est verissimus (§. 24.). Quod vero non sit aduersus Sc. patet a) quia per hocce pactum attributa et naturam suam DEVS optime manifestauit, suamque gloriam illustrauit. b) Script. negat consecutionem vitæ æternæ, per opera ab hominibus, quatenus sunt in *statu iræ* post lapsum; tunc temporis vero Adamus erat in *statu innocentiæ*, in quo vires habuit legi conuenienter viuendi, vti ex Cap. III. elucet. Quodsi ergo homo pactum hocce seruasset; fœdus etiam fuisset æternum.

§. 300. Obligatus erat homo ad leges naturales obseruandas (§. 205.). Obligatus etiam erat ad legem de non comedendo ab arbore vetita Gen. II. 17. quibus obseruatis, vitam æternam a DEO expectare potuisset (§. 294 - 298.). Errat ergo AMI-

AMIRALDVS, qui beatitudinem terrenam in Paradiſo, præmium eſſe, ſtatuit. Errant etiam TWISSVS et Scholaſtici nonnulli, *liberum* fuiſſe, creaturam innocentem *beare*, vel *annihilare*, vel etiam *æternis* cruciatibus afficere, id quod etiam ex iuſtitia et veracitate refutatur (§. 59. 67.).

§. 301. Ergo, quia homo, per *opera* legibus conformata, ſalutem conſequi potuiſſet æternam (§. pr.): ideo recte hocce *fœdus*, *operum*: itemque (quia lex ſimul erat §. 299.) *legale*: et a loco, *paradiſiacum*: a natura autem DEI et hominis, quæ fundamentum erat, *naturale* ſ. *naturæ* vocari poteſt.

§. 302. Vt vero homo tanto alacrius et lubentius promiſſa ſeruaret, in memoriam poſuit DEVS certa *ſigna*, *Paradiſum* ſcilicet et *arborem cognitionis boni et mali*: quæ ſine dubio ex hoc denominabatur, quia ex eſu *experimentaliter* cognouerunt parentes, quid bonum ſit, quidue malum. Paradiſus puta, erat ſignum vitæ æternæ, quæ ideo ſine dubio Paradiſus nominatur Luc. XXIII. 41. 2 Cor. XII. 4. Arbor vero dicta et interdictum DEI erat in ſignum *Dominii*, quod DEVS in hominem, etſi fœderatum, habet. Servata ergo lege: homo agnouiſſet teſtimoniumque dediſſet, ſe DEVM pro ſuo habere domino.

§. 303.

§. 303. Lex aliqua iis data est *omnibus*, qui eandem habent relationem (§. 283.). Quum itaque omnes homines (quia imago diuina propaganda erat (§. 224.), eandem habuissent inter se relationem; lex de non comedendo ab arbore vetita (erat enim ADAMO, imagine diuina ornato, data §. 299.), data erat omnibus; adeoque etiam Adami posteris.

§. 304. Haec vero lex (§. pr.) simul rationem habebat pacti s. foederis (§. 294-298.). Ergo cum omnibus etiam Adami posteris DEVS pepegit foedus (§. pr.). Quia itaque nondum existebant *physice*: ADAMVS pro se et toto humano genere promisit, quo respectu dicitur *caput foederale*, s. *repraesentatiuum* vel *sponsor*. Quia vero per generationem ab Adamo descendunt, dicitur hoc respectu *caput naturale* seu *seminale*.

§. 305. Quia itaque ADAMVS caput naturale a DEO constituebatur (§. pr.) Gen. I. 28: certo cognouit: se habiturum esse posteros. Quoniam vero nil nisi bonum appetebat (§. 209.): felicitatem posterorum omnino etiam appetere debuit; quam consequuti fuissent, si et pro illis paciscerentur (§. 294-299.). Hinc ex parte Adami, pactum illud omnino locum habuit. Ex parte DEI, qui omnium serio vult et velle debet salutem (§. 140. seqq. Th. N.): res tam certa

est,

est, vt contrarium cogitari non possit. Nisi enim posteros Adami in pactum hocce inclusisset: sine ratione hoc fecisset, dum eandem habuissent naturam; cum tamen alia e. g. de propagatione etc. doctrina ad posteros spectet. Ergo rursus veritas elucet: Adamum fuisse caput totius generis humani foederale seu repræsentatiuum (§. pr.). Patet id porro ex natura societatis, quam inire debuerunt ex intentione DEI, omnes (§. 79. I. N.); itemque ex sanctitate DEI, qua harmoniam obseruat omnium perfectionum (§. 59.). Quodsi itaque consensus quoad parentes liberosque non adesset, sed dissensus, qualemque DEVS intenderet: nulla esset in DEO harmonia nec sanctitas, omnisque tolleretur inter homines societas, ordo et perfectio; contra introduceretur imperfectio atque ruptura. Quae cum DEVS auersetur (§. 59.): DEVS non tantum voluit, vt liberi consentirent in bona facta parentum; sed et ipsi liberi, ob societatis nexum, quem tollere non debent, ad talem consensum obligantur.

§. 306. Ita etiam in Republica, ciues praesentes non solum consentire debent, ob societatis nexum, in foedera imperantium; sed et absentes, adeoque et nondum nati.

§. 307. Nondum nati ob societatis nexum consentire debent non solum (§. 305. seqq.);

sed

sed et reuera ipsis consensum tribuere possumus. Nam ponamus: eos existere, vsuque rationis pollere. Statim quaerentibus: num ob societatis nexum; 2) ob bonum, quod ex facto tertii consequi possunt, in factum eius consentire vellent? respondebunt: quod sic, quia bona appetimus (§. 128. Ps.). Licet ergo nondum nati *expressis verbis* consensum haud declarent: consensus tamen ex circumstantiis rei, certo concludi potest, quem *consensum interpretandum* dicunt. Adest ergo in foedere operum consensus posterorum interpretandus.

§. 308. Vbi vero consensus, ibi locum habet imputatio (§. 191. I. N. et 25. Ph. Pr. Vn.). Atqui in foedere operum est consensus posterorum in facta Adami, tanquam capitis foederalis (§. 307.); et praeterea sub foedere illo *comprehenduntur* (§. 304. seqq); ergo facta illa Adami tanquam capitis foederalis, posteris imputari possunt.

§. 309. Notanter §. pr. adiecimus verba, *tanquam capitis foederalis*. Nam *hoc respectu* pro posteris *etiam* pepegit foedus (§. 304.), adestque consensus (§. 308.). Quatenus vero est *seminale*, nullam habet cum posteris connexionem aliam, quam vt hi ab illo, secundum naturæ cursum descendant (§. 304.). Ergo, quicquid Adamus fecit vt caput seminale,

minale, nobis neque in bonam, neque malam partem imputari poterit.

§. 310. Quamdiu fœdus hocce durat, tam diu Adamus caput fœderale recte habetur (§. 204.). Ex oppositione ergo non amplius est caput fœderale, adeoque thesis §. pr. locum habet.

§. 311. Ergo quia id, quod Adamus vt caput fœderale perpetrauit, nobis imputatur (§. 308.): imputatur etiam nobis hoc respectu, eius obedientia, et inobedientia. Ergo, si legi DEI de non comedendo ab arbore vetita, conuenienter vixisset: et hoc nobis imputandum fuisset. Ergo quia DEVS nihil facit frustra (§. 41. Th. N.): arbor vetita adeoque et lex illa peiratica (§. 281.), ad explorationem obedientiæ nostræ actu proposita minime fuisset; alias hæc arbor, propter multiplicationem generis humani, per totum terrarum orbem etiam disseminanda fuisset, quod videtur absurdum. Ob eandem rationem neque hodie ad nostram obedientiæ explorationem est posita.

§. 312. Lex de non comedendo ab arbore vetita fuit vniuersalis (§. 283.); habuitque simul rationem fœderis (§. 299.), quod recte fœdus operum vocatur (§. 302.). Ergo fœdus hoc erat vniuersale; id quod etiam

inde patet, quia Adam non solum pro se, sed et pro posteris iniit pactum(§.304-310.). Rupto autem fœdere operum, in eius locum successit *euangelicum*, quod itidem fuit vniuersale, vt infa monstrabimus, illudque explicabimus. Dantur ergo fœdera diuina vniuersalia.

§. 313. Verum non de vniuersalibus tantum Sc. S. loquitur; sed etiam de aliis, quæ vel ad certam *gentem*, vel ad certam *familiam* pertinebant. In priori casu dici possunt *fœdera particularia* seu *specialia*: (e. g. est *Noachiticum* Gen. IX. Es. LIV. 9. *Abrahamiticum* Gen. XVII. *Mosaicum* Ex. XIX. 5-24. Ios. XXIII. 16. Ps. LXXVIII. 10.) in posteriori, *specialissima* e. g. *Dauidicum* 2 Par. XXI. 7. *Pinehasicum* Num. XXV. 12. Quodsi vero hæc omnia, vno nomine generali, *particularia* nominare velis, non repugnabimus.

CAP.

CAP. VI.

DE PRIMI FOEDERIS VIOLATIONE ET PECCATO HINC ORTO.

§. 314.

O si vero tantum *conditionate*, non *experimentaliter*, de huius fœderis violatione loqui deberemus! Verum proh dolor Sc. S. ductu Gen. III. eam describere cogimur. Illa enim Euæ colloquium cum Serpente adducit, lapsumque describit; quo tempore vero id factum sit, neque ratio neque scriptura declarat. Quapropter opiniones *Cabbalistarum* ludicras, vigesimum ætatis annum; vti et *Thalmudistarum*, horam post creationis tempus, sextam indicantium, non sequimur. *Illa* enim ob liberorum generationem, quia cum imagine diuina procreati; habituque insigni ornati fuissent; *hæc*, ob imaginem DEI, viresque stare non potest: quia credibile non est, quod homo rectus, tam cito victas dederit Diabolo manus. Ex colloquio autem concludimus: *sæpius*, aut saltem *plura*, antea cum parentibus colloqutum fuisse Diabolum. Nam interrogat serpens: אַף, Estne ita? quam explicationem etiam accentus *distinctiuus*

diuus adpositus probat. Ergo ob quæstionem hancce, et 1 Tim. II. 14. recte concludimus: serpentem iam antea, sed irrito conatu, seductionem Adami tentasse, sermonesque cum illis iam sæpius miscuisse. Hinc iis accedere non possumus, qui Euæ colloquenti cum serpente, præsto fuisse Adamum, eoque præsente, O. facta esse, affirmant. Nam 1) a silentio Sc. S. modum, quo factum Euæ in notitiam Adami venerit, haud indicantis, non V. C. sæpissime quippe a) modus alicuius rei vel facti silentii inuoluitur peplo. Deinde b) ob *breuitatem*, qua in descriptione huius negotii Moses vtitur, non solum; sed ob c) sapientiam quoque, nullum quia ex cognotione modi fructum percipere possumus, est omissum. Nec est, quod 2) ex nexu continuo, quo Adami et Euæ deprauatio nobis sistitur, contrariam concludas sententiam; quod rationes iam destruunt allatæ. Ex quibus itaque etiam claret quod Eua prior Adamo peccauit. Gen. III. 6. 1 Cor. II. 14. Sunt quidem, qui 1) ex Rom. V. 12. id impugnare intendunt. Sed a) communis est ita loquendi formula, vt marem fœminamque, vna quia Caro sunt Gen. II. 24. vnum dicamus hominem. 2) Gen. II. 16. seqq. Verum, ab Adamo hanc accepisse legem ex Gen. III. 2. seqq. discimus.

§. 315.

§. 315. Hinc ſerpentem (§.pr.) cognoſcere iuuabit. Conſideremus itaque (quia talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur a ſuis prædicatis (§. 200. Log.) prædicata, ad quæ ergo et reliquæ pertinent circumſtantiæ. 1) Conſtans in toto capite denominatio Serpentis occurrit, vbi inter animalia השדה refertur; eique calliditas præ aliis *animalibus* adſcribitur. Ergo, quia hic cum aliis *animalibus iſtis* comparatur, naturalem adfuiſſe ſerpentem concluditur; id quod 2) ex pœna, a DEO indicata verſ. 14. vbi iumenti *etiam* fit mentio, elucet. Idem 3) ex Euæ excuſatione patet, cui ſine dubio terrorem maximum incuſſit iuſti iudicis præſentia atque quæſtio. Quomodo vero Eua, in tanto terrore ad ſerpentis nomen delapſa fuiſſet, aſſequi haud poſſem, niſi reuera præſens fuiſſet ſerpens. 4) idem claret ex adpoſito vocabulo *aſtutiæ*, quod Gen. III. verſ. 1. fruſtra extaret, niſi ſerpens adhibitus fuiſſet.

§. 316. Ergo quia naturalis aderat ſerpens (§.pr): obſeſſio eſt ſtatuenda (§.267.). Quodſi his §. pr. rationibus et hancce addis, quod Eua attonita ſtetiſſet, ſi vocem quidem audiiſſet, nihilque vero oculis ſuis uidiſſet, et ſic adeo de fallacia cogitaſſet: Diabolum *ſolum*, ſine corpore aliquo fuiſſe,

credere non poteris. Ita ex iisdem rationibus et præcipue ob comparationem cum animalibus *agri*, vers. 1. et denominationem calliditatis, (hoc enim de Diabolo tanquam spiritu afferere, frustraneum esset), Diabolum serpentis schema παραστατικως adsumsisse, et sic adparuisse, probabile non erit.

§. 317. Quamuis ergo in variis Sc. S. locis e. g. 2 Cor. XI. 3. Ap. XII. 7. 9. XX. 2. sub serpente, Diabolus intelligatur: non tamen inde negari poterit, serpentem adfuisse naturalem. Nam loca illa relationem habent ad factum Gen. III. vbi a causa instrumentali, qua vsus erat Diabolus, denominatio desumitur; adeoque ille omnino intelligitur, quia causa erat principalis. Ita, serpentem non posse loqui, dubium facit nullum. Nam serpens non fuit solus, sed a Diabolo obsessus; qui, vti in aliis obsessorum corporibus, sine miraculo, organa loquelæ ita dirigere potuit, vt soni articulati inde prouenirent. Sic *insolitum*, quod in sermone serpentis perspexit Eua, quodque totam Diaboli actionem suspectam reddidisset, curiositatem auxit potuit, quam repressit. Nec *corruptio* rerum, quæ alias adducitur, et qua sic vsus fuisset Diabolus, scrupulum mouet: siquidem ex permissione DEI facta; abusumque indicat, Dia-

Diabolique peccatum auget. Pœna vero partim de Diabolo, partim de serpente, est intelligenda. Comestura enim pulueris etiam cum oleribus locum habere potest: quia non omnia de serpente intelligimus. Calliditatem vero ex nostro iudicio ipsi tribuimus.

§. 318. Quodsi nunc Sc. S. ductu lapsum describere volumus, videmus: Diabolum Euæ, iucundum *sensibus* fructum, naturæ mentis humanæ conuenienter obtulisse (§. 7. Log.), et sic motiua ad malum aliquod appetendum præbuisse: quam actionem, *seductionem* vocamus. Quum vero nihil appetimus, nisi bona (§. 128. Ps.): repræsentationes de bono obtinendo, Diabolus in Eua excitare debuit; quod etiam fecit 1) per negationem euentus de morte 2) per affirmationem aperturæ oculorum, 3) similitudinis et æqualitatis cum DEO, itemque 4) certissimæ cognitionis boni et mali, nec non 5) quod arbori, maiorem virtutem atque vires tribueret, quam habebat, quo ipso 6) DEVM vt mendacem, atque inuidum descripsit. Quoniam vero hæc omnia tanquam falsa probe cognouit Diabolus, sermoque eius cum læsione iuris, respectu DEI et hominum institutus erat, (dum ad imaginem DEI conditus fuerat), *mendax* erat Ioh. VIII. 44. DEumque

que *calumniabatur* (§. 145. I. N. et 179. Eth.).

§. 319. Hæc, sed non recte perpendens Eua, non potuit fere aliter, quam fructus illos appetere. Verum, quia Eua imagine diuina ornata erat (per Cap. III.): eam non statim serpenti, (de quo tamen scire poterat, non posse loqui) præ DEO, fidem habuisse, rite concludere possumus. Quapropter non sine probabilitate inferimus: 7) mendacium etiam in eo positum, quod Diabolus simulauerit, ac si ipse per comestionem fructus, tantam sibi acquisiuisset virtutem loquendi, qualem iam Eua videret, qualemque antea non habuisset. Hinc a minori ad maius concludens, verba serpentis pro veris, vtpote experientia fundatis, habuit. Hinc sequenti modo peccauit Eua 1) ἀπιστια, magis Diaboli verbis assensum præbens 2) affectatione æqualitatis aut saltem maioris similitudinis cum DEO 3) appetitu prohibitis fructibus vescendi, 4) consensu et proposito diuinam legem transgrediendi, 5) actu ipso, 6) persuasione Adami, qui sine dubio, ab initio verbis factisque restitit. Gen. III. (§. 314.). Ex quibus etiam nos iis magis, qui dubitationem de Numinis mandato, *primum* peccati motum, quam, qui superbiam fuisse perhibent, accedere elucet. Superbia est

causa

cauſſa quædam peccatorum O. vniuerſalis; neque *Euæ* determinat ſatis. Faciliori tamen modo calculum huic noſtrum adiicimus, quam *Pontificiorum* doctrinæ: nudam imaginis diuinæ carentiam primum fuiſſe peccatum aſſerentium; id quod ex Principio eorum §. 212, ortum trahit, ſupra a nobis refutato. Quæſtio vero nullius fere vtilitatis hac occaſione mota fuit: Cuiusnam ſpeciei arbor fuerit? Sed tacemus cum Sc. S. et ex pluribus, quos h. et §. 314. recenſuimus, actibus, minime lapſus hiſtoriam *improprie* explicandam eſſe, potius ſtatuimus. Hinc nec per *legem naturalem*, explicamus arborem ſcientiæ boni et mali, et *eſum*, per legis dictæ transgreſſionem; nec per alias inceſtuoſas cogitationes.

§. 320. Homo ergo per hoc factum legem diuinam poſitiuam (§. 283.) eſt transgreſſus (§. pr.). Ergo pro domino et imperante ſuo DEVM non agnouit; adeoque etiam habuit mendacem et inuidum (§. 318.); eique minime debitum præſtitit cultum (§. 280.). Quum vero per legem naturæ iam obligatus fuiſſet, DEVM vt Dominum et imperantem colere (§. 6. Ph. Pr. Vn.): peccauit non ſolum contra legem naturæ, ſed et contra poſitiuam vniuerſalem.

§. 321. Quoniam itaque DEVS mortem triplicem comminatus est transgressoribus suarum legum (§. 284. seqq.), iustusque est (§. 67.): triplicem illam mortem sentire debuerunt parentes. Quod etiam ex idea fœderis patet. Nam lex hæc positiua simul habebat rationem fœderis (§. 299.). Quia itaque vitam, sub conditione seruati fœderis DEVS promisit (§. 294. seqq.); homo vero promissis suis (§. 298.) minime stetit (§. 319.): vitam, hoc instatu, consequi minime potest, sed mortem sentiat, est necesse (§. 284. seqq.). Ergo, quia Diabolus nostros parentes morti obnoxios reddidit, est *homicida* Ioh. VIII. 44.

§. 322. Qui vero promissa in fœdere non seruat aut implet, *rumpit fœdus*, seu *fœdifragium committit*. Ergo parentes primi fœdifragium commiserunt (§. 319.).

§. 323. Ergo per fœdifragium mortem sibi conciliauit homo (§. 321. seq.). Homo vero erat libertate præditus (§. 219.). Qui libertatem habet, est auctor et causa suarum actionum (§. 145. Pf.). Ergo homo est causa et auctor huius fœdifragii.

§. 324. Dum vero per fœdifragium sibi mortem conciliauit (§. pr.): amisit vires bene agendi, nihilque nisi malum facere potest

est (§. 285. seqq.). Per consequens amisit etiam iustitiam et sanctitatem concreatam (§. 213.). Et, quia nil nisi mala perpetrare potest, mala vero oriuntur ex confusa repræsentatione (§. 9. seqq. diss. prol.): amisit etiam cognitionem distinctam (§. 213.). Distincta vero habitualis atque concreata cognitio, vna cum iustitia, et sanctitate concreata, constituit imaginem DEI specialem seu primariam (§. 213.). Per fœdifragium ergo (§. 322.) amisit homo proh dolor! imaginem DEI *primariam* non solum; sed ob corporis mortem, partim etiam secundariam. (§. 219). Ergo nec DEVM, nec satisfactionem hoc in statu rite cognoscere, nec promtum paratumque se, vt eam si quæ ipsi offertur, accipiat, præbere potest. Ergo quia status sic imagini diuinæ oppositus oritur (§. 311.): lux non amplius in homine conspicitur, sed *tenebræ* (§. 213.).

§. 325. Homo post amissam DEI imaginem non amplius gaudet ideis distinctis (§. pr.). Ergo vel nullis, vel si quæ adsunt, obscuris et confusis tantum est præditus. (§. 64. 17. 28. Log.) 1 Cor. II. 14. Ergo, cum ex confusa repræsentatione peccata oriantur, homoque semper male agat (§. 324.): per crebras illas actiones malas, sibi habitum male agendi acquirit (§. 13. Eth.).

Ergo

Ergo post amissam DEI imaginem habitus in nobis oritur male agendi. Quo plura itaque in tali statu homo agit; eo maiora existunt et fiunt peccata, habitusque peccandi. Facilitas denique in ente aliquid efficiendi dicitur *habitus*. Ergo, antequam homo in actionibus sibi acquirit habitum *actiuum*: habitu peccandi iam est præditus, qui maior euadit per peccata commissa (per antec.). Homo ergo, amissa imagine Diuina, peccata peccatis etiam *actualibus*, auget.

§. 326. Ita, quia nil nisi peccata facit (§. 324.); facta vero appetimus: homo nil nisi peccata appetere potest. Hinc impotentia ipsi ad O. opus bonum adscribitur recte. Ergo cum appetitus ex repræsentatione oriantur, vbi habitus adest (§. pr.): habitus etiam nil nisi mala appetendi in homine deprehenditur, qui cum dicatur *inclinatio*: inclinatio etiam ad peccata in homine reperitur. Ergo concupiscentia hæc quia legibus est contraria, peccatum est. Quum itaque sic nec bona vera, nec vera mala cognoscat (§. 324.): bona, ex voluptate tantum æstimat, sicut mala ex tædio sensuum. Ergo minora bona maioribus anteferre solet, adparentia, veris; id quod etiam mutatis mutandis de malis valet. Vera ergo bona negligit; adparentia sequitur.

quitur. Mala hinc adpetit, bona aversatur. Hinc neglectus etiam officiorum erga DEVM, se ipsum et alios; et *sanctitatis* deprehenditur; adeoque inordinatus vitæ cursus. Quum vero ex inordinata vitæ actione infelicissimus fit noster status (§. 154.Ph.Pr.Vn.): felices esse hac in vita non possunt; sed quam maxime infelices. Et quia mortem sentient æternam (§. 321.); etiam sunt damnati et abalienati a DEO. Quodsi vero tristem suum, quem sibi per peccata conciliarunt, statum perpendunt: non possunt non cogitationes illæ oriri atque mala, quæ in dissertatione nostra prolusoria (§. 23-27.) fusius demonstrauimus; qualia sunt metus, horror, ira, pudor, pœnitentia, pœnæ naturales, mœror, conscientiæ euigilatio, accusatio eiusque morsus, desperatio, et quæ sunt alia.

§. 327. Idem quod a §. 324-326. demonstrauimus, etiam Sc.S. dicit, vti dicenda declarabunt. Quum vero nemo hominum, quod scio, tam clare atque distincte, præcipue temporibus vetustate repressis, materiam hancce pertractauerit, neque ob recentiorum principia, tractare potuerit: hæc nostra, quam l. c. exhibemus, demonstratio, viam, diuinitatem Script. S. ex historia philosophica probandi, nobis pandit. conf. nostr.

noſtr. nouum hac de materia argumentum.

§. 428. Poſt fœdifragium homo talem non amplius naturam habet, quam, qua ante illud fuerat præditus (§. 324-327.). Ergo mutata eſt bona eius natura in moraliter malam. Hæc vero mutatio dicitur *hominis lapſus*. Ergo, lapſus hominis negari nequit.

§. 329. Per fœdifragium oriebatur hominis lapſus (§. 322. et 328.). Ergo per lapſum hominis oritur omne, quod (§. 323-326.) deſcripſimus. Sunt quidem et alia, quæ lapſum ſequuta ſunt, mala. Verum quia ad *circumſtantias* tantum pertinere videntur: non multis; ſed duobus tantum ea deſcribamus verbis. 1) Probri occurrit ex nuditate *ſenſus*; 2) terror ex aduentantis DEI in Paradiſum; qui maximo tonitru, non vero vt antea ſenſu ſuaui, contigit, id quod a Gentilibus etiam vt ſignum præſentiæ diuinæ habebatur. vid. Cic. Orat. Cat. III. Cap. VIII. 3.) Hinc loci alicuius ſecuri circumſpectio; 4) examen et excuſatio atque 5) iudicis iuſti ſententia, quorſum a) dolores corporis atque b) animæ, nec non c) labores ob d) fœcunditatis terræ defectum, pergraues etc. pertinent, itemque 6) ex Paradiſo expulſio, quæ omnia Gen. III. deſcripta inuenies. Ceteræ vero, quæ hic mo-

mouentur, e.g. de ſtatu Paradiſi hodierno, Cherubinorum, et veſtium etc. quæſtiones, quia et *Criticæ* ſunt; et nullius fere vſus; ob finem noſtrum (*dogmata* enim Sc. S. proponimus), mittere ſine iniuria poſſumus.

§. 330. Ergo, quia homo eſt cauſa fœdifragii (§. 323.): eſt etiam cauſa lapſus (§. 328.). Ergo de lapſu idem valet, quod adnotauimus (§. 324-327.).

§. 331. Ergo, quia *homo* eſt *cauſa* et auctor lapſus (§. 330.): non eſt DEVS; quod etiam ex ſequenti ratiocinio patet. Nam, qui 1) optimam et perfectiſſimam habet naturam, a qua nihil mali prouenire poteſt; 2) peccataque ſerio interdicit; 3) peccatores ſine contradictione partium iudicat, eosque 4) punit, viresque 5) bene agendi concedit: ille non eſſe poteſt cauſa peccati et lapſus. Sed DEVS eſt talis, Pſ. V. 5. 6. Iac. I. 13. Gen. II. 17. III. 9. ſeqq. 14. ſeqq. (Diabolus enim atque primi parentes, ſine dubio, ſi quæ culpa in DEVM caderet, hoc ipſi obieciſſent). Ergo non eſt, nec eſſe poteſt cauſa lapſus.

§. 332. Obiicitur quidem: 1) DEVM arbore illa, occaſionem peccandi dediſſe. Sed negatur: erat occaſio probandi obſequii.

2) creare

2) creare eos, ne labi potuissent, aut 3) lapsum præuisum impedire debuisset. Resp. vide §. 121. seqq. Th. N. Præterea etiam quantum fuit possibile, etiam impediuit, dum vires hominibus sufficientes concessit, et sub maxima pœna, quam sine dubio, vt maximum malum cognouit Adamus, interdixit. 4) Transgressio huius legis non tanta est, vt ideo homo imagine diuina sit priuandus. Non hic ad *obiectum* legis, sed ad *inobedientiam* hominis est respiciendum; quæ cum multis variisque aliis coniuncta erat malis et peccatis (§. 319.). 5) Nulla est pœna, vesci agri herbis. Resp. in comparatione fructuum paradisi, est omnino; præcipue, quia cum cultura molestissima est coniuncta. 6) Molestiæ hæ sunt pœnæ lapsus, non ergo mors prædicta. Verum vide §. 283-299. vnumque non tollit alterum. Quid enim opus fuisset redemtoris annunciatione? 7) falsa esse, quia mors non *statim eo die* subsecuta. Resp. *Spiritualem* mortem statim, eoque ipso lapsus momento, esse subsequutam demonstrauimus (§. 290. seqq.), quæ causa est *temporalis* atque æternæ, quæque ad certitudinem pœnæ sufficiens est (ibid.). Nec pro DEI sapientissimi intentione, *temporalis* statim sequi mors potuit. Nonne enim vel vniuersi nexus, semel iam constitus, fuisset impeditus;

vel

vel noua hominis creatione nouum, quod frustra, necessarium fuisset miraculum? Præterea cogitandum, non omnem irregularem inordinatamque sanguinis circulationem, mortem efficere. 8) Ex. IV. 21. VII. 3. VIII. 32. etc. DEVS describitur vt causa peccati. Negatur: quia peccata non producit, sed tantum permittit. 9) Deut. II. 30. Ios. XI. 18-20. Resp. Verba actiua non semper sunt *effectiua*, sed *declaratiua*. 10) Gen. XLV. 8. 1 Sam. II. 25. 2 Sam. XVI. 10. 11. DEVS vt causa effectuum seu peccatorum adducitur. Negatur: aliud est ad finem certum permittere, aliud efficere.

§. 333. Manet ergo homo causa lapsus (§. 331. seq.). Quare autem posteris etiam imputetur? iam dispiciendum. Dabat scilicet DEVS legem vniuersalem, omnes homines obligantem. Quia vero ob sapientiam, genus humanum successiue erat propagandum, et in totum terrarum orbem disseminandum: omnes vel ex terræ suæ angulo, in locum Paradisi se conferre debuissent; vel in vnaquaque regione arbor illa plantanda fuisset. Vtrumque non sine ambagibus et difficultatibus fieri potuisset. Prius asserti membrum negabit nemo. De posteriori vero eo minus etiam dubitandum, quo plura statuenda essent miracula.

Nam, quia non quæuis terra ad productionem alicuius fructus apta est: DEVS vbique locorum, partem aliquam terræ, arbori vetitæ conuenientis (quæ adeo a reliqua massa diuersa), creare debuisset. Quum vero hoc modo per ambages ad finem tendisset: hunc modum eligere non potuit. Via ergo breuissima incessit et fœdus cum homine primo, a quo tanquam *primo* medio, concatenato nexu, reliqui prouenturi (quod rursus sapientiam indicat §. 202. Pn. Oc.), iniit, sub quo omnes eius posteri comprehenduntur, qui etiam per consensum interpretandum omnia adprobant, et ratihabent, quæ Adamus, tanquam sponsor et caput huius fœderis morale, sit facturus; vti hæc omnia Cap. præc. deduximus.

§.334. Quum itaque posteri consenserunt in hocce fœdus (§. pr.); quibus itaque aliquid imputari potest (§. 25. Ph. Pr. Vn.): recte lapsus Adami posteris imputatur (§. 328.).

§.335. Ergo, si lapsus Adami posteris imputari poterit (§. pr.); lapsus vero est per fœdifragium (§. 328.): fœdifragium etiam illud ipsis imputatur. Per fœdifragium homo mortem sibi conciliauit (§.323.). Ergo et posteris Adami mors imputari potest, eamque perferre debent. Quoniam vero

vero mors triplex comminata erat fœdifragis (§. 284. seqq.): triplex hæcce mors, Adami posteris imputari potest, eamque perferre debent.

§. 336. Ergo, si triplicem mortem sustinere debent (§. 335.): amiserunt iustitiam, sanctitatem et concreatam cognitionem distinctam, h. e. imaginem diuinam (§. 324.). Contraxerunt vero sibi habitum male agendi (§. 325.), et inclinationem ad peccata (§. 326.).

§. 337. Ergo, si imaginem diuinam amiserunt Adami posteri (§. 336.): non possunt cum ea generari. Ergo generantur sine ea; adeoque cum habitu male agendi, et inclinatione ad peccata seu P. O. (§. pr. et seq.). Gen. VI. 5. VIII. 21. Hiob. XIV. 4. Ps. LI. 7. Ioh. III. 6. Rom. V. 12. Eph. II. 3. Errant ergo *Iudæorum* nonnulli, qui P. O. euertunt, immo prorsus eius cognitionem ex Sc. S. negant. Errant et *Pelagiani*, qui non *propagatione*, sed *imitatione* in alios transiisse. *Anabaptistæ* per Christi mortem sub N. T. O. P. esse sublatum. *Sociniani* et *Arminiani* negant, et fabulam monachorum vocant. *Scholastici* et *Pontificii* concupiscentiam in renatis reliquam, peccatum esse negant; quinimo ab O. P. immunes dicunt nunc Ieremiam Prophetam, nunc Ioh. Baptist. nunc Ioh. Bonauen-

turam, nunc Mariam Deiparam, contra Ebr. VII. 26. conf. *Bernhold* Theol. Pol.

§. 338. Defectus imaginis diuinæ cum habitu male agendi, et inclinatione ad peccata in homine, dicitur ſtylo eccleſiaſtico *peccatum originale*, ſeu *originis*. Homo ergo naſcitur cum peccato originis (§. pr.). Quod quidem ratio ſibi relicta *diſtincte* et *adæquate* cum triſtiſſimis ſequelis non agnoſcit; quamuis defectum bonas edendi actiones a puero ſtatim ſentiat, ita vt *Ariſtoteles* iam Lib. III. *Nicom.* malum vocauerit συγγενες ſeu *connatum; Pythagoræ* vero aſſeclæ, συμφυτον (§. 2. ſeq. Diſſ. Prol.). Lapſus vero exiſtentiam certiſſime deprehendit (§. 15. Diſſ. Prol.).

§. 339. Quum vero per lapſum, Adamus, iisdem (§. pr.) laborauit imperfectionibus (§. 329.): infectus fuit peccato originis, quod reſpectu ſui (Eua etiam non excluſa) *peccatum originis originans;* vti vero eſt in Adami poſteris, *peccatum originis originatum* vocatur.

§. 340. De originato (§. pr.) nobis hic tantum ſermo eſt; quod in Sc. S. etiam dicitur *imago Adami* Gen. III. 9. *Caro* Rom. VII. 5. 18. VIII. 12. ſeq. Ioh. III. 6. *vetus homo* Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. *concupiſcentia* Rom. VII. 7. *peccatum* κατ' εξοχην Rom. VI. 1. *Mors Spiritualis* Rom. VII. 10. VIII. 6. Eph. II. 5-14.

II. 5-14. *morbus et vulneratio totius hominis* Ies. II. 5. 6. *corpus peccati* Rom. VI. 6. *membra terrestria* Col. III. 5. *Lex peccati in membris* Rom. VI. 23. *impuritas vniuersalis* Iob. XIV. 4. *præputium carnis* Col. II. 13. *peccatum inhabitans* Rom. VII. 17. seq. *circumstans* Ebr. XII. 1. *malum adiacens* Rom. VII. 21.

§. 341. Sic Patres ecclesiæ e. g. HIERONYMVS, *vitium domesticum*, hæreditarium, *natiuum*; CYPRIANVS *malum domesticum*; TERTVLLIANVS *mali radicem*; ARNOBIVS, *vitium ingenitæ infirmitatis*; AVGVSTINVS *Peccatum originis* vocare solent. Dicitur etiam *caro et sanguis*; itemque *fomes malorum* etc.

§. 342. Ergo, quia per peccatum originis homo priuatus est imagine diuina (§. 338.): caret cognitione distincta concreata et habituali (§. 205.). Hinc homo peccato originis infectus, DEVM neque vt Trinum cognoscit (§. 205.); neque quomodo recte colendus sit, perspicere potest (§. 1. Prol.). Et, quia ad omnia mala pronus est, distinctisque ideis destitutus (§. 338.): confusis atque obscuris, quoad res spirituales, laborat. Ex his vero non possunt prouenire iudicia et ratiocinia vera (§. 134. seqq. Log.). Ergo mirum non est, si procliuis sit ad errores, et temeraria de rebus spiritualibus,

iudicia. Eph. V. 8. IV. 18. Rom. III. 11. 24. 1 Cor. II. 14. 2 Cor. X. 4. seq.

§. 343. Homo distinctis, quoad res spirituales, caret ideis (§. pr.) Quoniam vero omnes ideæ et veritates inter se habent nexum (§. 15. seqq. Diss. de veritate vnica): veritates naturales cum spiritualibus habere nexum quoque debent. Qui autem distinctis ideis caret, nexum huncce veritatum animaduertere non potest: ergo nec homo peccato originis contaminatus. Qui nexum veritatum animaduertit, ratione est præditus (§. 77. Ps.). Ergo hominis peccato originis infecti ratio aliquatenus est corrupta, etiam in naturalibus; id quod experientia etiam comprobat. Rom. I. 21. Ergo et *facultatis cognoscitiuæ pars superior* est deprauata, ita vt principia, vel peruerse satis; vel nullo adplicet modo. Hinc notiones oriuntur incompletæ et inadæquatæ. Hinc denegatio assensus, quem Sc. S. debemus: potius dissensus et impugnatio oritur. Quod ad partem cognoscitiuæ facultatis *inferiorem* attinet, ob P. Q. sensibus tantum quæ grata sunt, indulget homo; adeoque intellectus rationisque vim, diuino etiam lumine colluſtratam haud raro obnebulat, falsa, et ad perniciem ducentia ideo sibi format iudicia et præiudicia, vti vocan-

vocantur practica, multorum errorum vitiorumque matrem.

§. 344. Quoniam itaque in spiritualibus in totum, et *aliquatenus* in naturalibus intellectus est corruptus (§. 342. seq.); appetitus vero ex repræsentatione oriuntur (§. 88. Ps.): mirum non est, si non solum ratione *voluntatis*, priuatio iustitiæ et sanctitatis, sed et inclinatio cum æstu ad peccandum, in homine deprehendatur (§. 338.). Eph. II. 1. IV. 18. Col. II. 13. Rom. VI. 13. VII. 23. immo tot. Hinc ἀπιστια, et inimcitia erga DEVM, omniaque peccata fluunt. Hinc *facultatis appetitiuæ pars superior* debilitata atque peruersa existit, ita vt cognitio hominis non sit viua sed mortua; adeoque vera et spiritualia præsertim, non adpetat bona; quin potius ea aduersetur, atque fugiat; contra adparentibus et quæ damnationem æternam secum coniuncta habent, amet, basiet iisque delectetur. Hinc negligentia ad bona adpetenda, atque languor. Quoad *inferiorem* huius facultatis partem, bona tantum sequitur sensualia, adeoque animalibus fere brutis hoc modo similis fit homo, in actionibus suis sæpe, si ita loqui licet, melioribus. Hinc in rebus sensualibus excessus, vel etiam in subiectis nonnullis defectus; bonique impeditio et haud raro persecutio. Quum vero maximus inde oritur

actionum dissensus; harmonia tamen mentem inter atque corpus perdurat: corpus etiam multis ita circumseptum est malis, quibus afficitur angitur, et debilitatur.

§. 345. Etsi itaque (quia non in totum ratio est corrupta (§. 343.), interdum cogitationes oriri possint, quæ boni speciem præ se ferunt: non tamen harmonia erit inter appetitum sensitiuum et rationalem; pugna potius inter eos obseruatur maxima. Rom. VII. 18. 23.

§. 346. Deficientibus viribus, nulla sequitur actio (§. 55. Ont.). Hinc, quia libertas ex ratione venit (§. 217. Psf.): ratioque et intellectus in spiritualibus, homini lapso est nullus (§. 342.): nullam, ad actiones bonas, habere poterit libertatem; quod sequenti etiam ratiocinio probatur. Qui propriis viribus actionem producit, recte dici potest *auctor* et *causa huius actionis*. Ergo, quia homo omnibus viribus *bene agendi* destituitur, nihilque nisi malum facere potest (§. 292.): homo hoc in statu, non dici potest causa et auctor bonarum actionum. Ioh. VIII. 34. Rom. VI. 16-20. Eph. II. 1-3. Col. II. 13. Hinc scriptura omnia DEO verboque diuino; homini vero nihil in spiritualibus adscribit. 1 Pet. I. 23. Ioh. XVII. 20. Iac. I. 28. Rom. X. 17. Phil. I. 6. 29. II. 13.

II. 13. 2 Tim. II. 25. 26. Col. I. 13. Ezech. XI. 19. Pſ. LI. 12. Eph. I. 17-20. II. 5. 10. Homo ergo in ſpiritualibus ad bonas actiones nullam habet libertatem (§. 145. Pſ.).

§. 347. Libertas ad bona in rebus ſpiritualibus, dicitur *liberum arbitrium in theologicis*. Homo ergo poſt lapſum deſtituitur libero arbitrio tali (§. pr.). Habitus autem nil niſi male agendi, dicitur *arbitrium ſeruum*. Homo ergo hoc in ſtatu gaudet *arbitrio ſeruo* (§. 292.).

§. 348. Et, quia homo naturalis, libertate in rebus *naturalibus*, ſ. quæ non ad vitam æternam conſequendam faciunt (§. 285. et 64. Log.), eſt inſtructus (§. 145. Pſ.): *liberum arbitrium* quidem habet *in naturalibus*: aſt, quia libertas ex ratione oritur (§. 217. Pſ.), mediocre, et valde corruptum (§. 343.).

§. 349. Ergo homo libero arbitrio gaudet ad mala moralia (§. 325.); itemque ad actiones ciuiliter bonas, (§. pr.); vti *Aug. Conf.* eiusque *Apolog.* ad h. l. optime declarant.

§. 350. Ob (§. 347.), homo nihil, adeoque nec ad initium, progreſſum, aut perfectionem conuerſionis ſuæ aliquid conferre; nec legem DEI implere; multo minus ex merito vitam æternam conſequi poteſt.

Errant igitur *Pelagiani*, qui hominem ex propriis uiribus naturalibus, se conuertere, euangelio credere, legem implere, adeoque uitam æternam consequi posse, docent. Errant ergo et *Semi-Pelagiani*, et *Synergistæ*, qui *cooperationem* hominis et Spiritus S. statuunt; adeoque dicta ex parte DEO, ex parte vero homini, adscribunt. Quo pertinent etiam *Scholastici* et *Pontificii* fere omnes, initium conuersionis, propriis viribus; perfectionem vero DEO adscribentes, et sic castra Semi-Pelagianorum sequentes; sicut etiam hoc faciunt *Sociniani*. Denique, quia in naturalibus homo libero gaudet arbitrio (§. 349.): *Stoici* et *Manichæi* errant, si, hominem omnia *coacte* et *necessario* facere, blaterare non erubescunt.

§. 351. Hinc quæstio est de *non renati arbitrio libero* in theologicis (§. 349-350.). Probant quidem hi (§. pr. thesin 1) ex 1 Cor. VII. 37. sed agit de renato et re naturali. 2) Eccles. XXXI. 10. sed est liber Apocryph. (§. 36. Prol.). 3) Gen. IV. 7. non hic de dominio in peccata est sermo, quia suffixa sunt masculina; חטאת est fœm. 4) Ies. I. 19. de conuersis agit conf. vers. 18. 5) Ezech. XVIII. 31. de non resistentia explicandum; nisi enim hæc facerent, DEO resisterent. 6) 1 Cor. XIV. 32. de donis ministrantibus agit.

agit. 7) 2 Cor. IX. 7. de eleemosynis, adeoque de bono opere *regeniti* agit. 8) Matth. XXIII. 37. est ignoratio elenchi (§. 349.). 9) Deut. XXX. 19. non sine auxilio DEI; officiorum enim tantum admonentur. 10) Mandata diuina sic esse frustranea. Negatur. Indicant quæ debent, non quæ possunt præstare homines, Spiritu S. operante. Legi hic meretur Ven. I. W. FEVERLIN. olim *Altdorff.* nunc *Gœtting.* excell. *Profess. Theol. Prim.* et *Superint. Gen.* orbis eruditi Decus. in diss. de *libero arbitrio.*

§. 352. Quia porro P. O. in priuatione imaginis diuinæ et inclinatione ad mala consistit, quo in statu nil nisi mala agit (§. 338-347.): peccatum O. est legi difforme (§. 303.); adeoque reuera peccatum (§. 109. Ph. Pr. Vn.). Male ergo BELLARM. de *amiss. grat.* L. I. C. I. negat: posse hominem ex P. O. dici peccantem; maleque affirmat: P. O. meram esse priuationem. Obiicitur 1) quidem per vnum actum non fieri habitum; sed vide Cap. V. 2) ante AVGVSTINVM et PELAGIVM nemo hac de re dixit. Resp. si esset, quamuis negemus, adest tamen res in Sc. S.

§. 353. Quicquid Adam vt *caput fœderale* perpetrauit, illud nobis etiam imputari potest (§. 308. seq.): erat enim fœdus et lex vniuer-

vniuerſalis (§. 283.). Ergo recte nobis imputatur fœdifragium (§. 322. ſeq.). Ergo, quia P. O. eſt peccatum (§. pr.): etiam pœna (§. 284. ſeqq.): quia ſic omnes in Adamo propter *conſenſum* (§. 334.), peccauimus. Rom. V. 12. ἐφ ᾧ, *in quo*. Eph. II. 3. Ioh. III. 6. Sunt quidem, qui aliter rationes ſubducunt, et ex DEI ſcientia media Peccati Adamitici declarare *imputationem* ſtudent, vi cuius peccata hominum naſcturorum etiam, adeoque et eorum *adprobationem promotionemque* iſtius peccati certo cognoſcat Numen omniſcium, quæque ad imputandum ILLVD moueant. Verum non ſequitur: Q. DEVS per ſcientiam eius mediam homines facturos eſſe præuidet, etiamſi facta non impleantur, illud hominibus recte imputatur; quod contra iuſtitiam eſſe videtur. Nonne ſic Principis alicuius cædes omnibus imputari poſſet? nec porro *intentionem*, quæ ratio mouens adducitur, hancce hominibus eſſe, probari poteſt. Hinc gratis aſſumta videtur. Nonne ſic et omnia bene facta, adeoque et fides in Chriſtum ob circumſtantias poſſibilis, imputanda eſſet? Alii contra ex ſtatu Parentum moraliter imperfecto imputationem hancce probare contendunt: dum effectus *nobilior* eſſe ſua nequeat cauſſa; et parentes infantibus, quod ipſi non haberent, hoc modo darent.

darent. Verum, ſtatus, quem concedimus, Parentum imperfectus, relatio eſt, quæque adeo non exiſtit (§. 54. Log.); nec ſic a parentibus dari infantibus poteſt; ita vt parentes cauſſæ *producentes principales* dici, ſine determinatione et limitatione nequeant. Sic enim parentes moraliter perfecti, perfectos etiam progenerarent liberos, cui experientia contradicit. Ne de allegorica iam probatione dicam. Quænam enim illa eſt, quam fingis, nobilitas, quam ſine mente, ſonus? Licet itaque ex vi cauſſæ non poſſit explicari, qua ratione imperfecti parentes, liberos generarent perfectos: non tamen inter miracula hæc referenda eſſet ſententia; dum parentes non cauſſæ ſunt efficientes principales; ſed tantum *inſtrumentales*. Simile etiam a ſtirpe deſumtum *illuſtrat* quidem, ſed non probat.

§. 354. Ergo, quia P. O. recte imputatur (§. pr.): cum peccato illo recte omnes eius poſteri naſcuntur; adeoque cum vero peccato (§. 352.).

§. 355. Ergo, quia etiam pœna imputatur (§. 353.): omne nobis recte imputari poteſt, quod deduximus (§. 324-328.). Ergo naſcuntur homines recte non ſolum ſine imagine DEI; ſed et cum habitu et inclinatione ad peccandum (§. 324-348.). Quia itaque

itaque hoc in ſtatu, priuati ſunt imagine diuina; et peccandi habitu laborant quoque: recte Viri Theologi P. O. cum in *priuatione*, tum in *poſitiuo aliquo* conſiſtere, ſtatuunt.

§. 356. Quod vero *propter conſenſum* poſterorum, P. O. eiusque pœna imputetur (§. 353.): mirum videbitur nemini, qui perpendit, talem etiam proceſſum in *Iure feudali* obſeruari; vbi liberi, propter feloniam a vaſallo commiſſam, varia quæ inde ſequuntur mala, ob conſenſum interpretandum, perferre debeant. vid. STRVVIVS in Iurispr. feud. Cap. XXI. §. 7. 8. Ita aliud exemplum habemus in *Iure Ciuili*, vbi ob crimen perduellionis, liberis quoque ex paterno delicto, perpetua inhæret infamia L. 5. §. 1. C. Conf. Per-illuſtr. Frider. Director. BOEHMERI ff. L. 48. T. IV. ad legem Iuliam Maieſtatis. Hinc memoria Perduellionis poſt mortem damnatur, vt nomen eius cum omni nobilitate in perpetuum deleatur L. 6. L. 8. C. h.

§. 357. Ergo, quia peccatum O. ob conſenſum, quo nos ipſi peccauimus, nobis imputatur (§. 353.): errant *Remonſtrantes*, qui *nihil ſe cogere*, aiunt, *at ita* peccatum Adami *imputatum dicunt*, quaſi DEVS poſteros Adami reuera cenſuiſſet *eiusdem cum Adamo peccati*

cati et culpæ, quam Adam commiserat, reos. vid. B. ZELTNERVS in brev. cum Remonstr. p. 198. seqq. Probant quidem sententiam, 1) nihil MOSEM hac de imputatione loqui. Resp. loquitur tamen de ea PAVLLVS, interpres Mosis, breuiter omnia describentis *implicite*, non *explicite*: vid. Cap. VI. 2) Ezech. XVIII. 2. seqq. 2 Reg. XIV. 6. Resp. distinguendum, inter caput *seminale*, vbi *peccata personalia*, de quibus l. c. sermo, non imputantur (§. 309.); et *Fœderale*, vbi ob consensum filii participant (§. 353.), vid. Ex. XIX. XX. vbi præsentes, et posteri obligabantur. 3) Infantes esse innocentes, Deut. I. 39. Matth. XIX. 14. Resp. est ipsis regnum cœlorum *destinatione*, non *absolute*; adplicetur etiam Responsio præcedens. 4) DEVM sic esse peccati auctorem. Resp. vid. §. 331. 337. et §. 118. Th. N. 5) P. O. *nec cum Script. veritate, DEI sapientia ac bonitate, nec cum peccati natura, nec iustitia diuina consistere posse*: porro *soli* ADAMO, DEVM *esse comminatum pœnam*: item *alienum peccatum non posse cuiquam imputari, nec embryoni legem ferri. Repugnare* quoque, *imputari id, quod voluntate nostra commissum non sit: reum agi non posse, propter id, quod suum non est, et quidem ad tam grandem, æternam nempe pœnam.* Hæc per fœdus Cap. VI. et consensum interpretandum cadunt; vid. illustrationis causa Ebr. VII. 5. 9. seqq. præterea CHRISTO

STO noſtra imputantur peccata. Hinc alii ex ſcientia DEI media ſ. præſcientia (§. 353.), rem declarare volunt; quod tamen hoc modo non eſt neceſſe. 6) Remiſſum fuiſſe peccatum Gen. III. 15. Reſp. Adamo remittebatur peccatum ob pœnitentiam et fidem in CHRISTVM, quod concedimus: ſed hoc nobis non imputatur, quia rupto fœdere, Adam non amplius fuit caput fœderale (§. 309.). 7) Fœdus hoc eſſe fictitium, quia poſteris damnoſum. Reſp. non eſt damnoſum reſpectu et intentione DEI, qui vitam per hoc fœdus omnibus concedere voluiſſet. 8) ab AVGVSTINO excogitatum eſſe hocce peccatum. Negatur. Licet enim ante hunc, patres eccleſiæ minus accurate loquuti fuerint; id tamen ipſis facile condonare poſſumus: quia tunc temporis a nullo fuit impugnatum; poſtquam vero PELAGIVS aliique illud impugnabant: neceſſe omnino fuit, vt diſtincte et ſacris litteris conuenienter exponeretur, quod AVGVSTINVS in ſe ſuſcepit laudabiliter.

§. 358. Iisdem etiam dubiis (§. pr.) impugnant P. O. *Fanatici*: hinc non neceſſe eſt, vt ea repetamus. Illi enim Peccatum hocce non tantum valde extenuant; ſed et imputationem poſteris factam, negant. *Semen peccati* vocant; peccatum minime.

Subſtan-

Subſtantiam hocce ſemen eſſe fingunt, a Diabolo primis parentibus inſitam, et veneni inſtar ad poſteros transmiſſam, quæ, per modum inclinationis ad peccatum, eum contaminet, ita, vt peccati ratio formalis tum demum locum habeat, ſi eidem homines conſentiant; ſi vero aduerſus illud maſcule pugnent, et ab eo ſe disiungant, nunquam pro peccato habeatur, multoque minus, vt tale imputetur, atque hinc etiam motus indeliberati, contra voluntátem DEI orti, peccata minime ſint dicendi. conf. B. ZELTNERVS in *breu. cum Fanat.*

§. 359. Quia vero P. O. in defectu imaginis diuinæ conſiſtit, nec non in habitu male agendi, qui ex defectu virium bene agendi oritur (§. 348.): P. O. nil eſt, niſi aliqua relatio ſeu comparatio (§. 58. Log.). Comparatur ſcil. mens noſtra cum iuſtitia originali, quam habere deberet (§. 213.); iam vero non amplius habet (§. 354.). Comparatur porro cum lege, cui non ſatisfacit, quin potius inclinationem ad mala, legique contraria habeat, quod peccatum eſt (§. 109. Ph. Pr. Vn.). Quum vero relationes neque ſubſtantiæ ſint, nec accidentia (§. 60. 61. Log.): P. O. nec ad ſubſtantiarum, nec accidentium claſſem referri poterit. Caue vero correlata, quæ tantum inter ſe com-

parantur, ad ipsam relationis essentiam referas (§. 355.). Errant ergo *Fanatici* (§. pr.). Probant quidem sententiam ex Eph. V. 8. Verum tenebræ non sunt substantiæ, sed relationes, quibus rectissime P. O. exprimitur (§. pr.).

§. 360. Errat ergo et FLACIVS, cum asseclis suis SPANGENBERGIO, OPITIO etc. qui totam *substantiam* hominis peccatum dicebant, et hinc *Substantialistæ* nominati (§. pr.). Rom. VII. 21. 17. Ebr. XII. 1. Probant quidem sententiam, 1) quia nomen *carnis, veteris hominis, imaginis* et *seminis satanæ* ipsi imponitur. Verum hæc omnia improprie, ob similitudinem aut instrumentum ita nominantur. Per carnem enim, tanquam instrumentum, P. O. discimus præcipue. 2) adscribuuntur P. O. effectus Rom. VII. 15. seqq. Ergo esse debet causa, adeoque substantia (§. 59. Ont.). Sed hi effectus, a *mente*, P. O. infecta, prouenire solent; vbi deinceps, quia defectus virium, *rationem* continet, (qui P. O. est) ipsi effectus adscribuntur. 3) ex LVTHERO, qui *essentialem* nostram corruptionem adfirmat, durch Adams Fall ꝛc. Hoc vero modo LVTHERVS tantum *profundissimam*, non *superficiariam* naturæ nostræ corruptionem indicare voluit, substantiam minime. Ita quævis impietas vocatur, ein unordentliches Wesen.

sen. Quis vero inde ad substantiam concluderet?

§. 361. Ita per *indirectum* FLACII error refutari etiam potest. Nam ita 1) CHRISTVM, ob hum. Nat. assumtionem, P. O. assumsisse, 2) DEVM P. O. creasse. 3) P. O. iustificari, et resuscitari. 4) Adamum in statu integritatis non verum fuisse hominem, inde sequeretur, et quæ sunt alia.

§. 362. Quia ergo *mens humana* per peccatum hocce corrupta est (§. 354.): *subiectum quo* P. O. recte dici potest (§. 25. Ont.). Ob commercium autem mentis et corporis, *corpus* etiam, per illud deprauatur, adeoque per participationem, et per *modum instrumenti*, *subiectum* P. O. vocari poterit (§. 218. Pf.). 1 Thess. IV. 5. Rom. VII. 22.

§. 363. Quapropter, quia mens et corpus hominis per P. O. corrumpuntur (§. pr.): mens vero et corpus naturam humanam constituunt (§. 187.): tota hominis natura est corrupta. Durch Adams Fall ꝛc. Adeoque homo *subiectum quod* P. O. recte dici potest (§. 25. Ont.). Ioh. III. 6. Ephes. II. 2.

§. 364. Quæ §. pr. descripta fuit naturæ corruptio, intelligenda tantum est de corruptione, qua *facultates*, non secundum *substantiam*, Rom. VII. 21. Ebr. XII. 1. alias

homo post lapsum non amplius esset homo; quod absurdum. vid. §. 343. seqq.

§. 365. Hinc, quia tota hominis natura est corrupta (§. 363.); P. porro O. posteris rectissime imputatur (§. 353.); speciesque virium propagari debent: P. O. ad posteros etiam recte propagari debet. Psalm. LI. 7.

§. 366. Quæstio ergo oritur, quo modo P. O. ad posteros propagetur? Quia itaque mens nostra, *subiectum quo* huius peccati recte dicitur (§. 362.): omnis secundum quosdam, res ad originem redit nostræ mentis. Quamuis, si dicendum quod res est, DEO, quod defensores verentur, nunquam peccati origo adscribi possit, hypothesin assumant quamnam velint. Nam, quia per specialem DEI gratiam imago diuina conseruanda fuisset; rupto autem fœdere operum, gratia illa cessat (§. 290.): non possunt non homines generari hodie sine illa adeoque cum morte spirituali, seu P. O. Vbi ergo culpa in DEVM? Male ergo quæstio hæc in Theologiam introducta est. Ne tamen aliquid omittere videamur: paucis de hac quoque agemus. Propagatio per *traducem* est impossibilis; quod non solum ex §. 85. Th. N. sed et exinde patet: quia alias menti nostræ facultas creandi esset adscribenda, quod fieri nequit (§. 158.). Ergo,

vel

vel per *creationem:* vel *præexistentiam* explicari debet. Creatio hodie *immediata,* ob *ratiocinium analogicum,* (DEVS enim statim ab initio omnia propter sapientiam ita ordinauit, vt *ex* et *ab* vno tanquam medio alterum proueniret, Gen. I. Quare itaque circa hominem exceptio esset facienda? nonne hoc modo homo non generaret hominem, DEOque miracula quotidie essent perpetranda?) assumi non potest. Hinc remanet *præexistentia.* DEVS ergo, quia via breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th.N.): animas ab initio creatas (§. 188.), cum corporibus coniunxit; ita vt hodie totus homo per parentes generetur, et in lucem mittatur. Corpora vero latent in ouulo materno, aut secundum quosdam in animalculis spermaticis (§. 336. Phys.). Quoniam vero ratiocinia nostra oriuntur ex ideis vniversalibus (§. 134. Log.); hæ vero per abstractionem, quæ per comparationem idearum, aut rerum indiuidualium formatur (§. 42. 43. Log.); sequitur: mentem nostram, quia adhuc in vtero latet, quo in casu nullas habere potest sensationes et ideas (§. 8. 13. Log. et §. 220. seqq. Psych.) non sibi esse conscium (§. 5. Log.); præsertim, quia sibi mundum repræsentat, pro situ cprporis in vniuerso (§. 172. Psych.). Quoniam itaque per præexistentiam etiam

omnes difficultates circa P.O. tolli possunt; cum Sc.S. porro thesis hæcce conuenit, Rom. V. 12. ἐΦ ᾧ; sapientiamque DEI declarat, qua omnia harmonice composuit (e.g. in semine plantarum, tota latet planta §. 295. Phys.): probabilis videtur maxime (§. 176. Log.), conf. Progr. nostr. de diuersis circa originem animæ. sententiis.

§. 367. Ergo, quia P.O. ad posteros propagatur et propagari debet (§. pr. et 354.): recte homini, dici poterit *naturale, inchoatiue, transitiue, debitiue, connaturali connexione* (§. 10. 11. Ont.). Attamen quum per P.O. non substantia, sed facultates tantum sunt corruptæ (§. 364.): non est naturale *constitutiue* aut *consecutiue*. Explicari hæc et illustrari possunt ex doctrina imaginis diuinæ (§. 223. 224.).

§. 368. Quicquid vero naturale est, illud tam facile deponi non potest. *Naturale* enim *connexione naturali* dicitur, quicquid certas ob circumstantias necessario cum re aliqua est coniunctum. Quoniam itaque P.O. est ob fœdifragium (§. 321.), ex quo mors corporalis necessario sequitur (§. 293.): P.O. durare vsque ad mortem corporalem debet. Hinc vsque ad mortem deponi non potest. Quicquid vero deponi vel desumi non potest; illi adscribimus *tenacitatem*. P. ergo

Orig.

Orig. tenacitas inde intelligi potest. Rom. VII. 14-24. Matth. XII. 33. 34. 35.

§. 369. Est itaque P. O. sicut morbus hæreditarius. Quem ad modum enim dum homo uiuit, funditus ille euelli minime potest: ita et P. O.

§. 370. Quia vero P. O. homini ob circumstantias, fœdifragium scilicet, est naturale (§. 367. seq.); ob quod mors etiam corporalis s. temporalis in mundum venit (§. 293.): acquisito fine, cessare etiam debent media ad hunc finem facientia (§. 80. Ont.). Quodsi ergo per mortem temporalem, finis pœnæ a DEO præscriptæ, ad actum venit Gen. II. 17. Rom. V. 12., cessare tunc etiam debet P. O. Exstirpatio ergo plena, non nisi per mortem temporalem ordinarie fieri potest. Rom. VI. 7. VII. 24. Quodsi enim iam in hac vita P. O. funditus Numen omnipotens tolleret: immortalitatem rursus concedere debuisset hominibus, quod est contra pœnam Gen. II. 17.

§. 371. Hoc vero, quod de exstirpatione (§. pr.) diximus, de *regenitis* tantum valet; non de *irregenitis*, quod ex capite de damnatione clarius patebit.

§. 372. Ergo, quia P. O. hac in vita funditus exstirpari nequit (§. 370.): inuenitur

illud in regenitis et irregenitis. Ergo, quum P. O. in defectu virium et pronitate ad malum consistit (§. 338.): regeniti et irregeniti hæc in se experiuntur. Ergo, ob hunc defectum et pronitatem facile fieri potest, vt malum sub specie boni sibi repræsentent, adeoque peccent (§. 9-14. Diss. prol.). Hinc *actuositatem* P. O. ad varia delicta etiam infantes solicitantem Viri Theologi Sc. S. et experientiæ propriæ et alienæ ductu, recte defendunt· Rom. VII. 14-24.

§. 373. Attamen, quia regeniti seu pii peccata fugiunt, iisque omnibus resistunt modis (per def.): P. O. in iis tantum est qua *sensum* eos afficientem, non qua *consensum*. In *irregenitis* vero seu *impiis*, qui peccata libenter faciunt, eisque delectantur, est *etiam* qua *consensum*. Rom. VII. 14. seqq.

§. 374. Hinc, quia in irregenitis P. O. est qua consensum (§. pr.): actiones eorum libere et libenter P. O. conformantur. Quicunque vero actiones suas libere et libenter alicui conformat, ille *ab hoc regi*, et *sub eius dominio esse* dicitur; in irregenitis ergo P. O. est *regnans*; et sunt sub peccati O. dominio. Rom. VI. 12. VII. 5. Contra, in regenitis est non regnans. Potius, quia regeniti omnibus viribus resistunt, quod *subiugare* dicimus; in iis subiugatio P. O. deprehenditur.

CAP.

CAP. VII.

DE PECCATIS NON-CONNATIS.

§. 375.

Quod ex P. O. necessario alia proueniant peccata, modumque, quo inde propullulent; demonstrauimus (§. 325. seqq. 372. et §. 9. seqq. diss. prol.). Rom. VII. 18. Hinc de his iam agendum nobis erit, quæ *nonconnata* inposterum nobinabimus & ideo definiri poterunt, quod sint peccata per P. O ex confusa repræsentatione, orta. Hinc recte etiam *deriuatiua*, εργα σαρκος Rom. VIII. 13. Gal. V. 19-21. ανομα 2 Pet. II. 8. *mortua* Ebr. VI. 1. *infructuosa tenebrarum* Eph. V. 11. *actiones Vet. hominis* Col. III. 9. etc. nominantur.

§. 376. Ex §. itaque præc. elucet: nos peccata non-connata ab O. distincte separare. Errat ergo BELLARMINVS de *amiss. gratiæ et statu peccati* L. V. c. 4. scribens: *Multorum Lutheranorum esse hunc errorem, vt* P. O. *et* P. A. *confundant.*

§. 377. Varia autem pro varia relatione nanciscuntur nomina. Diuiduntur enim ratione *obiecti*, in peccata erga DEVM, *immediate* et *mediate* directa, quoad *primam* Decalogi

logi tabulam. Rom. III. 23. De officiis erga *proximum* et erga *se ipsum* 1 Cor. VI. 18. quoad tabulam *secundam*, diximus in l. N.

§. 378. Lex vel nos obligat ad aliquid faciendum vel omittendum (§. 7. Ph. Pr. Vn.). Hinc ratione *formæ*, *normæ*, et *materiæ*, in peccata *Commissionis* et *Omissionis* diuiduntur, quæ ex terminis patent.

§. 379. Quia voluntarium formaliter ad peccatum non pertinet (§. 109. Ph. Pr. Vn): ideo peccata ratione *causæ efficientis*, in *voluntaria* et *inuoluntaria* seu *non voluntaria* recte diuiduntur. Quod si itaque homo plena et deliberata voluntate peccatum committit, adeoque contra conscientiam practice practicam (§. 66. Ph. Pr. Vn.) aliquid agit, aut omittit: dicitur *voluntarium*. Hinc etiam *peccata proæretica* et *malitiæ* vocantur 2Pet. III. 5. Ps. LIX. 6. Ebr. X. 26. Quodsi vero plena et deliberata voluntate non peccat, est peccatum *inuoluntarium*. Plena vero et deliberata voluntas est iudicium de re nobis bona vel mala, consideratis circumstantiis latum. Ergo, si quis ex ignorantia, Luc. XII. 47. seqq. non affectata iuris, et facti, circumstantiarumque; aut affectu abreptus vehementiori Matth. XIV. 30. seqq. motibusque subitaneis sine consensu, aut vehementia peccat: *inuoluntarie* peccat.

§. 380.

§. 380. *Peccata infirmitatis sunt*, quæ pleno voluntatis proposito non committuntur. Attamen quia ex P. O. proueniunt (§. 375.); quod nobis imputatur (§. 353.): ideo et infirmitatis peccata nobis imputari debent.

§. 381. Peccata inuoluntaria etiam nobis inuitis oriri possunt (p. exp.). Hinc tali modo etiam peccare infantes possunt. E. sunt peccata infirmitatis (§. pr.).

§. 382. Ratione consequentis peccata dividuntur 1) in *clamantia*, quæ DEVM etiam silentibus hominibus ad vindictam permovere solent; qualia quatuor imprimis in Scriptura recensentur, *homicidium* scilicet Gen. IV. 10. *Sodomia* Gen. XIIX. 20. *oppressio insontum*. Exod. III. 7. Exod. XXII. 23. 27. *denegatio debitæ mercedis* Iac. V. 4. et *non clamantia*, quæ DEVS sua longanimitate interdum tolerat. Act. XVII. 30. Deinde 2) in *mortalia* seu *mortifera*, quæ peccanti, actu ipso ad mortem imputantur; qualia sunt irregenitorum omnia; Tit. I. 18. regenitorum, voluntaria Iac. I. 18. Ps. XIX. 14. 1 Tim. I. 19. et *venialia per accidens* et peccata infirmitatis, quæ licet morte digna; non statim tamen ad mortem imputantur. Rom. I. 8. Gal. VI. I. Non ergo ratione peccati; sed *personæ*, dicuntur venialia. Huc etiam pertinet

tinet *Peccatum tolerantiæ*, quod non ſtatim ſequitur pœna, quo homo tempus agendi pœnitentiam habeat. Act. XVII. 30. Quodſi vero pœnitentiam non agant homines, quo ipſo DEVS ob iuſtitiam, omnino punire debeat: homo dicitur *menſuram peccatorum complere* Matth. XXIII. 32. 1 Theſſ. II. 16. Male ergo *Pontificii*, non omnia peccata ex ſe mortalia, ſtatuunt, ſcilicet 1) ob leuitatem operis ſecundum ſe; ſed Rom. V. 23. in genere mors, peccati ſtipendium dicitur. Porro id 2) concludunt ex imperfectione conſenſus. Sed vide Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Tertio id deducunt ex paruitate obiecti; Verum conf. Iac. II. 10. Denique 4) adducunt probationis loco Matth. V. 22. agit autem hic locus de inæqualitate pœnarum, ob inæqualitatem peccatorum; ſed non dicitur: ea non mereri pœnam. conf. etiam Matth. XII. 36. Denique diuiduntur 5) in *irremiſſibile*, de quo ſtatim dicemus, et *remiſſibilia*, quæ ob harmoniam perfectionum diuinarum remitti poſſunt Marc. III. 28. ſeqq.

§. 283. Quemadmodum vero homo ſemel iterumque peccatum committere poteſt, vel ſine reſpectu habitus; vel habitu acquiſito: ita peccata etiam in *habitualia* et *actualia ſtricte ſic dicta*, diuiduntur.

§. 384.

§. 384. Ratione *gradus*, diuiduntur in peccata *cordis*, *oris* et *operis*, seu in *interna* et *externa* Matth. V. 21. 22. 28. XV. 19. quæ non ratione DEI (cuius intuitu omnia sunt æqualia); sed potius ratione peccantis, vbi maior vel minor malitia est, gradus admittunt. Graduum vero optimam descriptionem vide in S. R. D. D. Langii *Oeconomia Salutis* pag. 151. Ergo ad *interna*, quæ a sola mente proueniunt, etiam pertinent cupiditates malæ, in mente subito ortæ, quæ *motus primi* sc. *mali* vocantur; quodsi vero homines iisdem delectantur, *motus primo-secundi* sc. *mali* nominantur. Quia vero hoc modo adsunt motiua (§. 130. Psych.): in actum externum etiam erumpunt. Iac. I. 14. 15. Hinc oritur *scandalum sui ipsius*, quo homo motus primi non supprimens, deterior redditur.

§. 385. Ratione *peccantis*, in *propria*, a peccante ipso commissa; et *aliena* seu *participata*, quæ fiunt nostra, per datum consensum, 1 Tim. V. 22. scilicet per scandala Matth. XVIII. 6. post mortem durantia; 1 Reg. XV. 30. 34. per seductionem; 2 Pet. II. 19. Eph. IV. 16. V. 6. iussionem; Matth. II. 16. persuasionem; 2 Sam. XVI. 21. assensum et approbationem; Luc. XXIII. 15. Rom. I. 32. occultationem; Lev. XIX. 17. Matth. XVIII. 15-17. fraternæ correctionis inter-

intermissionem; Levit. XIX. 17. neglectam impeditionem; Ezech. XXXIII. 6. seq. conversationem; 1 Cor. V. 9. Apoc. XVIII. 4. tolerantiam, 1 Sam. III. 13.

§. 386. Occasione peccati participati de *scandalo*, aliqua præcipiemus, quod fit, si aliis, nostro exemplo motiuum peccandi præbemus. Ergo peccata *occulta*, quæ peccantibus determinatis solum innotuerunt; et *manifesta*, de quibus etiam alii sciunt, scandalo esse possunt. Omnia ergo peccata, *si in aliorum notitiam veniunt*, scandala esse possunt. Omnis ergo officiorum neglectus, (subditorum et imperantium; doctorum, auditorum, ministrorum ecclesiæ, parentum et liberorum, Dominorum et seruorum) scandalum præbere potest. Ergo scandalum esse potest, vel *reale*, dictum scil. aut factum; vel *personale*.

§. 387. Poterit vero exemplum nostrum esse in se bonum, quo alter peccandi motivum sumit, *et scandalum est acceptum* Ioh. VI. 41-66. VII. 15-52.; vel poterit esse in se malum, quo alteri, peccandi motiuum præbemus, quod *scandalum* est *datum*. Quoniam itaque scandalum datum est peccatum: scandalum datum semper est euitandum, non solum, quia DEVS propria peccata punit (§. 61.); sed et quia hoc modo alios etiam

etiam in ſtatum peccati pœnæque ducimus, quo ipſo hæc peccata aliena, noſtra fiunt (§. 385.). Conſenſus enim eſt vel *directus*, vel *indirectus*.

§. 388. *Infirmus intellectu* dicitur, qui ſufficienti cognitione eſt deſtitutus; *infirmus* uero *voluntate* eſt, qui habitum nondum ſibi acquiſiuit legi diuinæ conuenienter viuendi, quamuis initium iam habeat. Quoniam itaque infantes, partim infirmitatem intellectus; partim voluntatis; partim vtramque; partim etiam nullam harum; ſed habitum potius male agendi habere poſſunt: per ſcandala data in prioribus caſibus bonum negligerent, malumque vero facerent; in poſteriori autem in malitia ſua confirmarentur, quo ipſo non ſolum ipſi, ſed et per illos alii, a recta via ſeducerentur, quo et Reipublicæ ſtatus confunderetur; et æternis pœnis facile puniri poſſent. Id quod etiam de iis valet, qui nulla fere cognitione boni et mali ſunt ornati, qui ideo innocentes (unſchuldig) vocari ſolent.

§. 389. Quia itaque ſcandala infantibus data, noſtra fiunt peccata (§. 387. ſeq.); DEVS vero, ob iuſtitiam, nullum peccatum admittit impunitum (§. 61.): ob ſcandala hæc, quiuis ſcandalizans puniri debet. Et, quia porro tanta ex ſcandalis proueniunt mala

mala (§. 388.): recte se habet CHRISTI effatum Matth. XVIII. 6. 7.

§. 390. Scandalum acceptum est in se bonum (§. 387.). Bonum vero quod nobis est præceptum, intermittere haud possumus (§. 114.). Ergo scandalum, seu potius bonum illud, hoc in casu omittere non possumus; id quod CHRISTI exemplo etiam patet (§. 387.) Matth. XV. 12. 14. Quicquid vero nobis non est præceptum, mittere possumus sine peccato (per oppositionem). Quodsi ergo infirmus quidam, ex actione aut omissione tali scandala accipiat: sunt omittenda; aut is de falsitate suæ cognitionis conuincendus (§. 388.). Matth. XII. 1. seqq. Luc. XIV. 1. seqq. Gal. II. 3-5. V. 2. Rom. XIV. 13-32.

§. 391. Peccatum etiam aliud est *dominans*, aliud *non dominans*; quod mutatis mutandis ex §. 374.) intelligi potest.

§. 392. *Irremissibile peccatum* describitur Matth. XII. 31. 32. Marc. III. 30. Luc. XII. 10. et vocatur peccatum in Spiritum S. Ex hisce locis videmus, quod Pharisæi *veritatem cœlestem* (h. e. complexum doctrinæ, ad salutem æternam adplicandæ) a Christo et Scriptura V. F. propositam cognouerint, conuictique fuerint. Ioh. III. 2. Matth. XXII. 16. nihilominus vero eam non solum abnegarint malitiose et contumaciter, sed etiam summa blas-

blasphemia de eadem locuti impugnarint et impedierint. Hinc sequens huius peccati exsurgit definitio: *Peccatum in Spiritum S.* est contumax et malitiosa veritatis cœlestis agnitæ oppugnatio. Dicitur etiam *peccatum ad mortem.* 1 Ioh. V. 16.

§. 393. Quia vero peccatum in Sp. S. est oppugnatio (§. pr.): adest etiam impeditio veritatis diuinæ; qua Spiritus S. conuertere homines eosque sanare cupit, vti ex infra dicendis adparebit. Hinc denominatio oritur ab *impeditione officii* et *ministerii* Spiritus S. (§. 1073. seqq.). Ergo non committitur peccatum hocce in *personam* Spiritus S. per abnegationem; nunquam enim Pharisæis hoc imputari potest. Neque etiam hinc peccatur in *Essentiam* Spiritus Sancti; alias peccatum esset contra DEI Trinitatem. Neque etiam est *oppugnatio doctrinæ* Spiritus S. in Scriptura patefactæ; hanc enim non negarunt Pharisæi.

§. 394. Quia porro est veritatis agnitæ impeditio (§. pr.): peccatum hoc non committunt, qui eam non agnouerunt, aut ignorarunt. Ergo neque *Paulus*, neque *Ethnici*, nec *Athei* omnes, nec alii ex *imbecillitate*, non contra conscientiam practice practicam peccantes, id committere possunt.

§. 395. Peccatum hocce est contumax et malitiosa oppugnatio (§. 392.). Ergo, qui ex

imbecillitate voluntatis peccant; aut vi et metu seducti, hoc non perpetrant; nec qui abnegant tantum; vel cum blasphemia de ea loquantur, sed non impediunt; adeoque nec infantes id committere possunt.

§. 396. Quia vero in hoc peccato veritatis cœlestis sunt convicti (§. 392.): omnia reiiciunt, quæ saniorem mentem instillare possent; hinc effugia quærunt atque prætextus, quibus resistere posse, sibi persuadent.

§. 397. Quia vero homo tali peccato peccans officium Spiritus S. impedit contumaciter (§. 392.): impedit etiam suam conuersionem, adeoque in peccatis voluntario manet. Qui vero voluntario peccat non adipiscitur remissionem peccatorum. Ergo tale peccatum est *irremissibile*; adeoque semper cum *impœnitentia finali* coniunctum Matth. XII. 31. 32.

§. 398. Ergo etiamsi in homine adsit malitiosa veritatis cœlestis agnitæ etiam impugnatio; vbi tamen contumacia *finalis* exsulat, Peccatum in Sp. S. non est *consummatum*; etsi iam sit *inchoatum* (§. 392. et præc.). Hinc gradus etiam huius Peccati dantur non solum *in se*; sed et respectu hominum cognitionis, convictionis, *malitiæ* et *contumaciæ*. Vnus enim præ reliquis, maiori modo his vitiis contaminatus esse potest.

§. 399. Et, quoniam Peccatum hocce est irre-

irremissible (§. 397.); DEVS vero ob sapientiam nihil permittit, vt frustra fiat (§. 41. Th. N.): pro peccante in Sp. S. minime (si scil. *certo* constet; nam si *probabiliter* solum, *conditionate* tantum) est orandum. 1 Ioh. V. 16. Distinctio tamen (§. pr.) obseruari debet omnino. Deinde non remittitur hoc in seculo, *formaliter*; in futuro, *declaratiue*: quo ipso dubium cadit, ac si in futuro seculo peccata quædam remittantur.

§. 400. Doctrina seu veritas cœlestis diuiditur in legem et Euangelium, vti infra docebimus. Ergo peccati in Spiritum S. *obiectum reale*, non solum *lex*, sed et *Euangelium* esse potest. Distinguendum vero inter *obiectum proximum*, quale est Euangelium; et *remotum*, quo lex pertinet.

§. 401. Male ergo *Moses Amyraldus* in eo potissimum peccati huius formam ponit, ac si in peccato contra Spiritum S. (quia tertia est diuinitatis persona; a Patre enim regressus adsit ad Filium; a Filio ad Sp. S.) nullus pateat regressus ad aliam diuinam personam, sicut in peccatis contra Patrem et Filium commissis. Verum misericordia DEI Patris æque late patet ac Spiritus S. (§. 139.), quam etiam commendat CHRISTVS Luc. VI. 36. nulla ergo ita erit differentia. Satisfactio CHRISTI etiam est sufficiens, ratione peccati in Spiritum S. quapropter non necesse

est, vt aliquid fingamus, quod Scripturæ est contrarium (§. 392.).

§. 402. His præmissis videre etiam est: quod persecutiones aliaque mala e. g. perpetua mediorum salutis reiectio, impœnitentia finalis etc. ex hoc peccato *consequantur*, quamuis hæc, P. in Sp. S. formaliter non *constituant*. Magis enim *dogmatibus blasphemis*, quam *moribus* perpetratur (§. 392.), quæ non semper adeo adesse debent; dum ad *consequentias* huius peccati pertinent; id quod etiam de *Scholasticis*, qui sex species statuerunt, sc. desperationem, præsumtionem, invidentiam, impugnationem, obstinationem in proposito, et finalem impœnitentiam, est dicendum. Videmus etiam, quod loca Ebr. VI. et X. nec non Act. VII. aliaque de hoc peccato agant. Ceterum vide S. R. D. D. Langii diss. de peccato in Sp. S.

§. 403. Verum dicis: vbi conuictio rem esse malam falsamque; ibi non esse potest adpetitus (§. 9-15. Diss. Prol.). Ergo peccatum in Sp. S. (§. 392.) propter conuictionem, non est possibile. Verum responsio ibidem etiam inuenitur. Nam, quia ita peccantes effugia atque prætextus quærunt (§. 396.): omni nisu distinctam repræsentationem permutant in confusam, ex qua deinceps peccatum existere potest (§. 9-16. Diss. Prol.).

§. 404. Ita nec ex Act. VII. 59. 60. contra

hocce

hocce peccatum valet dubium, licet pro tali non sit orandum (§. 399.). Nam erat tantum in quibusdam *inchoatum*, non consummatum (§. 398.).

§. 405. Opponitur huic peccato, in locis §. 392. *peccatum in Filium hominis*; quod, quia CHRISTVS ipse leuius adpellat peccato in Sp. S. nulla adesse poterit contumacia. Ergo definiri poterit, quod sit peccatum, quo doctrina Euangelica s. cœlestis (§. 392.) impeditur. Hoc vero vel ex *ignorantia*, vel *malitia* etiam, *in se*, et *aliis*, oriri potest. Facilis tamen ab hoc, in illud transitus est (§. 398. 402.); hinc omni studio euitandum. Matth. XXVI. 72. 74. 1 Tim. I. 13.

§. 406. DEVS vero odit peccata (§. 45. Ph. Pr. Vn.) Ps. V. 5. Ergo illi, qui in peccatis sunt, placere ipsi non possunt. Vt vero alteri aliquid non placeat, ratio huius displicentiæ adest; hæc autem ratio displicentiæ dicitur *macula*. Ergo etiam homo, maculam habet, ratione DEI. Homo vero in peccatis est originis et actualibus: duplici ergo macula laborat, *originaria* seu *priuatiua*, et *actuali* seu *positiua*. Macula etiam dicitur *labes*. Iac. I. 21. 23. Matth. XV. 18. seqq. Apoc. XXII. 11.

§. 407. Quia porro homo est causa peccati: homini peccata imputari possunt (§. 125. Ph. Pr. Vn.). Ob hanc vero imputationem

homini tribuitur *culpa*, quæ etiam *reatus* ab aliis *culpæ* vocatur. Alii vero *reatum* ex culpa concludunt, seu quod homo hac de causa obnoxius dignusque pœna fiat, Rom.II.22. III.19. qui status durat vsque ad pœnam, quod alii *reatum pœnæ* nominant. Quia vero pœna ex culpa oritur; patet: vbi nulla culpa, ibi nullam pœnam, et sublata culpa, tollendam etiam esse pœnam.

§.408. Maior autem erit macula, culpa item atque pœna, in induratione. Experientia enim discimus: nos, si prima vice aliquid adpetimus, rem considerare, an bona sit, an mala? per primum vero actum, dispositionem aliquam in nobis remanere, rem eo facilius secunda vice perpetrandi, et sic porro in reliquis actibus repetitis; vti ex Musica, aliisque actionibus conspicitur. Ita etiam res sese habet quoad peccata (§.325.).

§.409. Quum itaque homo maiorem peccandi habitum sibi acquirit per crebras actiones repetitas (§.pr.): non potest non fieri aliter, quam vt omni bono resistat. Quodsi hoc fiat actu, dicitur hic status *duricies*, seu *induratio actualis*: quam, quia homo crebras actiones repetere non debet, sed potius eas certo respectu mittere potest, euitare valet. Attamen, quia per P.O. habitu et procliuitate naturaliter est instructus male agendi (§.325.): talis status in homine

ne deprehenditur, in quo omni bono ob P. O. reſiſtit, quæ *durities* ſ. *induratio naturalis* ſalutatur. Ezech. XXXVI. 26.

§. 410. Hinc ob habitum ex induratione reſultantem, tantos homo in peccatis facere poteſt progreſſus, vt veritati cœleſti (§. 392.) *aſſenſum* firmum non amplius præbeat, qui ſtatus *excæcatio intellectus*: ſi vero nulla ad bonum *adpetendum, motiua* concedat, *induratio* ſeu *obſirmatio voluntatis in malo*, nominatur. Differt ergo excæcatio ab induratione. Denique ſubſtantia in hiſce ſtatibus exiſtens, *indurata* et *occæcata* dici poteſt. Diabolus ergo et homo, indurati et occæcati eſſe poſſunt (§. 262.).

§. 411. Quod vero differant? Sc. S. confirmat 2 Cor. IV. 4. Eph. IV. 18. 19. et quod proh dolor! exiſtant? ex Ieſ. VI. 9. 10. coll. Ioh. XII. 37-40. itemque experientia quotidiana diſcimus.

§. 412. Quoniam autem DEVS hominem creauit libere (§. 121. Th. N.); et ſapiens eſt (§. 53.): indurationem et occæcationem permittere debet. Attamen eſt benigniſſimus (§. 92.). Hinc gratiam ac pœnitentiæ tempus concedit. Quia vero homo gratiam hanc non adplicat (§. 410.); et DEVS nil fruſtra concedere poteſt (§. 41. Th. N.): gratiam hanc rurſus ſubtrahit, hominesque in peccata ruere ſinit, quem ſtatum Scr. *traditionem*

tionem vocat. Rom. I. 21-28. Pſ. LXXXI. 12. 13. LXIX. 28. quam rurſus exempla quotidiana et antidiluuiana probant.

§. 413. Quia itaque per crebras actiones repetitas, homo ſibi habitum peccandi contrahit (§. 409.): non vno actu duritiem cordis, excæcationem, obſirmationem et traditionem denique ſibi acquirit. Ergo id fit ſucceſſiue. Hinc 1) oriuntur primi motus, 2) motus primo-ſecundi et ſcandalum ſui ipſius, 3) conſenſus plenus, 4) propoſitum executionis 5) captatio occaſionis, 6) actiones externæ, plena voluntate commiſſæ, 7) actionum harum repetitio, 8) earumque excuſatio, 9) extenuatio, 10) defenſio malitioſa, 11) impudens gloriatio, 12) amara et hoſtilis bonarum actionum oppugnatio, quæ ipſa iam eſt cordis durities, et induratio (§. 410.). Ergo peccata, ſequentium peccatorum cauſæ eſſe ſolent.

§. 414. Homo ergo quia libertate gaudet, impedire poſſet, ne actus hi (§. pr.) ſucceſſiue in eo erumpant. Hinc ipſe cauſa eſt et auctor indurationis (§. 145. Pſych.); adeoque ipſi, hæc imputari poteſt (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Quoniam vero *Diabolus* perniciem hominum efficaciter quærit (§. 266.): et hic, cauſa indurationis eſſe poteſt. 1 Chron. XXII. 1. 2 Cor. IV. 4. Exod. IIX. 32.

§. 415.

§. 415. Ergo, quia induratio peccatum est (§. 410.): causa huius non esse potest DEVS (§. 331.). Verum, quia induratio et excæcatio etiam vt pœna considerari potest (§. 412. et 52. Ph. Pr. Vn.): DEO *hoc respectu* adscribi poterit, dum obduratos Satanæ, prauitatique suæ propriæ permittit (§. 412.). DEVS ergo indurat *permittendo*, (aliud autem dicendum de permissione mali, *respectu hominum*, qui id per leges non permittere debent), *declarando, puniendo, dirigendo*. Errant ergo *Prædestinatiani* et *Sociniani*, DEVM velle peccata nonnulla, vt homines indurare et excæcare queat. vid. *Catech. Racov.* C. X. Probant quidem sententiam, 1) ex induratione PHARAONIS, *Iudæorum, Ethnicorum* etc. Verum Resp. vide in præc. §. h. 2) 2 Sam. XII. 11. Resp. idem ad num. 1. sc. *permittendo*. 3) 2 Thess. II. 11. Resp. contemtum *puniendo*.

§. 416. Verum dicis: ex §. pr. DEVM fieri *causam peccati moralem* seu *per accidens*, id quod et in nostra ecclesia, et in aliis cœtibus sacris, nonnulli statuerunt, e. g. CALIXTVS in epit. p. 134. PISCATOR, ZWINGLIVS etc. Resp. Verum causæ per accidens, effectus imputari potest, etiamsi non intenderit (§. 78. Ont.); quod vero ratione peccati, de DEO dici nequit (§. 414.). Hinc dubia 1) ab induratione, 2) permissione, 3) a non impeditione: partim

ex §. pr.; partim ex eo cadunt, si cogitemus; DEVM peccata impedire *moraliter*; etsi propter sanctitatem suam (§. 59.), ea non impedire *semper* possit physice (§. 121. Th. N.). Gen. L. 20. Act. II. 23. 24. IV. 27. 28. 1 Reg. XII. 15.

§. 417. Quia itaque peccata actualia ex confusa oriuntur repræsentatione (§. 9-14. Diss. Prol): *homo*, qui confusas circa bonum et malum sibi excitat ideas, causa peccati esse potest. conf. l. c. §. pr.

§. 418. Ex Peccato O. seu carne nostra corrupta oriuntur peccata actualia (§. 396.). Ergo caro nostra inter causas peccati actualis est referenda (§. 59. Ont.). Iac. I. 14. 15. Gal. V. 19. seqq.

§. 419. Quum vero in P. O. homo distinctis caret ideis (§. 324.): mirum non est, si is ex ignorantia nonnunquam peccet. Attamen, quia talis, procliuitate etiam ad mala gaudet (§. 325.): *ignorantia* huius esse poterit *affectata*, vbi quis cognitionem impedit, vt liberius viuere possit; et *supina*, vbi cognitionem, quam habere posset, *negligit*: nec non *concomitans*, vbi aliquid ita volumus, etiamsi aliter esse, quam nobis repræsentamus, cognosceremus: a qua differt *ignorantia antecedens*, qua id, si sciremus, quæ ignorantur, non ageremus. *Consequens* denique *ignorantia* est, si quis voluntario in ignorantia

tia manet; quod fit per supinam et affectatam.

§. 420. *Mundus* est vel *personalis*, seu personæ, quæ in mundo sunt; vel *realis*, seu res in eo existentes. Quoniam itaque personæ, impii præsertim, occasionem peccandi præbent, scandalis non solum (§. 388.), adeoque exemplo præeundo, sed et præcipiendo per repræsentationes mali, seu *territiones*, Ioh. XIX. 12. 13. aut boni apparentis, seu *demulsiones* 1 Reg. XI. 2. adeoque et suadendo; mundus personalis recte inter causas peccati refertur. Ita mundus realis *abusioni* multiplici expositus Rom. VIII. 20. occasionem peccandi submINistrare potest. 1 Ioh. V. 19. 1 Cor. VII. 29. 31.

§. 421. Denique, sicut *Diabolus* causa esse potest indurationis (§. 414.): ita et peccatorum actualium; dum mentem et corpus hominum perdere studet (§. 266.). Hinc obiectis mouentibus 2 Sam. XI. 2. Ios. VII. 21. Consiliisque Ioh. XIII. 2. Luc. XXII. 6. cogitationes peccaminosas, ex quibus alia peccata proueniunt, excitat; aut ob commercium mentis et corporis (§. 218. Psych.), spiritus animales seu fluidum nerueum, sanguinemque artificiose concitat, vt ideæ materiales in cerebro existant, quo ipso immateriales in mente oriuntur (§. 181. Psych.). 1 Sam. XVI. 15. Rom. XIII. vlt. Ep. Iud. 8.

§. 422.

§. 422. Verum, quia homo agit libere (§. 145. Psych.): Diabolus et mundus ad peccata eum non necessitant; sed ipsis resistere potest, quod experientia etiam confirmat; præcipue vero id fit per fidem 1 Pet. V. 9. armisque spiritualibus Eph. VI. 11. seqq. Iac. IV. 7.

§. 423. Actio, qua notitiam eius, quod futurum est, et ignoratur, acquirimus, dicitur *tentamen* aut *tentatio*. Tentatio ergo nulla, quia DEVS est omiscius (§. 43.), respectu DEI, locum habere potest. Quodsi vero alteri ad malas actiones faciendas motiua præbemus, *tentatio ad malum* nominatur.

§. 424. Quum itaque hoc faciat Diabolus (§. 421.), mundus (§. 420.), et caro nostra (§. 418.): nos ad malum tentant; quæ non emendantes, sed subuertentes vel *blandæ* 2 Sam. XXIV. 1. seq. 1 Cor. X. 13. seqq. aut *terrificæ* esse possunt, Iac. I. 14.

§. 425. Ex oppositione §. 17. I. N. *obscurare gloriam* DEI, est actiones ita dirigere, vt intelligatur, nos DEVM pro tanto Numine, quale reuera est, non habere. Ergo qui peccat, legibus diuinis contraria facit (per def.). Hinc actio, vti iam descripsimus, dirigitur. Ergo qui peccat, obscurat gloriam DEI.

§. 426. Qui alterum odit, eius imperfectiones promouere studet (§. 113. Psych.).

Hostes

Hostes ergo et inimici nostri, imperfectos nos reddere studeant. Qui vero imperfectionem *spiritualem* (§. 285.) et *aeternam* nostram promouent, *hostes* dicuntur *spirituales*. Caro ergo, diabolus, homines, immo nos ipsi et mundus sunt hostes spirituales (§. 417-424.).

§. 427. Dum vero caro, diabolus et mundus nostram imperfectionem promouent (§. pr.): fieri hoc non posset, si ipsis, quod possibile (§. 422.), resisteremus. Quum itaque homo P. O. infectus non resistit, sed potius facit, quæ carni, s. peccato, mundo et diabolo grata sunt: captiuus ab iis ducitur. Qui vero a quodam captiuus ducitur, eius dici potest *seruus* (per def.). Homo ergo mundi, diaboli atque peccati seruus dici potest; adeoque est sub diaboli dominatu. 2 Tim. II. 25. 26. 2 Pet. II. 19.

§. 428. Quodsi nunc hominem lapsum cum diabolo comparamus, videbimus, vnumquemque amisisse imaginem diuinam non solum, sed et sibi habitum et inclinationem contraxisse male agendi h. e. P. O. (§. 321-326. 262. seqq.); ex quo plurima peccata alia consequuntur (§. 326.). Hinc diabolo est similis (§. 26. Ont.). Quodsi hanc similitudinem, imaginem Diaboli *sensu latiori*, vocare velis, non quidem repugnabimus. Verum, quia imago ad imitationem alterius, adeoque cum *intentione* similitudinem obtinendi,

nendi, producitur (§. 57. Ont.): imaginem diaboli hodie gerere, affirmari non *accurate* poteſt.

CAP. VIII.

DE FOEDERE GRATIAE.

§. 429.

Quod homo, rupto fœdere operum, nil niſi mala perpetrare poſſit, Cap. V. et VI. abunde demonſtrauimus. Quoniam itaque DEVS cum creatura mala, ſeſe coniungere nequit (§. 61.): homo in miſerrimo ſuo, quem per fœdifragium ſibi conciliauit, ſtatu, pœnas temporales, ſpirituales, et æternas ſuſtinere debet; vel, quia nulla creatura e miſeria ſua eum liberare valet (§. 47. Diſſ. Prol.): DEVS ipſe ſatisfactionem pro toto humano genere in ſe ſuſcipere debet (§. 49. Diſſ. Prol.).

§. 430. DEVS eſt miſericors (§. 92.): homines adeo, ſi ob mundi nexum ſapientem id fieri poteſt, in miſeria ſua perire non ſinit (§. 115. Pſych.). Ergo, quia DEVS eſt Trinunus (§. 137.): DEVS ſeu perſona aliqua diuina ſatisfactionem præſtare poteſt

est et debet pro hominibus (§.pr.). Quænam vero persona hoc opus in se suscepit? ex ratione perspicere non possumus. Hinc manet nobis mysterium (§. 151.), Ergo Script. S. ductu est delineandum.

§.431. Quoniam DEVS est ens liberrimum (§.79.): nulla personarum diuinarum ad hoc in se suscipiendum opus, cogi potuit. Hinc libere in se suscepit. Ergo, quia alia etiam persona satisfactionem hancce acceptare debuit, alias nulla locum habere posset satisfactio (§.44. Diss. Prol.): *conuenire* i. e. præstationem et acceptationem promittere sibi inuicem debuerunt. Quum itaque mutuum hoc promissum, pactum audiat seu fœdus (§.298.): fœdus aliquod inter personas diuinas, circa nostram salutem, intercedere debuit.

§.432. Et quod hocce pr. §. fœdus reuera in Trinitate interceserit, Sc. S. luculentissime testatur ac describit. Nam Misericordia DEI *Patris*, qui, vt hominibus promereretur salutem, a Filio petiit Psal. XL. 7.9. cui eos in peculium dedit Ps. II. 8. Ies. LIII. 11, describitur Eph. I. 3. Luc. I. 68. 72. Interuentio *Filii*, qui satisfactionem læsæ iustitiæ diuinæ obtulit, et quod ad hanc pertinent, suscipiendum promisit, liberationemque nostram spopondit Ps. XL. 8. 9.

Iob.

Iob. XXX. 23. 24. legitur Ebr. X. 5. Gratia denique Sp. S. qui hoc in negotio fœderatis ſuam promiſit operam, prædicatur Eph. I. 13. 14. 1 Pet. I. 2. 2 Theſſ. II. 13.

§. 433. Quoniam ergo hoc fœdus ex DEI præſertim gratia et miſericordia ſequitur (§. 430.): recte dici poteſt *fœdus gratiæ*, quod eſt conuentio in S. S. Trinitate, qua DEVS Pater, mediante filio, ſatisfactionem offerente, Genus humanum in gratiam recipit; Spiritus S. autem media ad amplexum illius gratiæ et ſalutarem vſum confert. vid. IAEGERI *Comp. Theol.* p. 285. ſeq. Sic. etiam Zach. VI. 12. 13. delineatur per *Conſilium pacis* inter *Iehouam* et *virum* h. e. inter *Patrem* et *Filium* in diuinis, qui eſt VIR per excellentiam, h. e. *eximius* inter omnes homines. Pſ. LXXX. 18. conf. etiam 1 Tim. III. 15. cum officio huius Viri. Deſcripſimus autem fœdus hoc reſpectu *Trinitatis*. *Hominis* vero ratione, quia per fidem ſaluamur, pactum eſt inter DEVM et homines, qua fide in Chriſtum, ſalutem conſequi poſſunt æternam.

§. 434. Et quoniam hocce fœdus patribus erat promiſſum, omnibusque gratum (§. 431-433.): ideo Eſ. LV. 3. *Promiſſio*: et *fœdus Euangelicum*: et quia DEVS veraciſſimus (§. 37.): dicitur etiam

iura-

iuramentum; Luc. I. 73. itemque a uariis *testamentum*, de quo deinceps.

§. 435. Decreta DEI sunt aeterna (§. 82.) Ergo & hocce foedus (§. 433.). Hinc vocatur foedus aeternum Gen. XVII. 13. 2. Sam. XXIII. 5. Es. LIV. 9. 10. Eph. I. 4. 1 Pet. I. 20.

§. 436. Quia filius DEI hoc in foedere satisfactionem offert (§. 433.), & DEVS est ueracissimus (§. 73.); ex sua parte Pactum hocce s. foedus implere debet omnino. Hinc contradictionem inuoluit cogitatio: filium DEI non seruare suam, hoc in foedere, promissionem.

§. 437. Ergo declaratio respectu filii adfuit se offerendi in sacrificium expiatorium, pro genere humano; quae declaratio *sponsio* audit. (§. 433. 436.) Ebr. VII. 22. Job. XXXIII. 24.

§. 438. Ob hanc ergo sponsionem (§. pr.) subiectio etiam necessaria fuit sponsoris θεανθρωπου sub lege, ut uita & passione sua s. morte pro nobis satisfaceret. Gal. IV. 5. (§. 44. 56. Diss. Prol.)

§. 439. Male ergo quidam putant: Christum uita sua *sibi* meruisse exaltationem, adeoque non ad *nos* hanc pertinere. Nam quia nos, non solum ad officia DEO praestanda, obligati sumus (§. 1. Diss. Prol.); aut his neglectis, ad poenam subeundam (§. 44. l. c.); Christum non pro nobis solum legem imple-

re, sed & mortem perferre debuit; ne dicam quod hoc modo iustitia diuideretur, quae tamen indiuisa nobis est adplicanda. 1 Cor. l. 13.

§. 440. Christus ergo dum spopondit (§. 437.) ut DEVS (§. 100. seq.) omniscius (§. 43.) *certo* cognouit, minime satisfactionem praestare posse genus humanum (§. 429.). Quum uero frustra nihil in se suscipere possit (§. 41. Th. N.) & tamen sponsionem pro nobis suscepit (§. 437) maioris securitatis causa, nostrae obligationi accedere non potuit.

§. 441. Porro quia Christus satisfactionem pro nobis *Patri* obtulit (§. 433.) adeoque nostram obligationem in se suscepit; nostra obligatio, non est mutata in aliam; nec creditoris persona est mutata in aliam, quia *Patri* spopondit.

§. 442. Ita quia nullus hominum, reconciliandi DEVM, inueniri potuit medium (§. 47. Diss. Prol.) & Christus ut DEVS (§. 100. seq.) non ab hominibus dependet (§. 20.) sed libere gratioseque pro nobis spopondit (§. 431); non potuit genus humanum, Christum, in suum substituere locum.

§. 443. Denique quia Christus ut DEVS (§. 100. seqq.) omniscius (§. 43.) sponsionem pro nobis suscepit (§. 437.); humanum genus praestare non posse satisfactionem, certo cognouit; adeoque debita nostra, ita in se suscipere debuit, ut nos in totum liberaret; fru-

fruſtra alias eſſet ſponſio (§. 440.) Jeſ. LIII. 5. 6.

§. 444. Ergo quia peccata noſtra in ſe ſuſcepit Chriſtus ut in totum nos liberaret (§. pr.); peccatum uero nullum manet impunitum (§. 64.); omnia noſtra, nullo excepto, in ſe ſuſcipere debuit.

§. 445. Ergo ſi omnia in ſe ſuſcepit (§. pr.); ſuſcepit etiam Originale & actualia; ſeu connatum & non connata. Ergo & Peccatum in Spiritum Sanctum.

§. 446. Ergo ſi per ſpoſionem Chriſti, liberati ſumus (§. 443.); in iudicio diuino, non amplius ut debitores adparemus; adeoque obligatio adeſt nulla, nec conueniri poſſumus. Rom. VIII. 1. 34. 35.

§. 447. Vt uero haec (§. 437.) propoſita ſponſio, eo claior fiat, naturam fideiuſſionis aliarumque, quae huc pertinent, materiarum paucis conſiderabimus. Dicitur autem *Fideiuſſor* perſona, quae alienae obligationi, maioris ſecuritatis cauſa accedit. Fideiuſſor ergo non prius obligatur, niſi debitor principalis non ſit ſoluendo. Quum uero haec, in ſponſione Chriſti, non deprehendantur (§. 440.); ſponſio haec Chriſti non eſt Fideiuſſio; & Chriſtus non eſt Fideiuſſor; ut male ſentit *Cocceius* cum aſſeclis.

§. 448. Porro quia noſtra obligatio, & debitum, non ſunt mutata in aliam obligatio-

nem (§. 441.); translatio autem prioris debiti in aliam obligationem, *nouatio* audit: L. 1. pr. ff. h. t. sponsio Christi non est nouatio. Errat ergo *Heideggerus* cum *Braunio* qui nouationem dicunt.

§. 449. Praeterea quum in sponsione Christi, creditoris persona non est mutata in aliam (§. 441.); hic uero actus, quo persona creditoris, inuito etiam debitore mutatur, *cessio* dicitur, Lib. I. C. eod. in sponsione Christi non est cessio.

§. 450. Sic quia genus humanum, non potuit Christum, in suum substituere locum (§. 442.); actus uero, quo debitor, creditori suo, alium debitorem, in locum suum substituit, *delegatio* uocatur; uid LAVTERBACH Coll. Theor. Pract. L. 46. T. 1. §. 2. Christi sponsio non fuit delegatio, contra *Braunium*.

§. 451. Denique quia Christus sponsione sua nos in totum liberauit (§. 443.); hoc uero in expromissione fieri solet L. 26. §. 2. ff. mand. L. 3. fin. C. h. t. (*expromissio* enim est, quoties nouus debitor, in locum prioris substituitur); Christi sponsio magis est expromissio quam fideiussio (§. 447.) *Expromissor* ergo est persona, quae ut nouus debitor, seu reus in locum prioris substituitur. Christus ergo dici poterit expromissor.

§. 452. Quod vero Christi sponsio magis ad naturam expromissionis accedat, quam fideius-

deiusſionis (§. pr.); inde etiam claret, quia fideiusſio locum non habet in criminalibus ſeu cauſis capitalibus L. 26. ff. L. 22. C. de poen. de quibus tamen nobis eſt ſermo Joh. X. 12. 15.

§. 453. Verum dicis: Sponſionem Chriſti non eſſe poſſe expromiſſionem, quia expromiſſor nouus fit debitor (§. 451.), quo ipſo non *alterius*, ſed *ſua* debita ſoluere, eſt obſtrictus. Verum Chriſtus non habuit debita, ſcripturaque ſacra, *noſtra*, non *ſua*, Chriſtum ſoluere debita affirmat ſaepiſſime Rom. II. 25. 26. Eph. I. 7. 1 Pet. II. 24. 1 Joh. II. Ebr. V. 1. 7. &c. Sed reſpondemus: Vocabula *debitum* & *debitor*, ideas exprimunt relatiuas (§. 58. Log.). Hinc reſpectu *actualitatis*, ſunt *noſtra*, quia nos peccata illa commiſimus; reſpectu uero *imputabilitatis*, quia Chriſtus, ut illa ipſi imputarentur, gratioſe permiſit, ſunt *ſua*, non quaſi ipſe ea perpetraſſet, ſed *imputatiue*; ſeu ſunt Chriſti debita reſpectu *ſponſionis*, noſtra reſpectu commiſſionis. Recte adeo Script. S. docet: Chriſtum *noſtra* ſoluere peccata, ſc. quae nos ſoluere debuiſſemus. Et ſic manet Chriſtus expromiſſor verus, ex hac ratione non ſolum, ſed & ex alia. Scilicet quia impoſſibile eſt: Filium DEI non ſeruare ſuam, hoc in foedere, promiſſionem (§. 436.); debitor eſt reſpectu huius promiſſionis; adeoque rurſus manet expromiſſor (§.

451.). Quemadmodum enim homo expromissor, dum sua (quae tamen non perpetrauit), ob imputationem, soluit debita; etiam alterius debita simul soluit, quia ea in se susceptit; ita & Christus hoc in negotio est considerandus. Et si uel maxime, cum expromissione in foro *humano*, in *totum* non conueniat; cogitandum est, nobis non de hac, sed de illa in foro *diuino*, esse sermonem. Praeterea etiam conuenit in plurimis, immo, si dicta hactenus recte expendantur, in omnibus. *Sufficit* nobis, magis sponsionem Christi accedere ad expromissionem, quam fideiussionem; de *hoc* enim tantum est quaestio (§. pr.); quam tamen obseruationem ex superfluo (uera enim est etiam sine ea) tantum addimus.

§. 454. Probant quidem sententiam BRAVNIVS & Coccejani; *quia Christus nos liberat non per solam nouationem obligationis, sed per ueram & actualem solutionem*, & *quia* 2) *per expromissionem solam debitor liberatur a debito absque solutione, & per solutionem liberatur expromissor tantum, non debitor.* Ergo esset solum fideiussor. Verum Resp. prius concedendo, negandoque nouationem (§. 448.). Ad posterius adnotamus, quod hic subordinata male distinguantur, concesso enim uno, non ideo statim negatur alterum conf. omnino §. praec. Minus accurate ergo infertur conclusio. Nam qui pro his spondet, quos scit in extrema soluendi impo-

impotentia constitutos, is eo ipso *absolute* intelligitur solutionem in *se* recepisse, atque adeo potius dicendus expromissor, quia talis fideiussor frustra aliquid faceret; quod de Christo cogitari non potest (§. 447.). Hoc etiam Esa. confirmat LIII. 5. 6. nam coniectio illa seu transportatio peccatorum, *veram* debiti translationem, & imputationem, & reorum liberationem, qualis in expromissione alias locum habet, indicat. Neque uim habet, quod contra locum Es. explicatum reponi solet; filium DEI tantum peccata in se suscepisse, cum se, ad sacrificium actu praepararet eoque satisfaceret. Nam aliud est postulare a Christo debitum ad praesentem solutionem; aliud peccata illi imputare; quod longe ante esse & fieri potest. Haec enim determinatio temporis ab Esaia non adiicitur. 3) Naturam expromissionis talem esse, ut quamuis expromissor non soluat, debitor tamen liber sit a debito & solutione; ita autem res sese non habere cum peccatoribus, nisi dicamus: DEVM debuisse peccata remittere sine satisfactione, si Christus sponsionem deseruisset. Verum nullius haec obiectio est ponderis, quippe impossibilis, & ficta adeoque frustranea (§. 440.). Desertio quidem illa uadimonii locum habet, si res nobis & negotium est cum homine mutabili; ast nostro expromissionis casu minime. Qua pro-

pter sicut dubium circa expromissionem etiam respectu hominum (si expromissor pecuniam in iudicii locum deposuit) tale existere, multo minus expromissionis ueri nomen subuertere potest; ita etiam in casu nostro. 4) Christum dici ἔγγυον fideiussorem Ebr. VII. 22. Verum *Hesychius* ἔγγυον uocat ἀναδοχον. At uero ἀναδεχεσθαι notat *in se suscipere, accipere*, ut docet *Budaeus*, quod magis competit expromissori quam fideiussori. uid. *Jaeger*. Et si uel maxime, (quod tamen non concedimus) Christus Ebr. VII. 22. nominaretur fideiussor; sub hac uoce, expromissor ob rei à nobis (§. 440 - 451.) declaratae naturam esset intelligendus, cum & saepe apud ICtos haec uocabula promiscue usurpantur, ut fideiussio ualeat expromissionem, teste *Cujacio* Obs. l. 13. Et in *Senatus consulto Vellejano* fideiussionis uerbo continetur expromissio, & l. 10. de in rem. Vnde, recte ipse *Turretin*, mirum uideri non debet, si in sponsione Christi describenda, modo fideiussionis, modo expromissionis uoces promiscue adhibeantur.

§. 455. Ante omnia uero quaestio est diiudicanda, *pro quibus* Christus fideiusserit, ut pactum s. foedus euangelicum eo melius intelligere queamus. 1) DEVS uero *omnibus* promisit uitam aeternam foedus operum seruantibus (§. 298.). Quum uero foedus euangelicum in locum foederis operum succes-

sit

fit (§. 429. f.); DEVS que immutabilis (§. 23.); *omnes* etiam homines ſub foedere gratiae comprehendere debet. Id quod etiam 2) inde patet, quia ſine diſtinctione adhibita, *omnes* omnino homines Paullus ad imaginis diuinae amiſſae reſtaurationem admonet Col. III. 9. 10. & praecipue 11. nec non Eph. IV. 23. 24. Hinc quia per imaginem diuinam, uires bene agendi adipiſcimur, quibus uitam aeternam conſequi poſſumus *omnes* (§. 205.); *omnibus* eſt uia ad ſalutem patefacta. Recte ergo ſe habet relatio imaginis diuinae in foedere operum & foedere gratiae. Vbique ſc. per principium reductionis (§. 86. Pſych.) eſt medium ad ſalutem; adeoque ab hac ad illam ualet conſequentia. Scilicet quia in foedere operum *omnes* comprehendebantur ob imaginem diuinam; ſic & in foedere gratiae. Quodſi porro 3) DEI cogitas ſapientiam ob quam ordinem amat, omnemque ordinis perturbationem odio proſequitur (§. 53.); facile uidebis, quod ordinem, per peccatum ualde perturbatum rurſus reſtituere debeat. Reſtituit uero per foedus gratiae. Quodſi uero alios tantum recepiſſet, alios non item; hi peccatis corrupti, ordinem perturbare perſeuerarent, quo ipſo DEVS finem conſequi haud poſſet. Ergo hac ex ratione recipere debet omnes. Praeterea 4) quia omnes foedere operum, per peccatum excidunt

(§. 322.); omnes eandem inter se habent relationem. Quia itaque DEVS ob sapientiam & sanctitatem ordinem amat & harmoniam (§. 53.); omnibus & singulis eandem inter se relationem habentibus, *eadem*, minime *diuersa*, quo ipso harmonia tolleretur, concedere debet. Ergo si unum peccatorum in foedus gratiae includit; includere debet omnes. Ita 5) ex principio rationis sufficientis solide etiam adstruitur nostra sententia. Quodsi enim alios ex gratiae foedere excluderet, cum tamen omnes eandem relationem habeant, sine sufficienti ratione id fieret, quod absurdum (§. 24. Ont.). Sic 6) quia eandem omnes habent naturam atque relationem (num. 4. h. §.); ius prae altero, alter maius habet nullum. Vbi uero alteri, qui idem ius nobiscum habet, maius quam nobis bonum conceditur; ibi est προσωπολημψια (per def.); quae cum in DEVM non cadat (§. 72.); *omnibus* etiam atque singulis ius gratiae foederis concedere debet. Ita 7) quia προσωπολημψια oritur in DEO, si quibusdam tantum iura foederis gratiae concedere uellet (num. 6. h. §.); haec uero ob iustitiam in DEO esse nequit (§. 70. 72.); tolleretur etiam per exclusionem quorundam ex foedere gratiae, iustitia DEI. Quod cum sit absurdum (§. 68.); falsa esse debet haec doctrina. Verum iustus esse minime posset, nisi

nisi etiam sit sanctus, quia iustitia ex sanctitate sequitur (§. 68.); hinc tollit etiam haec, de qua nobis sermo est, doctrina, 8) etiam sanctitatem DEI; eaque propter non admitti potest; id quod etiam ex disharmonia actionum DEI elucet. Nonne enim maxima haec in DEO esset diuersitas, nulloque modo consensus, si cum quibusdam tantum gratiae foedus inire uellet? Si itaque DEVS hoc modo suarum actionum harmoniam tollit (num. 8. h. §.); non amplius locum in eo habet adpetitus ad optimum, quin potius, ex adpetitu disharmoniae, quae malum indicat, 9) adpetitus concludi posset ad malum. Verum indignius quid sol nunquam uidit. Ne iam 10) dicam, quod hoc pacto, quia mala ex confusa oriuntur repraesentatione, DEO confusae adscribendae essent notiones, quod quam absurdum sit perpendas quaeso (§. 42.)! Verum ulteriora hanc sententiam premunt imposibilia. Nam 11) si DEVS confusis laborat notionibus (num. 10. h. §.); non est omniscius (§. 43.). Si non omniscius; non est infinitus (§. 27.); si non infinitus; mutabilis (§. 23.). Denique 12) si mutabilis; non est necessarius (§. 23.); quo ipso aseitas in Deitate negatur, adeoque tota diuina essentia funditus euertitur (§. 19.). Quae cum ita per disputationem κατ' ανθρωπον partim, partim per κατ' αληθειαν imposibila docuerimus; non

non potest non nostra, de uniuersali in foedus gratiae receptione, doctrina uera esse.

§. 456. Excipis uero: DEVM potius, per adsociationem particularem, suam monstrare posse iustitiam. Non ergo cadit iustitia; quin potius ex nostra tollatur sententia. Verum confunditur hic *iustitia* cum *exercitio iustitiae*. Hoc cessare *posset*, illa, tanquam attributum DEI essentiale minime. Dico *posset*, non uero statim *cadit* aut *cessat*. Num solis lumen cessat, si quis impeditur uidere? Deinde restringitur iustitia ab aduersariis ad solam *punitiuam* & *uindicatiuam* (§. 67.). Sed haec non omnem iustitiae conceptum exhaurit; sunt enim tantum species (§. 68.).

§. 457. Quodsi ergo in gratiae foedere *omnes* comprehenduntur (§. 455.); omnibus etiam uiam mediaque patefecit peccatoribus, quibus salutem amissam rursus consequi possunt. Talis uero fauor DEI benignus dicitur *gratia*; quae ergo est uniuersalis. Joh. III. 16. 2 Cor. V. 15. Rom. V. 18. 1 Tim. II. 4. 5. 6. IV. 10. 2 Pet. III, 9. 11. 1 Ebr. X. 29.

§. 458. Negant quidem alii gratiam hanc esse uniuersalem, quorum (1) dubium est, a iustitia DEI desumtum. Verum 1) iustitia non maior esse debet misericordia; & iustitia 2) cum delictum respiciat sine delicto & peccato nemo damnari possit, quod etiam ex mente dubii sequeretur; 3) misericordia

dia iustitiam tollit, sed potius harmonia diuinarum perfectionum optime obseruatur: 2) dubium in eo ponitur, ac si libertatem Dei absolutam tolleremus. Sed per dubium potius tollitur, neque enim hic absoluta libertas locum habet, aut de ea sermo esse potest, quia DEVS secundum ordinem a se constitutum agit, adeoque est ignoratio elenchi. 3) Est hermeneuticum, ubi per mundum soli electi intelliguntur, sed 1) talia sunt subiecta, qualia permittuntur a suis praedicatis; cum uero de irregenitis etiam in locis Joh. III. &c. quaedam praedicantur, etiam irregeniti ad mundum spectant. 2) Nullus in scriptura adest locus, vbi mundus de solis electis dicitur potius mundus de irregenitis praedicatur Joh. XVI. 9. & petitio committitur principii; neque enim a minimis, sed a potiori fit denominatio; nullaque 3) urget necessitas, ut a recepto uocabuli usu recedamus nisi praeconcepta opinio, quae locum habere non potest, quia 4) ipsa explicatio scripturae 1 Joh. II. 2. cap. V. 19. Rom. III. 19. uocabulum clarum reddit; Hinc 5) nulla est exceptio: a nobiliori fit denominatio, pii enim sine respectu ad fidem, non sunt nobiliores aliis. 4) Explicat uocabulum omne, de generum singulorum restitutione. Verum conf. (§. 120. Log.) ubi contextui contradicit, quod iterum est petitio principii, nulla

nulla enim est distinctio in uoluntatem signi & beneplaciti, contradicit enim scripturae Ezech. XXXIII. 11. Matth. XXIII. 37. & perfectionibus diuinis Deumque simulatorem (absit blasphemia dictis) sistit 5) Desumitur ex Matth. XX. 28. XXVI. 28. ubi de multis tantum scriptura loqui debet. Verum uocabulum tantum ibi non exstat & multi 2) etiam dicuntur omnes, in respectu ad obiectum unicum Rom. V. 19. cap. III. 19. 23. 15. 6) Ex Joh. X. 11. 15. ubi Christus ipse electorum restitutionem profitetur. Verum 1) non de omnibus bonis sed etiam de malis sermo est, uti simile de pastore innuit l. c. 12. Deinde non fuit uocabulum exclusiuum de officio sacerdotali Matth. XV. 24. sed de prophetico adhibitum. 7) Ita se habet: pro quibus Christus non orat, illos non redemit Joh. XVII. 9. verum Christus excluſiue orat 1 Joh. II. 2. Luc. XXIII. 34. Jes. LIII. 12. Matth. V. 44. sed de ea oratione tantum loquitur speciali pro discipulis, ut de exauditione certos reddat, quam non habere potuerunt impii. Nam de conseruatione status gratiae tantum sermo est v. 15. 8) Est, si DEVS omnes saluos uellet, omnes fieri deberent; sed falsum est posterius ergo & prius. Verum 1) non de absoluta sed ordinata DEI voluntate hic est sermo; & 2) sibi ipsi contrarius esse non potuit, hominem enim libere

creauit,

creauit, quod in eo tollere non potest. 9) Porro ita argumentantur, ubi non sunt media gratiae concessa, ibi non potest gratia dici uniuersalis. Atqui in V. T. usque ad tempora Mosis non fuere gratiae media concessa. Ergo. Verum distinguenda sunt media per scripturam & oretenus concessa. Haec habuere; illa non, concedimus Gen. III. 15. Gen. IV. 42. seqq. 2 Pet. II. 5. quod etiam ob longaeuitatem patriarcharum eorumque pietatem Gen. XVIII. 19. in familia multitudinem Gen. XIV. 14. & itinera per uarias terras facile elucet. Excipiunt 10) quaedam media gratiae Mosis temporibus ad solos Israelitas pertinuisse; uerum non de gratiae mediis, sed tantum de praerogatiuis Israelitarum prae reliquis gentibus, scriptura loquitur, quia ex illorum posteris Christus nasci debuit. Legimus enim saepissime de peregrinis seu proselytis, qui in communione Judaeorum erant, qui per uarias actiones bellicosas Judaeorum Judicum & Regum Israelitarum alliciebantur, notitiamque de uera religione habebant 1 Reg. IV. 34. V. 7. X. 1. seqq. XV. 24. VIII. 41. seqq. Jon. III. 5. ut nihil iam de captiuitate Israelitarum, in qua sacerdotes habebant 2 Reg. XVII. 27. seqq. & imprimis Daniele, qui summus in imperio fere erat, aliisque, eo tempore prophetis Dan. II. 46 - 49. III. 28 - 33. IV. 31 - 34. VI. 25. 2 Chron.

XXXV.

XXXVI. 22. seqq. Esther VIII. 14. inprimis 19. cap. IX. 3. 4. dicam. Pertinent etiam huc; quod Israelitarum populus ante Christi aduentum per Aegyptum, Syriam, Asiam, Italiam, Graeciam, dispersus fuerat, multisque ex illis gentibus religionem judaicam acceperant Act. II. 10. porro uersiones & translationes Ebraei codicis in linguam graecam conf. Josephi antiquitat. Jud. imo trium sapientum ex oriente notitia Matth. II. Quod uero a temporibus Christi ubi Apostoli per totum terrarum orbem euangelium praedicarunt, media gratiae adfuerint, dicta & scripta loquuntur. Inprimis distinguenda hic sunt media gratiae secundum ordinem constitutum concessa, & gratiae media extraordinarie per miracula concessa; non de hisce sed illis sermo est, Matth. XI. 21. & alibi quae plurimi reiecerunt imo non acceperunt, nec accipere uoluerunt. Quia DEVS est sapiens (§.) & sapiens superflua non facit (53. ib.); hinc media gratiae concedere non potuit neque debuit. Eadem quae (num. praeced.) adnotauimus, tollunt dubia de salutis mediis in N. T. non concessis. Christus enim non solum Apostolis aliisque discipulis Matth. XVIII. 18. seqq. Luc. X. 1-17. praecepit, ut in omni terra euangelium annunciarent Matth. XXIIX. quod etiam factum est Rom. X. 18. Col. I. 23. Act. II. conf. etiam Tertullianus

lianus contra Judæos Cap. VII. Irenæus L.I. Cap. III. ubi de Sarmathis seu Scythis, Germanis & Brittannis iam Sec. II. loquuntur. Sed & extraordinario agere potest modo.

§. 459. Quodsi his, quae (§. 457. & 458.) diximus, sequentia addis; eo facilior erit de universali DEI gratia conceptus. Scilicet qui alios felices facere potest atque *serio* uult; illius etiam, hoc ut actu fiat, est finis; Atqui DEVS propter omniscientiam & omnipotentiam felices praestare *omnes* potest; & propter misericordiam etiam serio uult (§. 43. 82.) E. etiam hoc ut actu fiat, DEI est finis. Joh. III, 16.

§. 460. Dicis: mundus denotat electos Joh. III, 16. & si haec de omnibus salvandis seria esset eius voluntas, cur non omnibus hoc annunciari curavit. Verum quod primum attinet, respondimus iam (§. 458.); addimus tamen: si hæc rite sese haberet explicatio; tautologia esset in uerbis Christi. Nam uerba talem funderent sensum: sic DEVS dilexit *fidem habentes*, ut omnes qui *fidem habent*, æternam consequantur uitam. Aut nisi hoc concedere velis, concedere cogeris, quod restrictio haec alteram simul includat, *qui non credunt*. Tunc uero habebis credentes incredulos si mundus solum denotat credentes seu electos. Ad secundum, responsio uberior infra quidē dabitur; uerum (ne iam de (§. 458) dicam) ulterius cum B.

Scherzero argumentor; Q. ſub æternæ damnationis pœna tenetur euangelio obedire & in Chriſtum credere, illi Chriſtus omnino deſtinatus cum Euangelio oblatus fuit. Atqui omnis homo ſub æternæ damnationis pœna teneturEuangelio obedire& inChriſtum credere Joh. III, 18. 36. Ergo omnibus Chriſtus omnino deſtinatus cum Euangelio oblatus fuit; alias DEVS argueretur iniuſtitiae, damnans eos, qui Euangelio non obediunt, & in Chriſtum non credunt, quibus tamen nullo pacto Chriſtum obtulerit, aut Euangelium annunciari curarit. Quare uero actu omnibus atque ſingulis gratia hæc annunciata non fuerit; partim 1.) ex famæ de Chriſtiana religione ſparſae *neglectu* uenit; partim 2.) ob *divinam praeſcientiam*, quæ infallibiliter præuidit, prædicationem Euangelii non fore fructuoſam Act. XVI. 6. ſeqq. XVIII, 6. 16. quia alias utique ui miſericordiæ ſuæ in infidelitate ſua ipſos perire non permiſiſſet, ſed gratiam & uerbum conceſſiſſet. Quia vero DEVS ipſis uerbum denegauit (loquimur de ordinaria DEI prædicatione) ſequitur, quod certo praeuiderit, eos uerbum praedicatum fuiſſe omnino repudiaturos; hinc ut ſapiens qui nihil fruſtra facit (§. 102. Pn. oc.) uerbum concedere non potuit; nulli enim unquam populo, niſi propter uoluntariam & euitabilem contumaciam, prædicatio ſemel facta fuit

ſub

subtracta Matth. XI. 21. 23. XXIII. 33. XXI, 41. 43. Act. XIII, 46. XVIII. 6. Apoc. II, 5. partim denique 3) ob malitiosum donorum naturalium abusum erga diuinum numen Rom. I, 19 seq. non tamen seiunctis, quae hactenus diximus; partim denique 4) ob causas latentes alias & iudicia DEI incomprehensibilia Rom. IX, 20. XI, 33. non tamen uel absoluta uel iniusta (§. 458); sed rationes in homine ipso sufficientes, supponentia, quia scil. gratiae oblatae resistunt, quod peccatum, (§ 474 seqq.). 5) Ob minuendam non recipientium poenam.

§ 461. Sumitur alias gratiæ uocabulum in Sc. S. etiam sensu *latiori*, pro beneuolentia DEI erga creaturas *omnes*, Sap. XI, 25. praecipue homines, in statu licet *integro* formatos atque constitutos; φιλανθρωπια, fauor benignitas DEI hinc dicta. Sumitur etiam sensu *strictissimo*, quae denotat paternum illum Amorem, quo DEVS iam *placatus* regenitos in Christo complectitur Eph. I, 6. uid. *Zeltneri* Tab. Nostra notio (§ 457) est *strictior*. Neque ergo sumimus gratiae verbum *minus late*, vbi est affectus primae commiserationis, erga lapsum genus humanum, quo salutem amissam eidem recuperari uult, si iustitiae suae fiat satis. Multo minus hic pro habitualibus doris gratiae nobis infusis; neque pro actualibus gratiae auxiliis, accipitur Rom. XII.

3. 6. XVI, 24. Hinc gratia noſtro ſignificatu *Miſericordia* Tit. III, 5. Eph. II, 4. Luc. I, 78. adpellatur itemque *amor* DEI. Joh. III, 16. Eph. II, 4. 5. nec non, quia affectum DEI erga nos inde cognoſcere poſſumus, qui noſtram ſalutem nobis parat, *gratia affectiua*, & *paratrix*; nec non *uoluntas antecedens*.

§. 462. Quia itaque gratia haec uniuerſalis finis DEI eſt (§. 459.) finis uero praeſupponit uoluntatem (§. 80. Ont.) gratiam hanc in actum deducere uoluit DEVS. Quum uero uoluntas aliquid ad actum traducendi, decretum audiat (§ 74 Th. N.); DEVS gratiam hanc hominibus concedere decreuit.

§. 463. Decreta uero DEI ſunt aeterna (§ 26.) ergo gratia haec etiam eſt aeterna. Aeternum autem eſt ſine principio & fine (§ 38. Ont.); ergo gratia haec DEI iam ante mundum conditum fuit fixa non ſolum, etſi in tempore tantum patefacta; ſed & ſine fine eſt continuanda, non quidem ratione modi, ſed potius ratione effectus. Eſ. LIV & LV. tot. aliae enim ibi ſunt circumſtantiae; cum non amplius ibi ſit Theologia *aenigmatica*, uti in hac uita.

§. 464. Si porro DEVS gratiam hancce hominibus concedere decreuit (§. 462.) Q. uero DEVS decreuit euenire debet neceſſario (§ 76. Th. N.); gratia haec uniuerſalis (§ 457) non eſt nuda aut otioſa quaedam complacentia,

centia, seu *affectus simplicis complacentiae* sed *efficax*; qua reuera non solum (sine hypocrisi) media permittit, sed & ad perficienda omnia adiuuat. Es. V, 4. Ezech. XXXIII, 2. Eph. II, 4. seqq.

§. 465. Patet, quod (§. pr.) diximus non solum ex (§ 458.) sed etiam ex infra dicendis de uocatione, conuersione, justificatione, adoptione &c.

§. 466. Quia itaque gratia haec est efficax (§ 464) efficacem se praebere debet in principio conversionis, quia homo naturalis uiribus bene agendi destituitur (§ 292.) qua ex relatione dicitur *praeueniens*, quae etiam *incipiens*, *praeparans* & *excitans* dici solet, & est ille benignus DEI fauor, quo is incapacitatem, & repugnantiam hominis naturalem tollit, ita ut sollicitus esse de sua salute incipiat. Ergo non potest non talis uerbum DEI cum aliqua adprobatione & suauitate audire Luc. IV, 22. Marc, IV, 20. Act. XXVI, 28.

§. 467. Ex eadem ratione (§ pr.) & quia nullum homini in spiritualibus est arbitrium liberum (§ 347.), gratia haec efficacem etiam se præbere debet, ita ut homo uires accipiat bene secundum leges uiuendi, seu ut pœnitentia, fidesque in Christum uera producantur, quae *operans* aut *perficiens gratia* salutatur.

§. 468. Denique ex iisdem (§ pr.) rationibus, & quia facile homo ob confusas relictas notiones, peccata, ob fortiora appetitus sensitiui motiua (§. 133. Psych) sequi potest (§. 9. Diss. Prol.); efficax gratia etiam esse debet, ad majorem hominis indies sanctitatem promovendam, (adeoque perpetuo homini adsistit) quae inde gratia *cooperans* audit.

§. 469. Aliis uero cum *Koenigio* gratia est quintuplex; scilicet *praeueniens* seu *incipiens*, quae incapacitatem; *praeparans*, quae repugnantiam naturalem tollit; *operans*, quae fidem historicam producit; *excitans*, quae ad fidem saluificam mouet; *perficiens*, quae illam plane efficit. Verum res est Logomachia. Nam non semper hi gradus in homine obseruantur, dum quis e. g. statim ab incapacitate & repugnantia liberatur, ita ut fidem historicam profiteatur. Quomodo uero deinceps effectus hujus gratiae nominare uelis, perinde erit.

§. 470. Quia porro gratia haec est efficax, quo ipso DEVS bonos in homine producit effectus; (§ 464) hanc ob relationem dici potest *effectiua*. Quatenus ergo consideratur, ut in fieri, vocatur *gratia applicatrix*; si uero spectatur in facto, seu si ipsa DEVS bonos in homine producit effectus *applicata* nominari solet. Haec rursus in *sanctificantem*, quae

quæ homines ſanctos reddit, & *miniſtrantem* in opere conuerſionis ſeſe monſtrans, diuiditur, quarum illa, *gratum faciens*, haec *gratis data* Scholaſticis audit.

§. 471. Quum itaque gratia DEI ſit efficax (§ 464) homo uero ſine motiuis non agat (§. 130. Pſych); per gratiam, noua accipit homo bene agendi motiua. Quodſi ergo homo aliquis ſibi relictus, philoſophicam, ſeu naturalem exercet pietatem (§. 66. Eth.); gratia accedens, motiua ſuggerit alia eaque noua. Quae quia a DEO proueniunt (§457) uti motiua in pietate; naturalibus non contradicunt. Gratia ergo naturam non deſtruit aut tollit. Potius, quia per gratiam, noua accedunt; augentur, adeoque fiunt fortiora. Vbi uero plura eaque fortiora adſunt motiua, ibi facilior procedit actio (§ 33 Pſych). Gratia ergo actiones bonas nobis faciliores reddit. Quero actionem nobis faciliorem reddit, illud nos *ſubleuat*; gratia ergo ſubleuat naturam.

§. 472. Et quia per motiua illa (§ pr.) DEVS mouet nos, ut gratiam accipiamus (quodſi enim miſericordiam DEI perpendamus, qua ex aeternis, in quas per peccata ſ. foedifragium incidimus (§ 294), pœnis liberati ſumus; non poſſumus non hanc tanquam optimum nobis bonum repraeſentare, eamque, ut bonum appetere (§ 128. Pſych.)

quae adeo motiua nobis praebet, ad gratiam DEI accipiendam); trahit nos Joh. VI, 44. *Trahere* enim *nos* dicimus, si aliquem per motiua mouemus fortiora, ut nostra placida assumat.

§. 473. Licet uero DEVS hominem ad gratiam trahat (§ pr.); (si praecipue foedus gratiae, inque eo misericordiam Patris perpendit, itemque Filii uoluntariam ad mortem subiectionem, nec non Sp. S. suauissimam illuminando promissam foederatis operam (§ 432), ne iam de liberatione e miseria summa scil. morte spirituali & aeterna, aliisque miseriis temporalibus, (§ 294) ut & de felicitate temporali ac aeterna consequenda, itemque angelorum, quod ex peccatorum conuersione in ius oritur, gaudio (§ 243) dicam) non tamen homo trahitur irresistibiliter. Nam quia DEVS hominem creauit libere (§ 121. Th. N.) libertatem etiam in resistentia tollere non potest. Hinc quum homo secundum motiua agat (§ 133 Psych), motiva uero ex repraesentatione uoluptatis sensualis, fortiori afficere mentem possunt modo, quam illa ex gratia desumta (per exper:); haec interdum homo mittit; illa sequitur, adeoque gratiae motiua non admittit. Qui uero motiua alicuius, aliis propositis motiuis, non admittit, *resistere* dicitur. Homo ergo gratiae DEI potest resistere; trahitur ergo quidem, attamen non irresistibiliter, Matth. XXIII,

XXIII, 17. 37. Joh. X, 25. Act. VII, 51. 57.

§ 474. DEVS in foedere gratiae stipulauit nouam gratiam (§ 457). Hinc alius oritur ordo salutis, a DEO constitus; adeoque alia, nostro concipiendi modo DEI uoluntas, aliaque media ad salutem, quam fuere in foedere operum. Quum uero uolúntas imperantis subditis, tanquam medium ad finem patefacta, sit lex (§ 8. Ph. Pr. Vn.); alia subditis hominibus in foedere gratiae patefacta est lex, quam in foedere operum. Qui ergo gratiae diuinae resistit (§ pr.); agit contra legem diuinam. Actio uero contra legem perpetrata, est peccatum (§. 375.). Ergo qui gratiae diuinae resistit; peccat. Qui peccat; damnatur iuste (§ 40. Diss. Pr.); ergo qui gratiae diuinae resistit; damnatur iuste.

§. 475. Per quod DEVS hominis incapacitatem & repugnantiam naturalem tollit, est gratia praeueniens (§ 466. 469); Atqui DEVS per universi huius considerationem, itemque per eius administrationem, pluuias scilicet & tempora frugifera non solum, sed & annonae difficultatem, bella item atque pestilentiam, turbones, mortem aliorum subitaneam, famam porro generalem, de cœtu quodam in quo DEVS coli dicitur &c. hominis interdum incapacitatem & repugnantiam tollit, ita ut de salute solliciti esse incipiant (per exper.) Rom. I, 20. II,

14. 15. Act. XVII, 27. 1 Reg. X, 1. seqq. 2 Reg. V, 2. 3. Rom. I, 8. 1 Thes. I, 8. Ergo gratia tales fruuntur praeuenienti. Quodsi uero *inuitamenta* potius, haec, ad gratiam diuinam recipiendam dicere uelis, quam ipsam gratiam, mihi quidem perinde erit, dum res ad Logomachiam redit. Quia uero DEVS omnibus hisce rebus utitur, ad gratiam quaerendam eamque accipiendam; pertinent tamen ad ordinem a DEO constitutum: recteque gratia talis, quia per res in mundo existentes, (quorsum etiam facta naturalia referri debent) homo eam consequitur, dici poterit *naturalis*. Qui ergo gratiae naturali resistunt; peccant, adeoque damnantur iuste (§ 474.).

§. 476. Quod si haec (§. pr.) de gratia naturali consideraris; uidebis modo faciliori, quare actu omnibus atque singulis gratia annunciata non fuerit supernaturalis; praecipue si cogitemus, omnes, qui gratiae diuinae resistunt, agere simul contra leges naturales, quae ulteriorem semper perfectionem sibi acquirendam, praecipiunt (§. 43. J. N.). Nam quia sapiens nihil facit frustra (§ 102. Pn. oc.); naturalem gratiam accipere nolentibus, non tenetur DEVS supernaturalem concedere.

§. 477. Plura quidem de Foedere gratiae, praesertim de diuersa oeconomia dicere possem;

sem; uerum haec omnia melius distinctiusque intelligentur, si prius personam Expiatoris distincte cognouerimus. Hinc statim aget sequens

Cap. IX.

DE CHRISTO EXPIATORE GENERIS HVMANI.

§. 478.

Filium DEI, quem etiam Christum Sc. S. nominat, describit ea talem, qui passione & morte sua, satisfactionem Patri praestitit (§. 438.). Hinc uidendum, num is fortasse generis humani redemtor nominandus.

§. 479. Christus est DEVS (§. 100. seqq.). Est autem *homo* quoque. Nam 1) qui *mente* h. e. intellectu & uoluntate, & corpore organico constat, est *homo* (per def.). Atqui Christus intellectu Luc. II. ult. Joh. XIII. 3. & uoluntate Joh. V. 21. Matth. XXVI. 39. adeoque mente seu anima praeditus fuit Joh. X.

X. 15. Matth. XXVI. 38. nec non corpore Ebr. X. 5. Matth. XXVI. 12-28. (Hinc ossium Luc. XXIV. 39. Joh. XIX. 33. 36. carnis Luc. XXIV. 39. Joh. VI. 51. Sanguinis Matth. XXVI. 28. capitis Matth. XXVII. 29. oculorum Joh. VI. 5. linguae & palati Ps. XXII. 16. manuum, pedum Matth. XXVII. 29. 30. fit mentio. Ergo Christus est uerus homo (§. 34. ont.)

§. 480. Quum attributa ex essentia fluant (54. Log.); sequitur; ubi attributa hominis; ibi homo. Quum itaque Christo attributa hominis competant Matth. XXVI. 19. Marc. XIII. 32. 39. Luc. X. 21. XIX. 41. Joh. XI. 33. 38. Joh. V. 21. XIII. 3. necesse est, ut sit homo.

§. 481. Quem scriptura hominem appellat, est homo (§. 13. Sc. S.). Atqui scriptura Christum, hominem adpellat 1 Tim. II. 5. Joh. VIII. 40. Luc. XXIII. 47. Ergo est homo. Hinc etiam dicitur *Filius hominis* Matth. VIII. 20. *Semen mulieris* Gen. III. 15. *Filius Abrahae* Matth. I. *Dauidis*, Matth. XXII. 42. Quo etiam *Genealogia* Christi pertinet Matth. I. Luc. I. III. Rom. IX. 5.

§. 482. Si ergo Christus est homo (§. 479-481.); non male, undenam & quomodo naturam humanam acceperit, quaeritur? Hoc uero discimus ex Luc. I. 34. 35. Hinc sequentes inde fluunt propositiones. 1) Ad humanam

nam Christi naturam producendam, Spiritus S. super Mariam uenit. Quia uero Spiritus Sanctus est DEVS (§. 111.); cui semen humanum attribui nequit, non eam superuenit σπερματικως seu semen communicando. Fluit 2) Maria ut *uirgo* Christum peperit. Quum uero naturalis generatio non fiat, nisi mediante semine uirili (§. 332. Phys.); *uirgo*, quae uirum nondum passa, parere nequit. Ergo Christi humanae naturae productio non facta est naturaliter, seu secundum ordinarium cursum naturae (§. 80. Cosm.) Ergo per miraculum (§. 70. Cosm.).

§. 483. Quum uero miracula, sint opera ad extra tribus personis communia (§. 140.); humana Christi natura non tantum producta fuit a DEO Patre Ebr. X. 5. Psalm XXII. 10. sed & a filio Ebr. II. 16. Luc. I. 34. 35. & Spiritu S. Luc. I. 34. Quodsi ergo Spiritui Sancto tantum adscribi uidetur; id fit per appropriationem (§. 141.). Nam quia Spiritui Sancto tribuitur sanctificatio; haec uero Christum, fidemque & regenerationem supponit (quod infra clarius patebit); non male opus hoc, tertiae diuinitatis personae adscribitur. Quod eo melius intelligi poterit, si cogitemus, foecunditatem seu ut cum *Tertulliano* loquar, fructificationem omnem tam naturalem Gen. I. 2. quam spiritualem Joh. III. 5. 6. Script. S. adscribere spiritui S. Quidni ergo

ergo principium fructificationis fundamentale, quod Christi humanae naturae productio, eidem adscriberet?

§. 484. Quodsi ergo Spiritui Sancto humanae Christi naturae productio adscribitur; per επελευσεται Luc. I. 34. 35. in *genere* nil aliud intelligi potest, quam humanae Christi naturae productio. Nunc uero de modo huius aliquid est dicendum.

§. 485. Omnis scilicet naturae humanae in primis *corporis*, productio fit uel ex praeexistente materia; uel nulla tali, ita ut DEVS per miraculum, talem formare, necesse habeat. Si producta fuit humana Christi natura, & corpus inprimis, modo posteriori; ab usitato homines corporaque hominum ad existentiam ducendi, modo & harmonia, prorsus recesit. Verum quia DEVS est sapiens, harmoniamque obseruat in operibus (§. 53. 59.) harmoniam obseruare debet non solum respectu totius uniuersi, sed & in relatione partium, & quoad speciales actiones. Quod uero talis actu etiam in mundo conspiciatur, exemplorum, quae in mundo sunt & fiunt, abundantia probat. Ergo quae ad eandem speciem pertinent; eodem modo; nisi aliae impediant circumstantiae, iisdemque existunt circumstantiis e. g. Planetae, stellae fixae, omnes. Ita Plantae ad eandem speciem pertinentes eodem modo oriuntur,

untur, uiuunt & moriuntur. Ergo dum Christus ad speciem hominum pertinet (§. 479-481.); DEVS in productione humanae Christi naturae, ab usitato alias producendi modo, positis tamen, quae §. 482. docuimus, prorsus recedere adeoque humanam Christi naturam ex nihilo producere haud potuit.

§. 486. Quod §. pr. adnotauimus, sequenti etiam modo facile probare possumus. Quum enim DEVS mundi nexum sapientissime constituit (§. 149. Th. N.); eundemque prouidentia sapientissime dirigit, (§. eod. Th. N.) sequitur: Quo longiori modo DEVS a sapientissimo suo ordine recedit; eo maiori, recedit a sapientia. Quod cum sit absurdum, ob sapientiam (§. 53.); DEVS etiam in miraculis, quantum ob sapientiam licet, ordinarium naturae cursum seruat. Quum uero in productione humanae Christi naturae ex nihilo, ordinarium naturae cursum, ceteris paribus, non seruasset (§. 482.); haec explicatio locum habere non potest.

§. 487. Nec immediata haec (§. pr.) creatio cum Sc. S. dictis consistere potest; quia Rom. IX. 5. docet: Christum fuisse ex patribus secundum carnem. *Esse* uero *ex Patribus*, dicitur, si quis substantiam suam in iis contentam inde capit; id quod non solum ex communi loquendi modo uerum etiam ex formatione

tione notionum per sensationem (§. 12. Log.) & abstractionem (§. 43. Log.) patet. Planta enim una est ex altera; homo unus ex altero; sic etiam animalia reliqua. Omnia uero haec in eo conueniunt, quod substantia noui producti, contenta fuerit ante productionem in altera. Quemadmodum enim surculus insititius proprie non ex hac arbore esse dicitur; ita nec Christus, si creatio immediata statuitur, ex patribus esse dici potest. Ergo haec denominatio, *improprie* talis dicenda esset. Quamquam ergo Christus ex Maria natus, nutritus & conceptus est; tamen non est *proprie*, EX Patribus. A sensu uero litterae non temere, nisi urget necessitas, est recedendum (per princ. Herm.). Sed qualis hic est necessitas? Dubia infra statim soluuntur.

§. 488. Quod iam §. pr. declarauimus, ualet etiam de aliis in sc. S. respectu humanae Christi naturae, locutionibus. Dicitur enim semen Mulieris Gen. III. Abrahami Ebr. II. 16. Dauidis Rom. I. 3. conf. Jes. XI. 1. Si quis uero est *semen alterius*; necesse est, ut particula aliqua sit ex substantia alterius. Quum uero humana Christi natura immediate creata, non sit particula ex substantia Abrahami & Dauidis; non recte Christus dici potest semen Adrahami aut Dauidis. Nec enim filius per adoptionem aut priuignus ex nostro semine esse, dicitur.

§. 489.

§. 489. Repugnat etiam haec (§. 485. seqq.) humanae Christi naturae immediata creatio, Apostoli uerbis Ebr. II, 11. 14. εξ ενος παντες; item comm. 17. κατα παντα. Quod si enim Christus secundum humanam naturam immediate est creatus; non omnes sumus ex uno; neque similes est nobis κατα παντα. De peccatis enim nulla nobis est contentio.

§. 490. Quodsi denique promissiones, Patribus, de Messia, *ex illorum semine* oriundo factas, considéremus; Gen. III. 15. XXII. 18. XII. 3. XL. 10. XXVIII. 14. itemque quod Paullus tantopere urget: Christum esse *fratrem* nostrum Ebr. II. 11. creatio haec immediata cadit! Promissionibus enim illis fidem habuerunt sancti illi uiri, magnumque, inde coeperunt solatium, quod ex eorum uenturus sit semine, qui a miseriis omnibus, peccatis etiam eos liberaret. Praesertim, quod fratrum denominationem attinet, ratio huius continetur, in uocibus εξ ενος παντες Ebr. II. 11. Quod, si immediatam assumamus creationē, fundítus tollitur atque euertitur. Nullum enim conclusionis ab Apostolo ductae inde manet uestigium. Quemadmodum igitur insitiua non ex eo prouenisse semine, ex quo Planta originem traxit, dicuntur; neque frater noster *proprie talis*, dici potest, nisi ex communi nobiscum sanguine genitus; ita hoc in casu nec Christus.

§. 491. Sunt quidem, qui sententiae de immediata

mediata humanae Christi naturae productione, uim & robur conciliare putant ex Jer. XXXI. 22. *nouamque* inde urgent *creationem*, quia uocabulo ברא, quod alias ex nihilo producere, h. e. creare significat, est usus Propheta. Verum, ut non de eo dicam, quod in diuersa hic abeant, doctorum iudicia, (adeoque locus maxime in controuersiam adductus, quem principii indubitati loco substernere haud possumus) id tantum obseruo, quod uocabulum ברא non semper creationem ex nihilo factam denotet, sed saepe miraculosam exprimat productionem, materiae praeexistentis respectu, susceptam. Ex. XXXIV. 10. Num. XVI. 30. Ergo si etiam de Christo agere concedimus; non tamen inde euincitur; ut potius uocabula חדשה, itemque נקבה contrarium declarent. Nouum enim hic non dicitur respectu *obiecti*, quasi nouum, anteaque plane non existens obiectum sit producendum; sed potius ratione *nostrae cognitionis*; adeoque *nouum quid*, quod *nunquam antea factum uel auditum*. Hoc enim plane nouum, quale nunquam antea factum uel auditum, quod נקבה foemina (quae non est *uxor* sed uirgo, etsi utramque designet, hinc non sine ratione hoc DEVS elegit uocabulum, quia Maria *desponsata*, attamen etiam ut *uirgo* peperit Christum) in lucem produxerit גבר uirum, qui est uictor & praepollens

pollens uiribus sine debilitate; adeoque uirum per excellentiam ita dictum. Quo ipso admirabilis plane, & ab omnibus aliis hominibus distinctus indigitatur; ita ut haec procreatio non solum ratione matris, sed & ratione ipsius producendi noua & inaudita recte nominari queat. Nam ordinarie non nisi similes generantur, concipiuntur, excluduntur. Recte hinc B. *Michaelis* in bibl. Ebr. Hal. ad h. l. *Paradoxum est uirum circumdari utero, in primis uirginali. Ab hoc paradoxo Phrasis desumta est, & adplicata ad maius paradoxum, quod filius DEI ipse, excellentior & maior non tantum uno uiro sed uniuerso mundo, utero uirginali continetur.* Absit ergo ut locus nouam ex nihilo factam *creationem*: quin potius contrarium probet. Nam quia admirationem, attentionemque in Judaeis excitare uoluit sapientissimum Numen; maior sine dubio fuit, si considerandum Israelitis proposuit, *ex* & *ab* uirgine prouenturum esse Messiam, quam si tantum nouiter creatum cogitarent. Ita enim finis DEI augetur, dum plures in opposita reperiuntur sententia, cogitationes & notiones euoluendae; quam in supposita creatione. Vbi uero maior notionum nexus euolui debet; ibi maior requiritur attentio, & admiratio.

§. 492. Verum dicis: res ipsa, omniumque consideratio circumstantiarum, nouam

proprieque sic dictam creationem, biblicique loci expositionem poscere talem; alias non concipienda est, productio humanitatis Christi sine peccato; & miracula miraculis augentur, quod (§. 486.) repugnat. Respondemus ad primum statim §. §. sequentibus, ex quibus simul alterum dubium remouebimus.

§. 493. Ponamus itaque productionem humanitatis Christi fuisse ex praeexistente materia (§. 485.); tunc est 1) uel ex *massa sanguinis Mariae:* uel 2) eius *ouulo*; uel 3) *animalculo aliquo spermatico:* quae hodie receptae sunt sententiae. Si ex animalculo tali, procreatio Christi, (loquimur de natura humana, sic & in posterum) sit concipienda; necesse fuit, (nostro concipiendi modo) ut animalculum ex nihilo produceret DEVS, quod rursus *uel solum*, humanam salutificatoris naturam, constituisset; *uel* illud coniunctum fuisset cum ouulo materno. E. Si illud; prorsus iterum a communi humanum corpus producendi modo, recesit DEVS (§. 338. Phys.) quod absurdum (§. 486.); Si hoc; 1) producenda fuisset anima Christi, 2) animalculum, corpus Christi constituens 3) unitio harum substantiarum 4) unitio cum ouulo, & quia Christus esse debuit sine peccatis, ut infra demonstrabimus, 5) praeseruatio a peccato originali, (quod participatiue etiam

etiam corpus afficit, adeoque ob commercium mentis & corporis mentem quoque) etiam fuisset necessaria; quia alias Christi cum Mariae corpore minime cohaesisset, quod tamen ob (§§. 485-491.) necessarium. Quoniam uero *conceptio Christi per animalculum*, non solum §§. iamiam citatis repugnat; sed & plurima requirit miracula; ob §. 486. praesertim, falsa omnino est dicenda.

§. 494. Porro quia hodie Medici inuictis probant argumentis, semen feminarum esse nullum; neque ex massa sanguinis aliqua informi, oriri posse corpus, *tam sapienter elaboratum*, (quicquid alii de anima, corpus suum exstruente, obganniunt, quod Ptychologiae ignorantiam innuit), adeoque uel impossibile; uel DEI immediatam postulare formationem; ideo hunc, ex massa aliqua sanguinea aut semine Mariae factum, producendi corpus Christi, modum assumere sine contradictione haud possumus. Accedit, quod ita a recepto animalia ex ouo producendi modo rursus recedere debuisset DEVS, plurimaque hic necessaria essent miracula quae omnia cum §. 486. consistere minime possunt.

§. 495. Restat ergo conceptio Christi ex Ouulo (§. 493.) quam Medici recentiores haud pauci declarant (§. 337. Phys.); Nihil ergo requiritur amplius, quam ut Spiritus

praesertim S. ouulum, ad Corpus Christi determinatum, in locum conceptioni destinatum deferat, ut ibi iuste elaboretur. Cessant ergo per hanc doctrinam miracula non solum circa animalcula necessaria (§. 493.) sed & alia absurda. Ita enim non impugnatur sapientia diuina (§. 485. 486.); neque consensus Script. S. (§. 487-490.); neque falsam adhibere interpretationem cogimur (§. 491.).

§. 496. Cadit ergo dubium alterum (§. 492.) a miraculis desumtum; itemque alterum a productione humanae Christi naturae sine peccatis. Nam quia DEVS uia breuissima ad scopum tendit (§. 41. Th. N.); omniaque in mundo ita inter se connectit, ut unum semper oriatur ex altero (§. 10. Cosm.); nihilque hodie amplius creat (§. 198.); omnia omnium hominum ouula ita disponere debuit, ut posteriora prouenire queant ex prioribus. Ergo omnia ouula, ex quibus futuri homines oriuntur, iam in prima Matre, Eua scil. praesentia erant Gen. III. 20.; ita ut *systema aliquod euolutionis*, quemadmodum in origine plantarum, merito hic sit statuendum (§. 304. Phys.). Nihil hic est contra rationem; imaginationi tantum minus conuenit. Qui uero ex imaginatione dubium capit, perpendat, in quam minutissimas materia diuidi possit partes. Videatur

deatur etiam *VVolffii detectio uerae causae de admiranda frumenti multiplicatione, itemque de plantarum & arborum incrementis; nec non alterum hac in materia scriptum,* rubro: *Illustratio detectionis huius,* germanico idiomate euulgata; ubi ex unico auenae granulo, 6000. alia numerare potuit; sine dubio alia totidem plura fuissent producta, nisi caloris anni huius tempestas aliaque obstitissent. conf. etiam *Physic,* WOLFII seu **vernünfftige Gedancken von den Würckungen der Natur.** §. 3. ubi subtilitatem materiae enarrat. Quodsi STVRMII *Phys. Hyp.* T. I. p. 15. addis; facilior erit imaginandi modus, de omnibus omnium hominum ouulis in FVA reperiundis. Nam granum Mastychis ex calculo P. LANAE implet conclaue 20. pedes longum & latum, ac 15. pedes altum 750. billionibus particularum, quarum quaelibet odoratu sentiri potest. Effluuia odorifera Rorismarini tanta copia in Gallorum prouincia euolant, ut 20. milliarium distantia praeternauigantes eadem sentiant. P. LANA microscopio suo uermiculum obseruauit, cui similium 27. milliones requirerentur ad unius fili serici crassitiem oculo inermi exhibendam. Ne de animalculorum spermaticorum sententia dicam, qua unam seminis guttam 100000. animalcula continere, defensores asserunt.

§. 497. Quia itaque ouula omnium hominum

num in EVA fuerunt (§. 496.); erant minutisſima. Quum uero ſanguinis particulae ſint nimis craſſiores, quam ut per illa circulare eaque permeare poſſent; ſanguinis prius per ouula circulationem non fieri, quam haec in utero conſpiciantur materno, liquet. Accedit, quod alias creſcere in ouario ouula poſſent; adeoque ſuperfluum ſemen.

§. 498. Ergo & Chriſtus quidem quoad humanam naturam, & praecipue corpus in ouulis fuit EVAE (§. 496.); neque tamen ſanguinis circulationem eſt paſſus ante, quam placenta uterina utero MARIAE adhaeſit (§. 497.); quae explicatio, ob (§. 493. ſeqq.) praeferenda eſt illi, qua cum matre non cohaeſiſſet liquoreque tantum amnii innataſſet, ſicque nutritus (§. 338. Phyſ.).

§. 499. Quia itaque propter P. O. corrupta fuit ſanguinis circulatio (§. 293.); Chriſtus eſt ſine peccatis, quia per Chriſti ouulum ante conceptionem nulla facta fuit circulatio (§. 498.); hinc nulla ouuli purificatio, utpote quod nondum fuit corruptum, neceſſaria eſſe *uidetur*. Quodſi uero per purificationem intelligis *ſanctificationem* aliquam ſeu ſeparationem ad certum finem; tunc concedo omnino (§. 495.). Accedit quod ſeparatio illa ouuli a Sp. S. facta, ſit opus Ipſius immediatum, quo ipſo nil niſi ſanctum

ctum prodire potuit. Aliam adhuc infra ex fine huius personae rationem dabimus.

§. 500. Verum dicis: MARIA P. O. fuit conaminata (§. 354.), cuius utero tamen CHRISTVS cohaesit (§. 498.); ob circulationem sanguinis ergo (§. 338. Phys.), sanguis Christi etiam fuit corruptus; adeoque peccati capax factus. Respondemus: peccati sedes mens nostra est praecipue; adeoque circulatio sanguinis MARIAE, mentem Christi corrumpere fere haud potuisset. Si uero ad commercium mentis & corporis prouocas (§. 218. Psych.); *praeseruatio* aliqua est statuenda, qua DEVS non permisit, ut sanguinis circulatio Christo cederet damno. Impuritatibus enim in matre relictis, sanguinis tantum massa pura circulum in corpore Infantis, nutritionemque per percolationem quasi absoluit. (§. 250. Phys.).

§. 501. Quia uero modo productus fuit supernaturali (§. 482.); ADAMUS non fuit Christi caput repraesentatiuum, seu foederale, quia pro posteris, naturaliter benedictione diuina genitis, Gen. I. 28. tantum spopondit (§. 309.). Ergo neque in foedere operum, neque gratiae, quia pro foederatis sponsionem in se suscepit, adeoque ab iis diuersus fuit Christus inclusus (§. 309. 433.). Quia itaque ad eos tantum P. O. propagatur (§. 354.); a P. O. liber est omnino optimus

mus salutificator. Et quia ex P. O. peccata oriuntur non connata (§. 375.); liber etiam est a Peccatis hisce. Jes. LIII. 9. Joh. VIII. 46. 2 Cor. V. 21. 1. Pet. I. 19. 1 Joh. III. 5. Ebr. IV. 15. VII. 26.

§. 502. Ob §. pr. ergo liberamur statuere sententiam, de immediata etiam animae Christi in ipso productionis momento productione & ex nihilo creatione, quam ex rationibus (§. 495.) admittere quoque non possumus.

§. 503. Et quoniam sententia originis animae per traducem, impossibilis (§. 366.); neque hic respectu animae Christi locum inuenire potest, ac si ex anima Mariae, originem habuisset. Siue enim productionem animae Marianae adscriberes, quod absurdum, quia DEO soli competit miraculorum patratio (§. 71. Cosm.); siue ex anima matris prouenire secundum communem opinionem diceres; semper contradictoria ob simplicitatem manebit. Accedit in casu nostro P. O. labes in anima MARIAE. Hinc purgatio DEI miraculosa contra (§. 486.) esset statuenda.

§. 504. Aliorum quidem de origine animarum sententiam hic adducere, & secundum illorum dicta, originem animae Christi diiudicare possem. Verum quia nostris doctrinis in hoc compendio, nullam affundunt lucem, & praeterea uberiori rem

hanc

hanc declarauimus modo, in noſtro de *Metamorphoſi animarum* ſermone, quo vir nobiliſſimus atque Doctiſſimus JOHANNES GEORGIUS SCHROENERUS, Scholae Senat. Sedin. Baccalaureus, iam Sub-Rector, introducebatur, & publice ſiſtebatur multis nominibus commendatiſſimus, ibi L. remittimur.

§. 505. Quoniam itaque nulla praeter praexiſtentiam, probabilior uidetur ſententia (uid. ſermo §. pr. cit.) Chriſti animam in initio rerum, una cum animabus aliis creauit omnipotens numen, ouuloque ad Chriſti corpus deſtinato, iunxit, ut determinato tempore, humana Chriſti natura prodire potuerit (§. 496-500.) Gal. IV, 4.

§. 506. Quia uero hoc §. pr. modo a DEO immediate creata fuit anima Chriſti, a DEO uero nil niſi optimum & ſanctum prouenire poteſt (§. 61.); anima Chriſti peccatis, neque Orig. neque non connatis laborare poteſt, uid. etiam (§. 501.).

§. 507. Rationes ergo praeexiſtentiae, cum plurimas ſufficientiſſimasque allegauimus (§. 493-506); relationemque ad corpus ſuum (quia cum ouulo ab initio ſtatim DEUS coniunxit, adeoque ſepartim interdum extitiſſe non ſtatuimus habet omnino. Cadunt ergo dubia eorum, qui nobis haec opponunt.

§. 508. Quod uero anima Chriſti, ut omnis anima, relationem habere debeat ad corpus

corpus; ex definitione discimus. Quodsi enim nostras quas habemus animas, consideramus; uidebimus: tales habere repraesentationes statui corporis sui conuenientes. Hoc non solum in morbis, sed & sanitatis statu obseruamus. Quod etiam fit ante exclusionem corporis, & post mortem. Quemadmodum enim ante partum corpus ab obiectis externis affici potest minime; ita post mortem, statuum praeteritorum, in quibus corpore uestita fuit, est conscia, si quidem status ipsius post mortem praesens & futurus, rationem habent in antecedentibus (§. 144. Th. N.). Semper ergo relationem aliquam ad corpus suum habet. Ut ergo *anima* sit substantia sibi ita conscia, ut repraesentationes, corporis statibus sint conformes. Quum itaque in Christo sit substantia sibi conscia ita, ut repraesentationes statibus corporis sint conformes, (quod ex uariis, cum uariis hominibus, deque rebus uariis, institutis colloqüs patet); in Christo est uera hominis anima.

§. 509. Quia uero Christi animae repraesentationes statibus corporis fuerunt conformes (§. pr.); Christus uero ut DEUS (§. 100. seq.) *omnia* sibi repraesentat distinctissime (§. 42.); diuina Christi natura non est anima Christi; adeoque duplici repraesentandi modo Christus gaudet.

§. 510. Loquimur autem a §. 502. usque

que ad haec & sequentia uerba, de anima Christi in se spectata, non quatenus cum diuina est unita. Qua propter secundum principia Psychologiae, cursus nostri Philosophici, animam Christi considerabimus.

§. 511. Prima mentis nostrae facultas, est facultas sentiendi. Quia itaque Christus rerum praesentium sibi fuit conscius (exemplum praebet, tota Passionis suae historia); ideo non solum *sensationes*, sed & *sensus externi* ipsi sunt adscribendi; ut & interni, Matth. XXVI. 7. seqq. 39. Joh. II, 1. seqq. (§. 5.8. Psych.). Attamen Christus homo est substantia finita (§. 116. Th.N.) adeoque alio non potest modo res praesertim externas, quam nos sentire; hinc eadem ipsi est nobiscum *sensationum regula*, iidemque gradus (§. 9. 10. Ps.). Matth. VIII, 26.

§. 512. Non solum ex colloquii, quae sine imaginatione institui haud possunt, ubi reproducendae sunt sensationes antea perceptae; sed & Matth. XIX, 4. 18. Christo imaginationem fuisse claret (§. 11. Ps.); ex ratione porro §. pr. patet, eandem imaginationis regulam Christo adscribendam esse (§. 17. Ps.). Et quia facultas imaginationem reproducendi *Phantasia* audiat; Christo competit Phantasia. Matth. XXIII. 37.

§. 513. *Phantasma* est idea per imaginationem producta. Facultas uero producendi

di Phantaſma rei ſenſu nunquam perceptae, eſt *facultas fingendi*. Quum itaque Chriſtus in Parabolis quam plurimis e. g. Matth. XXII, 1. ſeqq. XXV, 1. ſeqq. &c. ita cogitaret; Chriſto non eſt deneganda fingendi facultas.

§. 514. Ob Matth. XIX, 4. 8. XXIII, 37. Joh. I, 48. Chriſtus pollet memoria (§. 21. Pſ.)

§. 514. Quoniam Chriſtus eſt ſubſtantia finita (§. 511.) non repugnat ipſi poſſibilis oblivio quidem (§. 23. Pſ.) & reminiſcentia (§. 26. Pſ.); attamen cum SC. S. nullum habeat locum, ex quo facultates illae concludi poſſent, de earum actualitate iudicare non poſſumus. Potius ob excellentiſſimam eius naturam contrarium nobis uidetur probabilius.

§. 515. Quum omnes hae animae facultates pertineant ad facultatem cognoſcitiuam, & quidem ejus partem inferiorem (§. 34. Pſ.); quin Chriſti anima facultate cognoſcitiua, eiusque parte inferiore inſtructa fuerit, dubitari nequit.

§. 516. Ob Matth. XIX. tot. V. VI. VI. Joh. III. tot. Chriſti anima tam attentione (§. 35. Pſ.) quam reflexione §. 43. Pſ. eſt gauiſa.

§. 517. Etſi uero ſummam Ipſi Sc. S. adſcribat attentionem; nullus tamen locus eſt.

est, quo ecstasin Ei tribuat. Hinc talem ipsi adscribere non audemus.

§. 518. Acumen uero eius animae tribuere, quid impedit? Matth. XXII, 17. seqq. 23. seqq. (§. 45. Pf.)

§. 519. Ita ob Parabolas permultas (§. 513.) maximo fuisse ingenio, fateri cogimur (§. 47. Pf.).

§. 520. Et quia acumine atque ingenio ad claras uniuersales distinctasque peruenimus ideas (§. 48. Pf.); distinctis ergo anima Christi fuit praedita (§. 518. 519.). Ergo etiam gaudet intellectu (§. 49. Pf.). Matth. XV, 10. Luc. II, 46. 47.

§. 521. Ob §. itaque pr. competit Christo etiam analysis idearum (§. 51.); itemque profunditas. Matth. XXII, 17. seqq. 23. seqq. Quamuis enim *expressis uerbis*, analysin idearum instituisse non legamus; attamen quia ui dicti huius, tantum suscepit ratiocinium, quod non ex alia quam profunda cognitione prouenire potuit, hosce omnino gradus ut ei tribuamus, est necesse.

§. 522. Christus gaudet intellectu (§. 520.); sensibus porro, atque sensationibus, & imaginatione (§. 511. seqq.) uno uerbo facultatis cognoscitiuae parte inferiori (§. 515.) Quoniam uero hac ex ratione confusae adhuc sunt ideae; intellectus Christi prorsus purus non est (§. 53. Pf.)

§. 523.

§. 523. Ex collatione porro §. §. 518. 519. 520. cum §. 55. Psych Christi animae competit etiam facultas abstrahendi.

§. 524. Ex colloquiis Christi, eum per uerba, ueritates sibi repraesentasse patet. Hinc ipsi tribuenda est cognitio symbolica (§. 57. Ps.). Et quia per sensationem, imaginationem & intellectum oritur cognitio intuitiua (§. 58. Ps.); Christo etiam competit cognitio intuitiua (§. 511. 512. 520.).

§. 525. Quod uero animae Christi ratiocinandi competat facultas, asserere cogimur ex disputationibus cum Judæis saepissime habitis e. g. Matth. XXII. 17. 37. 41. Joh. XVIII. 23.

§. 526. Ex §. pr. ratio animae Christi competens, prono etiam fluit alueo (§. 77. Ps.) Luc. II. 47. &c. nec non ars inueniendi (§. 85. Ps.).

§. 527. Quum itaque attentio, reflexio, ingenium, intellectus & ratio ad partem cognoscitiuae facultatis superiorem referantur (§. 34. seqq. Ps.); quin anima Christi parte hac superiori sit instructa; dubitare non possumus. (§. 516-526.).

§. 528. Adscribitur Christo desiderium Luc. XXII. 15. misericordia Matth. IX. 36. XIV. 14. Amor, Joh. XI. 5. 36. indignatio Joh. XI. 33. 38. tristitia Matth. XXVI. 38. gaudium Luc. X. 21. Quum uero haec omnia

omnia inter affectus numeremus (§. 107-121. Pſ.); Chriſti animae adſcribuntur affectus.

§. 529. Quoniam uero affectus ſunt appetitus (§. 103. Pſ.); Chriſti anima non eſt ſine appetitu (§. pr.); & quidem, quia affectus ex ſenſatione & imaginatione oriuntur (§. 103. Pſ.); ubi confuſa adhuc eſt repraeſentatio (§. 522.); adpetitu gaudet ſenſitiuo (§. 101. Pſ.).

§. 530. Et quia affectus §. 528. recenſiti, in uoluptate aut taedio conſiſtunt (§. 107. ſeqq. Pſ.); uoluptatem & taedium atque hinc etiam auerſationem rationalem in Chriſti anima locum etiam habere, quiuis uidet.

§. 531. Porro quia Chriſtus intellectu & ratione gaudet (§. 520. 526.) ex quibus adpetitus & auerſatio rationalis ſeu uoluntas oritur & noluntas (§. 125. 126.); quin Chriſto & hae facultates competant, quis dubitat? Matth. XXIII. 38. Joh. XVII. 24.

§. 532. Si anima Chriſti contriſtata fuit Matth. XXVI. 38. gaudioque afficiebatur Luc. X. 21. gaudium triſtitiaque ſine dubio ex repraeſentatione boni aut mali originem traxit. Hinc eadem nobiscum eſt Chriſto regula adpetitus (§. 128. Pſ.).

§. 533. An uero Chriſti anima nihil egerit ſine motiuis non male quaeritur? Sunt enim, qui hancce de motiuis, theſin

Spinozismi fere insimulare uolunt. Verum si sapientissimos salutificatoris sermones consideremus, nullus fere erit in quo non sit usus motiuis. Vide inter quam plurimos Matth. X. tot. inprimis comm. 15. 16. 17. 20. 28. quo ipso crimen hocce cadit (§. 129. 130. Pf.)

§. 534. Ex Matth. XXVI. 39. discimus etiam uoluntatem eius antecedentem & consequentem (§. 135. Pf.).

§. 535. Ex eodem Matth. XXVI. 39. loco, spontaneitas (§. 140. Pf.) & libertas maxima elucet (§. 145. Pf.). Joh. X. 15.

§. 536 Quoniam denique ad uerborum expressiones in colloquiis, statim in mente Christi excitabantur repraesentationes rebus externis conformes Matth. XV. 21. seqq. recte commercium inter corpus & animam Christi statuitur (§. 150. seqq. & §. 218. Pf.).

§. 537. Christi animae non solum intellectus competit, sed & uoluntas (§. 520. 531.). Substantia uero intellectu & uoluntate praedita, dicitur spiritus (§. 97. Pneum. oc.); Christi ergo anima est spiritus.

§. 538. Verum quia spiritus est Ens simplex (§. 97. Pr. oc.); anima Christi inter entia simplicia referri debet necessario (§. pr.). Hinc omne ipsi competit, quod tribuitur entibus simplicibus. Ergo est sine figura, magnitudine, motu, partium situ, adeoque a composito, & hinc a corpore ipsius essentialiter,

liter differt (§. 51. Ont.). Matth. XXVI. 38 Hinc porro non solum immaterialis, sed & incorruptibilis, superstes post mortem corporis, & indestructibilis (§. 250-254.).

§. 539. Et quoniam Christus sacerdos est aeternus Ebr. V. 6. secundum diuinam autem naturam nomen hoc ipsi imponi nequit, (dum sacerdos oratione ad DEVM fusa, aliisque iam non explicandis, pro populi peccatis, suo haud raro fungitur munere); ideo sacerdotium ad humanam praecipue naturam pertinet. Oratio autem fieri nequit, sine cogitationibus (§. 32. I. N.); hinc, quia corpus cogitare nequit (§. 168. Psych.); anima Christi cum corpore semper sit coniuncta, est necesse. Hoc etiam ex idea Regis aeterni qualis Christus erit, concludi potest.

§. 540. Christi ergo anima perseuerat sine interruptione in statu perceptionum distinctarum (§. pr.). Qui uero in tali statu est spiritus, *uiuit* (per def.); Christi ergo anima in aeternum uiuit. Qui in aeternum uiuit, est immortalis (§. 254. Psych.); Christi ergo anima est immortalis, non solum ratione simplicis ipsius naturae & aeterni instinctus; sed & ob uoluntatem DEI (§. pr.).

§. 541. Quod a §. 508. §. 540. de anima Christi adnotauimus; omnia etiam fere deprehendimus in mente nostra; id quod Psychologiae §§. adducti satis commonstrant superque. Christi ergo anima, nostrae est si-

milis (§. 27. Ont.). Verum similitudinem hic non defendimus omnimodam. Quod enim facultatem attinet cognoscitiuam; omnis nostra, quam de rebus habemus notitia, quod experientia confirmat, fit modo semper successiuo; Christi uero, qua hominis etiam, cognitio, doctrina & responsio non promta solum, sed ita etiam comparata erat, ut homines credenda, mysteriis quoque Trinitatis, Baptismi & S. Coenae non exclusis, agendaque, sine praeuia aliorum institutione, doceret. Matth. XXII. 32. XXVII. 26. Joh. III. 5. VII. 15. Quum uero cognitio, quam sine praeuia industria quis habet, *habitualis* dicatur (per def.); Christi cognitio habitualis & distincta est dicenda.

§. 542. Et quoniam a Peccatis originali, & nonconnatis est immunis (§. 501.); *semper* gaudet notionibus & ideis distinctis (§. 9. seqq. Diss. Prol.); adeoque semper etiam in actionibus suis harmonia erit cum lege, quae sanctitas nominatur (§. 59.); uoluntas itaque Christi semper erit sancta, & hinc recta etiam (§. 209.) atque iusta (§. 68.).

§. 543. Quia itaque uoluntas Christi semper sancta est & recta (§. pr.); appetitus quo gaudet sensitiuus, nunquam contrarius esse potest rationali; adeoque pugna inter utrumque prout in nobis concedenda erit minime, (§. 124. Psych.).

§. 544.

§. 544. P. O. homines tentat ad peccata (§. 424.) quae *tentationes internae* uocantur; Christus ergo nullas habuit tentationes internas. Aſt *externas*, quae fiunt a rebus ab Ente tentato diſtinctis, pati potuit; Matth. IV. & XVI. 22. 25. Luc. IV. 42. 43. Marc. III. Verum quum non ſit in Chriſto pugna appetitum inter ſenſitiuum & rationalem (§. 543.); nunquam Chriſtus in tentationem aut ſeductionem conſentire potuit. Ebr. IV. 15.

§. 545. Et ſic Chriſtus obedientiam actiuam & paſſiuam in foedere gratiae expromiſſori neceſſariam (§. 44. Diſſ. Prol. & §. 438.); praeſtare potuit omnino (§. 544.).

§. 546. Quodſi ergo Chriſti animam, cum noſtra, qualem nunc habemus, conſiderare uolumus, ſimilitudinem quidem (§. 541.), aſt diſſimilitudinem etiam deprehendimus maximam (§. 541-545.). Attamen conuenientiam obſeruamus, ADAMVM inter a DEO immediate creatum, & CHRISTVM. Nam & ille cognitione fuit inſtructus concreata & habituali, iuſtitia pariter ac ſanctitate (§. 213.). Quia uero haec conſtituunt imaginem diuinam & quidem primariam (§. 213.); imagine DEI, Chriſtum & quidem primaria ornatum fuiſſe, conſtat. Quod uero & ſecundariam habuerit; §§. 219. ſeqq. abunde loquuntur.

§. 547. Dicis: concreata in Chriſto cognitio habitualis nondum eſt demonſtrata. De-

monstrabimus. Christi anima immediate a DEO est producta (§. 496.). Quod uero a DEO prouenit immediate, non potest non esse bonum atque sanctum (§. 61.); concreatam itaque cognitionem distinctam in Christo esse, patet.

§. 548. Etsi autem in Christo cognitionem statuamus habitualem (§. 546.); non tamen ob finitudinem (§. 521.), ei repugnat crescendi in cognitione possibilitas; quod etiam ex ignorantia, quae ipsi est adscribenda (§. 521.), claret. Is uero *in cognitione crescit*, qui cognitione instruitur, cuius iam non particeps est. Luc. II. 52.

§. 549. Per sanctitatem iustitiamque concreatam, obedientiam DEO cum actiuam tum passiuam praestare potuit Christus (§. 545.). Ergo haec respectu Christi, DEI & hominum, usum habent. Quum itaque usus rerum sit finis DEI (§. 37. Th. N.); finis DEI fuit, ut hisce dotibus Christum exornaret. At hisce dotibus anima Christi instructa, DEVM repraesentat (§. 546.); est ergo finis DEI, ut Christi anima, hisce dotibus, DEVM repraesentet. Quoniam uero signum ei existens simile, ad cuius imitationem est productum, seu si mauis, ens alteri simile, eo fine productum, ut alteri repraesentet, *imago* dicitur *proprie sic dicta*; Christi anima, imaginem DEI gerit proprie sic dictam.

§. 550.

§. 550. Cadit ergo dubium eorum, qui tam primi parentis, quam Christi animam, imaginem DEI proprie sic dictam gesſiſſe negant.

§. 551. Ita dicis: ſi per imaginem DEI, omnia DEO praeſtare potuit Chriſtus, non opus fuit unctione, nec communicatione idiomatum. Verum negamus & antecedens, & conſequentiam. Omnia autem infra clariori modo, poſitis principiis, diiudicabimus. Interim ſolide & funditus, pro more, dubium hocce tollit *Magnificus ac Summe Reu. Dominus Doctor* (ſuaue nomen!) JOHANNES WILHELMVS LOEPER, *SS. Theol. Prof. Scholarcha, Conſiſtorialis, & eccleſiarum Sundenſium Superintendens dexterrimus, uigilantiſſimus,* (quem DEVS T. O. M. in emolumentum & decus Sundenſ. immo totius eccleſiae purioris, in Neſtorios annos ſeruet) in diſſ. *de unctione Chriſti habituali*, pererudita. Tanta claritate, quae auctori propria, fateor, doctisſima haec diſſ. radiat, ut talpa coecior ſit, qui hanc, ab aliis uel ob difficultates intactam, uel multis obſcuritatum confuſionumque tegumentis inuolutam, de unctione Chriſti, materiam, diſtincte clareque non poſſit percipere. Certe primus eſt, qui locum hunc in ſolis menſam poſuit rite. Affectu haec eo propenſiori adſcribo, quo magis conuenit, ut Auctoribus, inuentionis ac ſolidae pertractationis

quam deportarunt, lauream tribuamus. Operae ergo pretium est (quia nostris hic doctrinis multum affundit lucis) ut pace Venerab. VIRI, *definitionem* unctionis Christi, ipsius uerbis exprimamus. Est actus, inquit, immediatus & in tempore factus DEI Trinunius, adpropriatiue DEI Patris, quo Filium DEI, secundum solam tamen humanam eius naturam, oleo Spiritus Sanctus inunxit, i. e. donis illius spiritualibus, finitis quidem in se, & humanae tantum naturae propriis, eximiis tamen, supereminentibus, & incomparabilibus, atque sic sine mensura, iteratis uicibus, instruxit, ut significaretur, publice, eum a reliquis hominibus distinctum, & ad triplex suum officium, sacerdotale, Regium, atque Propheticum rite obeundum, inauguratum esse. Explicat deinceps probatque, *Vir doctissimus*, omnia §§. seqq. ita ut consideret 1) Genus; 2) causam efficientem, siue unguentem, 3) subiectum, siue unctum, 4) unguentum, 5) formam, siue unctionem ipsam, 6) finem. Inprimis uero legi meretur §. XX, ubi unctionis, idiomatumque communicationis differentiam clarissime monstrat. Huius enim 1) causa efficiens, inquit, est sola Christi diuina natura in ὑποστασει considerata; illius uero est tota SS. Trinitas, adpropriatiue Pater. 2) Subiectum unionis est sola humana natura; unctionis uero, est tota persona θεανδρωπος.

3)

3) Vnio facta est a diuina Christi natura immediate; unctio uero mediate, per Sp. S. 4) Vnio officio Christi mediatorio pondus dedit; unctio fuit tantum actus praeparatorius. 5) Commun. Idiom. αὐλήματα diuin. nat. in humanam contulit, quorum nullus mortalium, alias particeps fieri potest; Vnctio uero talia attulit, quorum intuitu socios & consortes habere potuit Messias. 6) Commun. Idiom. uno & simplici actu facta est; unctio diuersis uicibus. 7) Donorum per unionem usum Christus in statu Exin. deposuit; illorum per unctionem semper retinuit.

§. 552. A perfectionibus humanae Christi naturae accedimus, ad imperfectiones, seu potius infirmitates, quae necessario nexu ex essentia naturae humanae sequuntur; adeoque sunt essentialia humanitatis consecutiua seu propria, quae hinc abesse non possunt (§. 54. Log.) Nam quia humana Christi natura, est creatura finita (omnia enim quae a DEO producuntur, seu quorum existentia a DEO dependet, sunt creaturae (§. 116. Th.), DEVS uero miracula sine necessitate miraculis non auget (§. 485. seqq. & 122. Th. N.); in corpore eius omnia etiam fiunt successiue. Ergo uires corporis etiam sese inuicem sequuntur, adeoque secedentibus aliis, corpus, sufficientibus non amplius est instructum, quibus aliquid efficere

cere poteſt; quod cum *infirmitates* nominemus; Chriſti corpus infirmitatibus omnino fuit obnoxium; quae quia ex hominis natura ſequuntur, recte *naturales* dici poſſunt; hinc explendae famis ac ſitis ergo edit ac bibit, (quia liquor gaſtricus ex tunicae villoſae ſeu nerueae famis organi glandulis expreſſus, haec excitat §. 309. Phyſ.), laſſus dormiuit, moleſtias laborum atque itinerum triſtitiamque aliosque dolores pertulit, una cum conſequentibus, lacrymis ſcilicet &c. Matth. IV, 2. Marc. XI, 12. Joh. IV, 7. Matth. VIII, 24. Luc. VIII, 23. Ebr. II, 14. ſeqq. IV, 15. Eſ. LIII, 4. Quoniam uero natura humana eſt a DEO (§. 13. ſeqq.), infirmitates hae naturales peccata aut uitia eſſe non poſſunt (§. 59.).

§. 553. Quia uero Chriſtus eſt ſine peccatis (§. 501.); peccatorum poenas, morbos ſcil. aut mortem perferre non debuiſſet Chriſtus. Nam morbi & mors ſunt mala Phyſica, quae ex moralibus reſultant. Haec non in omnibus peccatoribus ſunt eadem; alius enim laborat phthiſi, aut arthritide, aliisque morbis, etiamſi regulas obſervet diaeteticas; alius ob ingurgitationem nimiam aliosque exceſſus; alius denique ex peculiari nemeſi diuina, ut morbi familiae IOABI 2. Sam. III, 29. mala haec phyſica, patitur; quae quia certis tantum adhaerent perſonis, recte dicuntur *infirmitates perſonales*. Chriſtus ergo hiſce laborauit minime. §.

§. 554. Verum dicis: nulla adest hic cum Jesaiae LIII, 4. conuenientia, neque nostras in se suscepit infirmitates. Verum distinctio inter naturales, & personales (§. 552. 553.) totum euertit dubium. Nam quia Christus non ab omnibus omnino malis, physicis etiam (e. g. coecitate, deformitate, morbis morteque temporali &c.) nos liberare debuit, quod ex fine satisfactionis infra clarius patebit, sed tantum, ab horum *damno*; ideo nec physica haec in se suscipere mala, necessarium fuit (de passionis tempore hic non loquor, quo concedimus immo & demonstrabimus solide). Quam facile enim hostes Christi, ansam inde arripere, & ex his tanquam peccatorum effectibus, atque consequentiis necessariis, ad ipsa peccata actualia concludere potuissent malitiose? Non iam dicam, quod hoc modo ipse sibi in officio fuisset impedimento. Quis enim nescit, tantam esse generis humani corruptionem, tantaque eorum praeiudicia, ut optimis saluberrimisque resistant doctrinis, si a monstroso (quale positis his, corpus Christi omnino esset repraesentandum) aut morbido, qui status, doctorem ualidissime impedit, proponuntur. Nonne hoc modo fini contraria, omnis haec fuisset subiectio? ubinam his circumstantiis fuisset sapientia diuina? Has enim assumi, nec generi humano expediebat & dignitati naturae derogasset. Consentit nobis-

nobiscum Sc. S. ex qua nullus, qui malorum physicorum assumtionem probet, locus adduci poterit.

§. 555. Quia itaque nulla in se suscepit mala physica (§. 554.), nullus in ipsius corpore conspicuus fuit defectus, nullaque deformitas. Ergo optima & concinna in omnibus membris instructus est harmonia & partium consensu. Verum nec partium relatiue *inter se* consensus, semper placet & noluptatem excitat, nisi partes *in se* uenustate aliqua splendeant, adeoque & singulae nullis defectibus laborent. Ergo cum haec omnia in Christi corpore assumere cogamur (§. pr.); Christi corpus erat perfectissimum. Perfectum uero quatenus uoluptatem in nobis excitat, dicitur *pulchrum*; Christi corpus erat pulchrum, immo pulcherrimum, Psalm. XLV, 3. & hoc non solum ratione mentis & corporis, prouti etiam hoc in ADAMO perspeximus (§. 227.). Quare autem non omnibus pulchrum aliquid uidetur, est ex errore & uitio repraesentantis.

§. 556. Errant ergo cum NIC. RIGALTIO, qui insignem Christo deformitatem adscribunt; neque cum FRANC. VAVASSORE affirmare possumus, saluatorem nostrum non admodum formosum, non ualde deformem fuisse. uid. STEPHANVS CLOZIVS de *sudore Christi sanguineo*, & FECHT. in diss. de forma uultus Christi. Formam ita-

itaque Christo rectissime tribuimus praestantissimam & maiestaticam, minime uero ordinariam & quotidianam. Omnia autem, quae hic formantur dubia, distinctione inter tempus passionis & passionem praecedens, tolli possunt.

§. 557. Ob commercium ergo inter mentem & corpus, nulla Christo adscribi potest in facie, uultu & incessu, aliqua deformitas; quin potius gestibus & uerborum expressionibus, rerum conuenientissimis, usus fuerit, quis est qui dubitare possit (§. 184. Ph. Pr. Vn.).

§. 558. Ergo & quoad infirmitates quae uerum declarant corpus humanum, exceptis personalibus & peccato, nobis similis fuit Christus (§. 552.). Errant ergo *Fanatici* cum antiquis pestilentissimisque uiris, *Cerdone*, *Marcione* & *Valentinianis*, Anabaptistis, in primis *Melch. Hoffmanni* assectis, itemque recentioribus *Felgenhauero*, im Theologischen Probier-Ofen, *Bourignonia*, *Petersenio*, *Poiret*, aliisque qui statuunt, Christum, corpus suum ex coelesti substantia fabricatum, de coelo attulisse; aut duplex habere corpus, alterum spirituale in Mariam allatum, alterum uero carnale & uisibile, quod instar uestis, nubis uel ueli superinduerit, ac proinde ante incarnationem iam homo fuisse. Non ergo sermo est, de apparitionibus V. T. quibus plerique filium DEI tanquam angelum

increa-

increatum, corpore aliquo ueſtitum Patriarchis ſubinde ſe conſpicuum feciſſe, adeoque corpus paraſtaticum geſſiſſe, arbitrantur non male. Vt enim iam de dictis ſupra (§. 482. ſeqq.) adductis nihil dicam; urgemus tantum, ſilentium Script. S. immo quod potius anathemate impugnantes notentur 1. Joh. IV, 1. 2. Joh. VII. Praeterea non *carnes* ſed *caro* dicitur factum uerbum Joh. I, 14. & DEVS fertur manifeſtatus in carne non θεανθρωπος 1. Tim. III, 16. Ita etiam alias triplex Chriſto natura eſſet tribuenda. Accedit ſi corpus hypoſtatice cum diuinitate unitum, de quo praecipue ſermo, Chriſto tribueremus, neceſſe eſſet, ut id habuiſſet uel *ante* uel *poſt* mundum conditum. Si ante; cuius gratia? non ad creationem perficiendam; ſi quidem ut DEVS omnipotentiſſimus, & ſine hoc perficere potuit omnia; neque poſt mundum conditum ob adparitiones; quia paraſtatico peragere potuit; quum itaque fuiſſet fruſtra, DEVS uero nihil fruſtra facit (§. 54.): corpus hocce figmentum eſſe patet. Neque eſt, quod dicas ad redemtionem. Alias non opus fuiſſet eo, ex Maria aſſumto, adeoque rurſus fruſtaneum. Ne iam de corporis increati contradictione loquar.

§. 559. Probant quidem ſententiam, ex Joh. VI, 33. Verum non utitur Chriſtus uocabulo carnis, neque probatur inde aduerſariorum

riorum sententia, cum non de *origine* humanae naturae sed de *ipsa incarnatione*, *suaque*, quatenus filius DEI est, ex coelesti *gloria*, prodeuntis singulari patefactione, sermo sit. conf. Joh. XVI, 28. seqq. XVII, 8. 2.) ex Joh. VI, 62. Coll. III, 13. ast hic agitur de tota persona, praedicatum uero, utrum sit secundum diuinam, an humanam naturam tribuendum, ex ipsius subiecti θεανθρωπε conditione colligendum est, adhibita doctrina, de communicatione idiomatum; nisi dicere uelis, quando filius hominis, filius etiam DEI uocatur Matth. XVI, 13. quatemus homo est, seu secundum eam naturam, qua homo est, DEVM esse. 3.) ex 1. Cor. XV, 47. Resp. distinguendo inter personae maioris dignitatis descriptionem, & originem humanae naturae. Confunduut ergo formulas, quibus de *concreto* naturae aut personae sermo est, cum nominibus naturarum abstractis, & propositiones tam personales, quam de communicatione idiomatum non intelligere se, turpiter produnt. 5.) de Peccati in Christo necessitate, dubium; soluimus (§. 501. seqq.) 6.) ex conversatione Adami ante lapsum cum DEO, h. e. filio DEI, iam tum carne induto. Resp. ubi probatio? & si uel maxime; nonne esse potuit corpus parastaticum? 7.) Christum, Adamum secundum, ab ipso Sp. S. dici; Adamo igitur primo carnem suam in acceptis referre?

Est-

Est ita. Sed accepit eam ante lapsum? aliter docet Lucas Cap. III, 23. 38. neque etiam propter originem, sed propter typum Adamus secundus dicitur Rom. V, 14. sicut scil. Adam caput omnium hominum; foederale, foederis operum; ita Christus foederis euangelici. 8.) ex adparitionibus. Resp. ex §. pr. ut iam non de Sp. S. dicam, qui sub specie columbae fuerat conspectus; ita enim eo modo, DEVM uel nubem, uel ignem columnae factum esse, concludere possemus. 9.) ex Phil. II, 7. sed non est nubes aut integumentum de statu enim habituque seruili loquitur textus. 10.) Ebr. XIII, 8. Verum contextus loquitur, quod *heri & hodie* secundum Ebraeorum idioma, sit hactenus & imposterum, conf. Gen. XXXI, 2. adeoque admonitio est Apostoli ad constantiam in doctrina Christi. 11.) ex Mich. V, 2. ubi egressiones Christi in numero plurali etiam secundum humanam naturam intelligendae. Resp. a) Pluralis, in Ebr. lingua, pro singulari, ad excellentiam usurpatur. b.) continua potius filii DEI generatio indigitatur; nonne Christi etiam c.) humanitas sic esset aeterna? quod absurdum. 12.) ex Col. I. 15. seqq. Est; sed a) non secundum naturam humanam; potius b.) quod per hvpostaticam unionem omni dignitate filii DEI, donatus est.

§. 560. *Remonstrantes* distinctam utriusque natu-

naturae Christi cognitio rem (de veritate enim iis illis non est mouenda) minime *necessariam* esse putant. vid. *Episcopius* in *lect. sacr.* ad 1. Joh. V. et instit. Theol. pag. 421. *Curcellaeius in inst.* R. C. Cap. XXI. Praesertim vero *Limborchius* in *Theol. Christ.* Verum cum humana Christi natura ad opus redemtionis omnino sit necessaria (§. 54. Diss. Prol.); opus hoc nec intelligi, nec adplicari potest homini ad salutem peruenturo, nisi hanc de humana Christi natura, doctrinam, distincte intelligat. Non jam monebo, quod resurrectio mortuorum plane sic corruat, nostraque quam inde habemus, spes & solatium, sec. 1. Cor. XV. Immo adde 1 Joh. IV. 1 seqq. et Ebr. II. 14. conf. ZELTNERI *breuiarium cum Fanat.*

§. 561. Probant quidem sententiam 1) ex 1 Tim. II. 5. vbi nonnisi humanae naturae fit mentio. Verum altera non excluditur et vtraque in aliis locis e. g. Rom. IX. 5. coniungitur, ita vt vtramque cognitu necessariam, indicetur; et praecipue de necessitate credendi altum hic est silentium, adeoque vitium elenchi. 2) Nonnisi DEVM esse salutis causam; eius ergo, tanquam efficientis, habendam esse rationem. Resp. est vitium elenchi, non enim excluditur natura humana (§. pr.). 3) Non requiri-

tur, aiunt, ad mediatoris officium tergeminum, vt sit DEVS, Christumque omnes functiones obiisse, vt hominem. Resp. (§. 55. Diss. Prol.). Adde Psalm. XLIX. 8. Matth. XVI. 26. Ebr. I. 3. 4.) nusquam modum incarnationis, tanquam necessarium cognitu ad salutem, in script. determinari. Verum ad fidem nostram gignendam et muniendam omnino script. vrget. conf. ll. cc. vid. ZELTNERI *breuiar. cum Remonst.*

§. 562. Quod mortem attinet, quam circa humanam Christi naturam (§. 553.) negauimus; non hic de possibilitate loquimur, quia alias corpus, non corpus aut compositum esse statuere deberemus; sed de statu, necessitate, et circumstantiis humanae naturae sermo est. Corpus ergo habuit *non mortale*, morti tamen sponte subeundae *idoneum*, quod poterat mori et non mori. Joh. II. 19. coll. X. 18.

§. 563. Denique quia Christum, qua hominem, ex sola Maria virgine natum esse, abunde demonstraimus (§. 482 seqq.); errant etiam *Sociniani*, *Smalzius*, de vero ac naturali DEI filio p. 18. et ipse *Socinus* in *Anti-Wujekio* p. 219. qui hoc negant, et DEVM, partes viri adimpleuisse, vt semen aliquod virile immediate, crearet, ex quo

quo, et non ex sola Maria, Christum conceptum; et hanc esse causam, quare DEVS eius Pater dicatur. Verum ad superiora l. c. addimus, ita ipsum non Patris, sed Spiritus Sancti filium dici debuisse.

§. 564. Dum ex Maria natus est Christus (§. 482. seqq.); intercedit ea propter Christum inter et Mariam relatio, qua filius eius dicitur. Talis vero relatio *filiatio* vocari solet. Duplex ergo in Christo filiatio, *diuina* scilicet (§. 144.) et *humana*. Matth. XVI. 16. Luc. I. 32. 35. II. 48.

§. 565. Non mente solum Christus gaudet vera (§. 541.) sed et corpore (§. 479.) quod eodem, fere vt nostrum, est productum modo (§. 498.); ita vt, comparatione instituta, eandem in eo essentiam deprehendamus, quam in nobis. Quodsi vero ens eandem cum altero essentiam habet, dicitur *consubstantiale* seu ὁμοούσιον. Christus ergo nobis est consubstantialis; et quidem, quia Christus indiuiduum (§. 27. Ont.); similitudo inter Christi nostramque humanitatem intercedit indiuiduorum. Similitudo indiuiduorum est species (§. 45. Log.) Christus ergo nobis est specie consubstantialis. Ebr. II. 14.

§. 566. Dum vero Christum nobis consubstantialem dicimus, vt hominem eum nos considerare, quiuis sentiet; vt DEVS enim Patri numero ὁμοούσιον esse supra satis superque demonstrauimus. Quum vero homo sit substantia (§. 18. Ont.); Christum substantiam et quidem indiuidualem (§. pr.) esse, negari poterit nemo.

§. 567. Porro quia indiuiduum de pluribus dici nequit (§. 132.); quod *incommunicabile* dicitur (§. 22. in Exempl. nostr. Ont.); Christus est substantia incommunicabilis (§. pr.).

§. 568. Christus ergo, si vt hominem consideramus, substantia est mente et corpore praedita, adeoque essentiam habet humanam (per def.). Quodsi vero N. T. scriptores euoluamus; multis eum variisque egisse modis, abunde discimus. Hinc vi agendi gaudet quoque. Essentiam vero, vi agendi praeditam nominamus *entis naturam*. Christus ergo, quia essentiam habet diuinam (§. 101.), pariter atque humanam; quae vtraque vi agendi praedita est, duabus constat naturis, diuina scilicet atque humana; adeoque recte dici potest θεανθρωπος (§. 54. Diss. prol.)

§. 569.

§. 569. Quia vero humana Christi natura, cum diuina, quae ab aeterno iam extitit (§. 26. 100.) coniuncta, θεανθρωπον constituit (§. pr.); ad hanc coniunctionem DEVS, ea est vsus. Sed vsus rerum in vniverso est finis DEI (§. 37. Theol. Nat.); hunc ergo in finem a DEO creata ordinataque est humana Christi natura.

§. 570. Ergo quia *substantia incompleta* per naturam suam ordinata seu producta est ad constitutionem alterius substantiae (§. 132); incompleta substantia, est humana Christi natura (§. pr.)

§. 571. Putare vero, si incompletam (§. pr.) dicimus, eam nos *imperfectam*, eamque defectu vllo laborantem affirmare, noli. Vt perfectam, perfectioremque omni alia (§. 541. 458.) descripsimus. Non ergo perfectum (siue essentiam siue attributa respicias) et completum, synonyma nobis erunt. Quis enim corpus mentemque nostram imperfectas salutabit substantias, etsi completas esse, negare cogatur. Inter completam in *essendo*, et *subsistendo* distinguunt alii recte. Qua ex ratione, eam, imperfectiorem quauis humana affirmare, nulla te mouebit ratio.

§. 572. Ob §. itaque praec. Christus non est suppositum (§. 132.). Etsi ergo in-

telligens sit substantia, (§. 520. 526.); non tamen est *suppositum* intelligens, adeoque nec persona (§. 132.).

§. 573. Cui porro deest modus, quo substantia complete existit et incommunicabiliter, *subsistentia* vel *suppositalitas* ei non est adscribenda (§. 132.). Quis ergo humanae Christi naturae subsistentiam adscribere audet (§. 571. 572.). Caue tamen *subsistentiam* confundere cum *existentia*; quam differentiam (coll. §. 6. Ont.) discere poteris.

§. 574. Quia abstractum ex concreto oritur (§. 43. Log.); negato concreto, abstractum negatur quoque. Ob hanc itaque rationem, Christi, de qua hactenus loquuti, naturae, personalitatem, vtpote abstractum, denegare etiam cogimur.

§. 575. Humana Christi natura cum subsistentia tum personalitate caret (§. 572. 574.); cum diuina vero, ad θεανθρώπου constituendum coniuncta est (§. 569.); in Christo (vt DEVS enim seu secunda diuinitatis persona (§. 148.), quia generatio est absolute necessaria vt filius ipse (§. 119.), mutari, adeoque personalitatem, et subsistentiam amittere, non potest §. 23.) vnica tantum est personalitas Ergo est DEVS (§. 100.) et homo (§. 568.) in *vna* persona. 1 Cor. VIII. 6. 1 Tim. II. 5. Rom. V. 19. Hinc recte vnus, et vnicus dicitur (§. 52. Diss. prol. et §. 27 Ont.).

§. 576.

§. 576. Aſt quia humana natura ſubſiſtentia propria caret (§. 575.); Chriſtus vero DEVS eſt et homo in vna perſona (§. cit.), ſeu vna perſona Chriſti eſt in duabus naturis (§. 568.); hinc recte humana eius natura ſubſiſtere dicitur in perſona λογȣ: in qua vtraque Chriſti natura ſubſiſtit. Non tamen inde humanam naturam, perſonam eſſe, ſequitur, niſi dicas: ſimul cum υποϛασει λογȣ ſumi. Hoc enim modo, humana natura et υποϛασις λογȣ vnam perſonam conſtituunt; quia cum natura tum υποϛασις ad perſonam pertinent (§. 568. 572.).

§. 577. Quia itaque Chriſtus, DEVS eſt et homo in vna perſona (§. 575.); humana diuinaque eius natura debent vniri. Vbi vero vnio in tempore facta, ibi *actus*, quo plura ita adſunt, vt vnum aliquod conſtituant, qui *vnitio* dicitur; *ſtatus* vero ex hac vnitione reſultans, ſeu ſtatus ille plurium, quo ad vnum conſtituendum concurrunt, *vnio* vocatur (§. 27. Ont.).

§. 578. Si vero humana et diuina Chriſti natura vniri debuerunt, vt fierent vna θεανθρωπȣ perſona (§. 577.); exſurgit inde ſtatus ex vnitione reſultans (§. 27. Ont.); ſeu vnio (§. pr.); qui, quia vnitas hoc modo oritur perſonae (§. 575.);

recte dici poterit *personalis*, vt adeo *personalis in Christo vnio* sit diuinitatis humanitatisque status, quo naturae illae ita sunt coniunctae, vt fierent vna θεανθρωπε persona. Et quia natura diuina seu prout in hypostasi τε λογε subsistit (§. 576.) intra hanc hypostasin sibi coniunctam habet naturam humanam; hinc recte etiam dici potest *hypostatica*.

§. 579. Quam (§. pr.) descripsimus unionem, συνθεσιν vocat ecclesia, et recte quidem; quia vna cum altera composita est natura; etsi natura vna non sit ex naturis pluribus.

§. 580. Quae in vnione hac coniunguntur plura, sunt 1) humana et 2) diuina natura; et quidem haec non *essentialiter* talis, sed *personaliter*, quia non alia diuinitatis persona, quam DEI filius, humanam naturam assumsit (Ebr. II. 16.). Quum vero plura illa in vnione, ex quibus ens vnum oritur, *termini, materia*, vel *extrema* vocantur; recte humana et divina natura vnionis huius sunt extrema.

§. 581. Quoniam vero libere satisfactionem in se suscepit Christus (§. 431.); vnio autem hunc in finem facta est (§. 57. Diss. prol.); ideo vnio haec non fuit *necessaria in se*, seu *absolute*; sed sub certa quadam conditione, adeoque contingens. Quodsi vero *hypothetice necessariam* vocare velimus, non errabimus certe (§. 41. Ont.)

§. 582.

§. 582. Quam (§. pr.) ſtabiliuimus theſin, ſequenti etiam probare poſſumus ratiocinio. Si non peccaſſet genus humanum; per operum foedus habuiſſet vitam aeternam (§. 300) DEOque imaginis diuinae viribus obedientiam praeſtitiſſet exactam (§. 209.). Quia vero ob virium in hominibus defectum, ſatisfactionem in ſe Chriſtus recepit, vt homines ad ſalutem hoc modo pertingere poſſent aeternam (§. 46. Diſſ. Prol.); fruſtaneus fuiſſet hic uniendi actus et ſtatus. DEVS vero nihil facit fruſtra (§. 41. Th. N.); vnio ergo haec non fuiſſet ſubſecuta. Ergo ſi homines non peccaſſent; nec filius DEI fuiſſet incarnatus. Vnio ergo haec eſt contingens (§. 41. Ont.).

§. 583. Errant ergo *Scotiſtae*, ſi in ornamentum aut complementum huius vniuerſi, vnionem eſſe factam, etiamſi homo non peccaſſet, affirment. Ergo hoc neque finis; hinc neque principalis, neque minus principalis. Quia potius nulla ſatisfactione neceſſaria, nulla fuiſſet vnio (§. 582.); recte ſatisfactio et redemtio, *promiſſa* olim et implenda, principalis, proximusque ſtatui poteſt. Gal. IV. 4. 1 Joh. III. et IV.

§. 584. Sed dicis: ita vnio haec poſt peractam ſatisfactionem ſoluitur, quio ac-

quisito fine, cessat actio (§. 80. Ont.). Verum vnius rei plures esse possunt fines. Etsi ergo peracta satisfactione, non amplius opus videatur; infra tamen, regnum Christi, quod vt homo etiam geret, aeternum, dedeprehendemus, id quod sine vnione hac cogitari haud potest; adeoque semper durabit. Hinc non solum post resurrectionem et in adscensione adfuit Joh. XX. 27. 29. Act. I. 9. sed et in die extremi eam habebit iudicii. Matth. XXV. 3. Act. I. 11.

§. 585. Ergo si semper durabit (§. pr.); reuera etiam vnio haec est facta. Hinc *vnitio* etiam *personalis* praecessit, quae actus est, quo diuina et humana natura ita sunt coniunctae, vt vna θεανθρωπος fierent persona.

§. 586 Quia itaque vnio haec et vnitio reuera facta est (§. 569. 585.); male pro commento putido atque absurdo habent atque exagitant Sociniani. vid. SOCINVS in Expl. c. I. Johann. Catech. Rac. c. I. OSTORODVS Inst. c. XVII. Probant quidem sententiam 1) ex Rom. IX. 3. IV. 1. 1 Cor. X. 18. Col. III. 22. vbi eadem, secundum carnem, phrasi, utatur Paulus, ergo et Rom. I. 3. et IX. 5. eandem, non distinguere naturas plures. Verum resp. 1) in omnibus his exemplis voces hae distingunt praedicatum, quod

vel

vel pro *conditione natiuitatis non adoptionis* competat, vt in primo et tertio; vel ratione *corporis non fidei*, vt in secundo, vel ratione *imperii humani non diuini*, vt in quarto; at Rom. IX. 5. distinguunt subiectum, vi adiecti articuli, i. e. quantum ad id, quod carnis est, consideratus, est ex patribus. Excipiunt 2) Joh. I. 14. Ebr. II. 14. dicitur non quod DEVS homo factus sit, sed quod homo fuerit imbecillis. Caro enim infirmitatem denotat. Ebr. V. 7. Col. I. 22. et εγενετο significet: *fuit*. Resp. explicatio non conuenit cum textu Joh. I. 14. quia additur: *et vidimus gloriam eius.* εγενετο vero hic denotat *factum est*, quia, quod *ab initio* apud DEVM existens vers. 2. *caro non erat*; sed *postea*, cvm esset, *factum sit*. Vrgent 3) Disparata inter se habere tacitam contradictionem. Resp. concedimus; sed negamus: disparatas s. diuersas naturas confluere non posse in idem suppositum, quod vnio corporis et animae docet. Obi. 4) Si Christus et DEVS, et homo fuisset, *oportuisse, vt se ipsum adorauerit, et aliud a se ipso uoluerit, cum aliud quam Pater vellet* Matth. XXVI. 39. quod absurdum. Resp. negamus absurdum; hoc enim fit *secundum aliam naturam*. Nonne interdum in humanis etiam fit, vt Imperator, qua Vasallus, a se inuestituram feudi petat sibique eam concedat? Nonne iudex, aliud,

aliud, qua iudex vult, aliud qua ciuis, aut neceſſarius. Et adoratio patris, non ſui ipſius, quae non in ſcriptura legitur, ideo facta, quod *pater fons diuinitatis* ſit, quo nominato et omnes Deitatis perſonae includuntur. Obi. 5) ſilentium Euangeliſtarum et Apoſtolorum in concionibus, qui amorem DEI, non vero vnionem naturarum depraedicarunt. Reſp. Neg. ex antec. et pro fine in orationibus ſuis, magis amore in Jeſum Judaeos de reſurrectione Chriſti conuincere, gentiles ad DEI veri cognitionem ducere ſtuduerunt. Hinc occaſionem incarnationem explicandi, non ſemper habuerunt, attamen non neglexerunt Joh. III. 16. ſeqq. Rom. VIII. 3. Gal. IV. 4. Denique 6) nil prodeſſe incarnationem, aut vnionem. Reſp. Neceſſaria fuit ad ſatisfactionem, (§. 57. Diſſ. prol.) vid. SCHOMER Colleg. Anti Soc.

§. 597. Ex vltima (§. pr.) obiectione orta eſt alia, ſcil. ſepoſitis demtisque quae de Chriſti perſona, vnitione et vnione naturarum dicta ſunt, pium tantum eſſe, DEVM et Chriſtum pia quadam ſimplicitate venerari ac apprehendere. Reſp. Neg. ob (§. 560. 561.); et diſtinguimus inter *ſimplicitatem notitiae*, quae damnanda, et *ſimplicitatem aſſenſus, eamque biblicam*, quam cupimus, contra DIPPELIVM im Anfang, Mittel

Mittel und Ende der Orthodoxie, aliosque Fanaticos.

§. 586. Ergo si vnio naturarum semper durat (§. 584.) vnio haec etiam *realis* est, quae reuera et actu existit; et non *ficta*, seu *verbalis* tantum; quae in rerum natura non inuenitur, et sine rei veritate praedicatur.

§. 587. Quia itaque Christus, DEVS est et homo in vna persona (§. 575.); DEVS vero non esse aut fieri potest homo et vice versa, s. diuina fieri non potest humana natura (per def.); unio haec, est facta περιχωρισος seu per περιχωρησιν s. permeationem. Hinc nulla naturarum facta est confusio. Haec vero vnio dicitur ασυγχύτως facta. Duae ergo in Christo naturae ασυγχύτως *inconfuse* sunt vnitae. Poterit haec thesis ex περιχωρήσει personarum Trinitatis Joh. XIV. 10. etiam illustrari, nec non ex animae et corporis.

§. 588. Ergo vnio haec, non est vnio per mixtionem, qua, quae vniuntur, esse desinunt, quod fuerant, inter se vero vniuntur ad constituendum aliquod tertium (quod cum massa, ex aqua et farina mixtis illustrari potest). Ex patribus enim est *secundum carnem*, et DEVS benedictus in secula Rom. IX. 5.

§. 589.

§. 589. Ex eadem (§. 587.)ratione, neutra naturarum conuersa est, in alteram; quod cum dicimus ατρεπτως vnitas; humana natura cum diuina est vnita ατρεπτως *inconuertibiliter*. Rom. IX. 5. Matth. XII. 40. Conuertitur autem vnum in alterum, si essentia vnius cessat et ex illo fit ens alterius essentiae, e. g. cibus in Chylum, hic in sanguinem.

§. 590. Huius (§. 587. 589.) veritatem ex DEI attributo immutabilitatis (§. 23.), probare etiam possumus solide. Hoc enim posito, Christus vt DEVS fieret ens non solum successiuum et contingens, si diuinitas conuersa est in humanitatem; adeoque etiam minime esset aeternus, si humanitas in diuinitatem. Quod cum sit absurdum (§. 23. 26.); firmo, nostra thesis omnino stat talo.

§. 591. Dicis: mutatio tamen in vnione est facta, eaque intrinseca, quia afficit ὑποστασιν. Resp. est mutatio diuinitatem nec alternans, nec perficiens, sed tantum nouus *respectus*. Accessit nouus tantum terminus sine sui mutatione; sicut non mutatur DEVS, quando creaturas, tanquam nouum terminum praesentiae in tempore accepit. vid. SCHERZER. p. 188.

§. 592.

§. 592. Ex περιχωρησει (§. 587.) itemque ex vnione in vnam personam (§. 577.) sequitur etiam, αδιαστασια, et vnio αδιαστατως, seu αδιαιρετως *indiuisse*, et αχωριστως *indistanter* facta. Illa est talis relatio, qua omni *semper quo fuit tempore*, humanitas Christi cum diuinitate est vnita. Haec vero est, qua in omni, semper quo fuit *loco*, cum diuinitate humanitas Christi vnita fuerit. Nam, quod priorem αδιαιρετως factam attinet; περιχωρησις, si vnicum, quo non fuisset, temporis momentum cogitari posset, sane tolleretur; Christus etiam non esset DEVS et homo in vna persona quod absurdum (§. 587.). Vt iam non de duratione in perpetuum dicam (§. 584.)

§. 593. Dicis: nostra, quam (§. pr.) adduximus, probatio, facta iam vnione, valet; non vero in genere, quod a primo, quo humana existere coepit natura, temporis momento, statim cum diuina fuerit coniuncta. Respondemus. Quia finis huius vnionis est satisfactio et redemtio (§. 584.); qua non tantum in sacrificium pro genero humano se obtulit, sed etiam sub legem; vt vita et passione sua pro nobis satisfaceret, subiecit (§. 437. 438.); quae sine arctissima hac vnione peragi potuisset minime (§. 57. Diss. prol.); hinc nullum temporis intercessisse

sine

sine vnione hac momentum cogitari, potest quam primum sc. Christus homo factus. Homo vero quis sit, et diiudicatur, quam primum conceptio sit facta, quod tam ex communi loquendi modo, quam ipsis etiam, quae abortum violentum in Jure civili poenis sequuntur, probari potest; diuinae ergo et humanae Christi naturae vnio, a conceptionis, adeoque a primo humanitatis momento est facta. Nisi enim hoc affirmemus, nobis non esset ὁμοούσιος, quod adsurdum (§. 565.). Etsi ergo in abstracto humana, sine diuina, Christi natura cogitari posset, non tamen id fieri potest in concreto, seu posita certissime satisfactione. Nulla porro vt aliter statuamus, nos vrget ratio et necessitas, quin potius quia DEVS via breuissima ad finem, qui satisfactio hic est (§. 584.), tendit (§. 41. Th. N.), haec nostra probetur sententia solide. Recte ergo ἀδιαιρέτως hanc factam vnionem esse diximus (§. pr.).

§. 594. Quodsi ergo vnio personalis ἀδιαιρέτως (§. 492. seq.); etiam est ἀχωρίστως humana cum diuina vnita. Nam si Christus est in loco; momentum aliquod temporis praeterlabitur etiam, quo in hoc loco fuit. Quum itaque omni tempore, vnita etiam omni loco.

§. 595. Haec (§. pr.) aliis etiam probari modis potest, quo ipso et altera (§. 592.)

simu

simul stabilitur. Nam 1) quod quis factus est, illud ἀδιαιρέτως est. Atqui verbum caro factum est Joh. I. 14. Ergo caro ἀδιαιρέτως est. 2) Vnio in vnam personam non habet διάστημα; alias non esset vnio; Atqui duarum naturarum in Christo vnio est in vnam personam (§. 578.); Ergo non habet διάστημα. 3) in quo παν πληρωμα της θεοτητος σωματικος (h. e. tanquam in proprio corpore) habitat, *extra* illud nihil eius πληρώματος esse potest. (Sicut extra corpus nihil reperitur, quod ad animae plenitudinem pertinet, quia corpori παν πλήρωμα ψυχης communicatum est) Atq. in Christo habitat Col. II. 9. Ergo extra Christum &c. Finge, diuinitatem Christi esse nobiscum solam, illa diuinitas erit extra humanitatem Christi, adeoque falsum erit: παν πληρωμα της θεοτητος in Christo σωματικως habitare. 4) Aut tota hypostasis τε λογε est communicata aut non tota. *Si non tota:* tum non communicatum est παν πληρωμα, contra Coll. II. 9. Si *tota:* Ergo nihil eius est *extra* et *vltra* humanitatem, vid. SCHERZER p. 188. Et quia scriptura nullam hic nec *temporis* nec *loci* determinationem adiicit, sed in genere et sine *limitatione* vnionem hancce describit; nostra, quam forte addimus, non dicam impia, superflua tamen erit, ex praeiudiis, forte ortum trahens. (*Büttneri Curs. Theol.*)

Nonne etiam negata ἀχωρίστως facta vnione, tota personalis vnio soluitur? Ergo vel pauciſſimis ſublata vicibus, vel nunquam redibit, vel humanitas rurſus vnitur cum diuinitate. Si illud: clariſſimis ſcript. S. dictis, fideique analogiae, noſtra repugnat doctrina (§. 584.). Si hoc; quia vt mox §. ſeq. demonſtrabimus, vnio haec miraculum, ſemper miracula perpetrare DEVS cogeretur, quod ſapientiae contradicit (§. 122. Th. N.). Quam facilis inde oriatur vnionis perſonalis omnimoda negatio, perpendos quaeſo!

§. 596. Ergo ſi vnio reuera facta eſt; quaeritur: quisnam vniuit? Reſpondeo: a nulla id factum creatura, quippe quae a DEO, hic vero non ab illa dependet (§. 8. Theol. Nat.) Praeterea ſponſio Chriſti eſt actus liberrimus. Hinc a nulla ad ſatisfactionem, nec adeo ad vnionem, cuius finis ſatisfactio eſt (§. 583.), cogi potuit. Ergo nec ab humana Chriſti natura. Ergo a DEO. Quoniam vero vnio eſt opus ad extra (§. 140.), tribus haec perſonis eſt communis (§. 140.) vid. loca §. 483. excitata. Ergo vnio haec eſt miraculum. 1 Tim. III. 16.

§. 597. Verum quia nec Pater nec Spiritus S. homo factus; ſed λογος Joh. I. 14.

(§.

(§. 575.); secunda diuinitatis persona h. e. filius DEI, humanam naturam, quae substantia ἀνυπόστατος (§. 572.), cum sua ipsius persona, ad vnius personae constitutionem, vniuit; quod cum *in subsistentiam huius personae recipere* nominamus; *terminatiue* et *hypostatice*, vnio haec, *filio* DEI propria recte dicitur. Joh. I. 14. Ebr. II. 14. seq. Gen. III. 15.

§. 598. *Passiue* ergo, humana Christi natura in hac vnione sese habuit, diuina vero *actiue* (§. 596. 597.). Hinc *vnitio* recte in *actiuam* respectu diuinae; et *passiuam* humanae naturae respectu diuidi potest (§. 577.). Humana ergo non assumsit diuinam, sed illa ab hac est assumta.

§. 599. Vnitionem hancce cum *virgine*, a tribus, inter quas et ipsa est, vestita, illustrare Ecclesiae Doctores sunt conati.

§. 600. Dum igitur filius DEI seu diuinitas Christi humanitatem secum vniuit (§. 597.); incarnatio est facta. Dicimus enim *incarnationem*, actum, quo diuinitas Christi secum humanitatem vniuit. 1 Tim. III. 16. Ebr. II. 14. Joh. I. 14. Luc. I. 35. Vltimus, quem adduximus, locus, thesin §. 597. optime declarat, nostramque h. §. probat. Virtus enim altissimi dicitur obum-

brare; quod nil est, nisi diuinitas Christi humanitatem secum uniet. Nam quia Angelus ad Mariae quaestionem respondet, indolemque, quomodo *filius* DEI adeoque non communis *solus* et *simplex hominis* filius, ex ea proueniat? docet: Spiritus sanctus, inquiens, superueniet h. e. foetificabit, et virtus altissimi obumbrabit; verba, *virtus altissimi, ob contextum* (§. 200 Log.), non alium fundere sensum possunt, quam talem sc. ex hoc perspicere poteris, o Maria! cur ex te natus sit DEI filius, quia virtus altissimi DEI (*virtus* autem, si de liberorum generatione sermo sit, primogenitum denotat filium Gen. XLIX. 3.) h. e. primogenitus DEI filius seu secunda diuinitatis persona, *obumbrabit* i. e. coniunget se cum illo, per spiritum S. foecundato. Vbi enim obumbratio, ibi est coniunctio eius quod obumbrat, cum eo, quod obumbratur. Optime ita Mariae dubium soluit, rationemque quaestionis Angelus addidit. Sunt quidem, qui per *altissimi virtutem*, ipsam intelligant summi Numinis *omnipotentiam*. Verum ex horum, minime ratio sequitur et modi explicatio, quem scire tamen desiderauit Maria; adeoque ad sanctissimae Matris quaestionem minime quadrat Angeli responsio. Per omnipotentiam enim DEI *communis* et *solus*, qui non in hypostasin τȣ λογȣ est assumtus,

nasci

nasci potest. Denique ad priora adnoto loca, scripturam per *carnem* et *sanguinem*, non sine ratione humanam indicare naturam. Nam quia ex carne et sanguine maxime homo cognoscitur; praeterea etiam corpus ex carne et sanguine constans, substantiam incompletam minimeque personam, indicat; ideo per haec nil nisi substantia ἀνυπόστατος intelligitur, quo ipso nostrae,(§. 572.) propositae sententiae nouum accedit robur.

§. 601. Quia itaque diuinae et humanae Christi naturae vnio, a primo conceptionis momento facta est (§. 593.); in eodem incarnatio filii DEI etiam est facta. (§. pr.) Recte itaque: ἅμα σαρξ, ἅμα λογε σαρξ. Quae ergo de vnione hactenus pertractauimus, maximam quoad partem etiam de incarnatione valent.

§. 602. Ex (§. itaque pr.) in Matris vtero iam, DEVM fuisse Mariae filium, abunde patet. Ergo DEVS etiam fuit in natiuitate. Talis vero femina, quae filium, qui in ipso natiuitatis statu DEVS est, parit, vocari poterit *Deipara*, θεοτόκος. Mariam ergo rectissime salutare possumus Deiparam. Quum vero quem peperit, filius, nomen etiam Christi gerit; hinc χριστοτόκος nominari potest quoque.

§. 603. Male ergo χριστοτόκον non vero θεοτόκον Mariam adpellauit *Neſtorius* damnatus ea propter per Concilium Epheſinum A. 431. Et quia vnionem tantum παρασατικην (§. 607.), non υποσατικην admiſit, adeoque alium eſſe filium DEI, ex DEO Patre, alium qui natus ex Maria virgine vid. Ven. MOSHEMII hiſt. eccleſ. N. T. p. 305. ſeqq. ideo rationem vides, cur vocabula (§. 592.), ad ſaniorem doctrinam exprimendam, in eccleſia introducerentur. Et quia *Eutychiani vnitionem* quidem, ſed *non vnionem perſonalem* admittentes, poſt vnitionem, naturarum confuſionem ac humanae in diuinam tranſubſtantiationem docuerunt vid. Ven. MOSHEMIVS l. c. ideo ad horum, Schvvenckfeldianorum aliorumque impios errores comprimendos, A. C. 451. vocabula ατρεπτως (§. 589.), et ασυγχύτως (§. 587.), optima cum ratione adhibuerunt.

§. 604. Si ſubſtantiae plures *incompletae*, ad vnam completam conſtituendam vniuntur, *vnio* dicitur *eſſentialis*. Quia vero filius DEI eſt perſona (§. 136.) adeoque ſubſtantia completa (§. 132.); vnio haec non eſt eſſentialis; contra peculiarem *Eutychianorum* ſectam vid. DAMASC. de Orthod. fid. L. III. C. 3. qui ex vnione naturarum, tertiam aliquam Chriſti naturam enatam eſſe docuerunt. §. 605.

§. 605. Vnio per consensum vnitorum facta, *moralis* audit. In vnione ergo *praeter consensum*, morali requiritur nihil. Etsi ergo consensum cum quoad diuinam, tum humanam concedimus naturam (§. 431.); non tamen *pure moralem* dicere eam possumus, quia primario hic respicitur vnio personalis; contra *Clericum*.

§. 606. Et quia vnio haec miraculose facta (§. 596.); non facta est per vires naturae. Quae vero per naturae vires producitur vnio, dicitur *naturalis* seu *physica*, ergo personalis vnio non est naturalis.

§. 607. Vnio παρασατικη est, in qua quid ad tempus, apparitionis causa adsumitur. Nil ergo nisi sustentationem seu gestationem importat, qualis est Planetae cum suo orbe, gemmae in annulo, clauis in rota, lineae circulum in vno puncto tangentis. Quoniam vero vnio hypostatica, neque ad tempus (§. 595.) neque adparitionis aut sustentationis seu gestationis gratia, facta est (§. 583.); vnio haec etiam non est παρασατικη. Hoc enim si explicare eam vellemus modo, fideles etiam cum DEO hypostatice vnirentur 1 Cor. III. 16. 1 Cor. VI. 17. Male ergo hypostaticam hoc descripto modo explicare solent, quod ad Nestorianismum accedit proxime.

§. 608. Vnionem notionalem siue *rationis a B. Hollazio* Praeposito optimo, in *Exam. Theol.* p. 103. et recte quidem definitur vnio, qua plures conceptus per rationem distincti, mentis ope, vt indiuisi concipiuntur. Talis datur inter genus et differentiam in specie. Quum vero hae, in vnione hypostatica non deprehendantur notae (§. 597.); vnio haec non est notionalis.

§. 609. Vnio cuius ratio vniendi est accidens, dicitur *accidentalis*. Quum vero et hae, in vnione hypostatica non deprehendantur (§. 597.); non est accidentalis.

§. 610. Quia itaque vnio haec in Christo tantum est, in aliis vero rebus deprehenditur minime, neque cum aliis vnionis in mundo speciebus similitudinem habet (§. 604-609.); vnio talis ad existentiam est producta quidem, ast saepius non occurrit. *Res* vero cuius similitudo rarissime deprehenditur, dicitur *inusitata seu potius insolita*; vnio ergo in Christo insolita et inusitatissima dici meretur.

§. 611. Talia vero sunt praedicati, qualia permittuntur a suis subiectis (§. 200. Log.); ergo et propositiones, quae ex hac vnione oriuntur, sunt insolitae (§. pr.)

§. 612.

§. 612. Vt vero propositiones illas rite intelligere queamus, subiectum iam est considerandum omnio (§. pr.). Christus scilicet est DEVS et homo in vna persona (§. 575.); et quidem talis est, per vnitionem (§. 577.). Quia ergo est vna persona (§. 575.); humana natura, filii DEI, et diuina natura, filii hominis est natura. Talis vero *status*, dicitur *communio naturarum*; datur ergo naturarum in Christo communio.

§. 613. Ad quam designandam vox περιχωρησεως, (§. 587.) quae natiua significatione *penetrationem* aut *alterius in altero existentiam* denotat, adhiberi coepit: ita quidem vt diuina natura *actiue* diceretur *penetrare* (*immeare, perficere*) humana natura *passiue penetrari, perfici* (§. 598.). Quod tamen intelligendum est remotis imperfectionibus. Col. II. 9. Quando enim παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως s. corporaliter in Christo *habitare* dicitur, intelligendum est, diuinam naturam vna cum suis perfectionibus omnibus sic esse in natura humana, vt eam nulla parte expertem sui esse permittat, adeoque intime penetret; quodque haec Deitatis habitatio in Christo ab *illa*, qua olim *in templo* habitabat, et qua *in sanctis* est, maxime differat. vid. *Bajeri* Comp. Theol. posit. *de persona Christi* §. 13.

§. 614. Quia itaque in Christo naturarum est communio (§. 612.); *actus* quidam est concipiendus, quo factum, vt humana natura, filii DEI, et diuina natura filii hominis sit natura. Talis vero actus dicitur *communicatio naturarum:* Recte ergo naturarum etiam in Christo communicatio statuitur.

§. 615. Communionem vero et communicationem inter se confundere noli. Differunt enim vt *status* et *actus* (§. 612. 614.). Quoniam itaque communio haec ob vnitionem et vnionem existit (§. 612.); recte ideo illa ab hac dependere dicitur; adeoque eodem tempore, quo vnitio in ipsa scil. conceptione, est facta (§. 593.).

§. 616. Ergo quia humana natura, filii DEI, et diuina, filii hominis est natura (§. 612.); talia vero praedicata, qualia permittuntur ad suis subiectis (§. 200. Log.) recte Script. loquitur. *Germen Dauidis est Jehouah iustitia nostra* Jer. XXIII. 5. XXXIII. 16. *Filius Dauidis est Dominus Dauidis* Matth. XXII. 42. seqq. *Filius hominis est filius DEI viui.* Matth. XVI. 16. *natus in Bethlehem est Dominus* Luc. II. 11. *Secundus homo est dominus de coelo* 1 Cor. XV. 47. *Verbo caro factum est.* Joh. I. 14. *Sanctificans particeps factus est carnis*

nis et sanguinis. Ebr. II. 11. 14. *Quod ex Maria nascetur est filius ille Altissimi* Luc. I. 31. Recte ergo et ecclesia: *DEVS est homo; Homo est DEVS.* Nam quas ecclesia hic (quae in Sc. S. *expressis iisdemque verbis* haud reperiuntur, adeoque *ecclesiasticae* dictae, sicut illae, *biblicae*) adducit propositiones, idem certe denotant, quod biblicae, adeoque in sensu et re ipsa si probe considerabis, conueniunt, h. e. sunt aequipollentes. Explicant haec alias per illud: *modus praedicandi sequitur modum essendi.*

§. 617. Propositionum itaque (§. pr.) ratio veritatis, quaerenda est in vnione personali, et communione naturarum. Quod vero in altero rationem sui habet, *ex eo sequitur* aut *in eo fundatur* (per def.); propositiones ergo (§. pr.) sequuntur et fundantur in vnione et communione naturarum. Qua ex ratione etiam videbis, cur *personales* salutent Theologi Viri? Vt vero eo melius perspicere liceat, quid personales propositiones sint, ex Logicis notio formari potest principiis (§. 43. Log.).

§. 618. Omnes scil. quas (§. 616.) excitauimus, in eo conueniunt, quod concretum vnius in Christo naturae enuncietur seu praedicetur de concreto alterius naturae.

Recte

Recte ergo hoc modo definiri possunt. Dicimus autem *concretum* notionem, quae affectionem et rem, in qua affectio illa deprehenditur, continet; cui in Logicis opponitur *abstractum* seu notio, quae affectionem s. formam sine re et subiecto, cui inest, continet. e. g. Si hic in Christo naturas in se, non connotata hypostasi nobis repraesentamus, aut per verba exprimimus. Ex quibus, quid *abstractum naturae* et *concretum naturae* sit, intelligere poteris. *Illud* enim est notio, *alterutram* in Christo naturam continens, sed sine subiecto; s. si naturam in Christo *alterutram sine* suppositо cogitamus; e. g. diuinitas, humanitas; *hoc* autem est notio, *alterutram* in Christo naturam *simul cum* subiecto continens (§. 64. Log.); s. si naturam alterutram *cum* suppositо cogitamus, e. g. *filius DEI, filius hominis, DEVS, Homo, Verbum* λογος, *filius Mariae.* Ergo quia persona Christi ex duabus naturis constat (§. 568.); *vtramque* in Christo naturam *cum* subiecto seu persona nobis repraesentare possumus, quae notio *concretum personae*; e. g. Θεανθρωπος, Immanuel, Christus, Jesus, Messias; vel vtramque in Christo naturam sed *sine* subiecto seu persona, quae notio, quamuis non sit in vsu, *abstractum, personae,* vocatur e. g. Jesuitas, Immanuelitas.

§. 619.

§. 619. Quia vero termini in propositionibus personalibus illi tribuuntur, cui per se conueniunt (§. 616.); sunt propriae significationis (§. 125. Log.). Et quia vnio haec realis est, non verbalis (§. 586.); ideo etiam propositiones inde resultantes, reales dici merentur, vt recte ita dicam: *is, qui est filius DEI, est reuera idem ille, qui est filius Mariae et contra.* Merito igitur *Samosatenum* Sec. III. damnauit ecclesia, qui inhabitationem ita factam esse somniauit. Duas sc. naturas separatim, et prorsus inuicem incommunicabiles in Christo fuisse, vt adeo alius sit ipse Christus, et alius DEI λογος in Christo habitans. Male ergo ex societate, vt vocantur, Jesu, aliique communionem naturarum *realem* negant, eamque nisi verbalem statuunt. Communicationem quidem naturarum, sed terminatam non in naturis ipsis, sed in sola subsistentia Christi admittunt, quasi subsistentia τȣ̃ λογȣ̃ sit diuinae et humanae naturae communis, non autem ipsae naturae sibi inuicem sint communicatae. vid. *Erbermann* in Bellarmino vindicato. T. I. p. 179.

§. 620. Sunt vero et aliae quae de Christo enunciantur, praedicationes e. g. *Christus est DEVS;* aut *filius DEI.* In his vt quiuis percipit, de concreto *personae* dicitur con-

concretum alterius *naturae* (§. 618.). Quaestio ergo inter nonnullos agitata: an personales? aut nisi hoc; quamnam accipiant denominationem? Ex definitionum vero collatione facile est videre, ad personales, pertinere eas minime; dum hic de concreto *personae*, ibi vero de concreto *naturae* aliquid praedicetur. Attamen quia hae praedicationes verae sunt, (§. 100.) propriae insuper (§. 125. Log.) et reales (§. 586.), siquidem ratio denominationis in communione naturarum, continetur, qua negata aut sublata amplius concedi haud possint; ideo, eandem ob rationem, vt supra citatae (§. 117.), personales nominare posse videntur. Hinc omnis quaestio abiret in Logomachiam. Quodsi ergo cum aliis *praedicationes formales* nominabis, certe non errabis; quia vtraque natura in *formali* conceptu Christi et Messiae continetur. Recte tamen et B. Bajerus: Propositiones hae *suo modo* huc referri possunt. Distinctio ergo inter personales *stricte*, quales sunt (§. 117.) et *late* s. *reductiue* aut *reduplicatiue tales* (quia in sensu reduplicatiuo explicandae) non vana esset aut inutilis.

§. 621. Ad personales referunt etiam nonnulli 2 Sam. VII. 19. Verum contextum hic si consulamus, tam commate 18, quam

quam 20, 22, 24, 25 semper DEVM adloquitur Dauid in Vocatiuo. Ergo et sine dubio in nostro. Ergo sensus: O Domine, haec, quae de temporali mihi loquutus es, felicitate, vilia tibi videntur; quapropter et futuram per Messiam (qui ergo per nostram non excluditur aut reiicitur explicationem) addidisti. Haec institutio, informatio, ordinatio, est hominis, qui amore ductus suam erga amicum, mentem ita declarat. In versione ante A. 1544 et A. 1545, Ist das eine Weyse gegen einen Menschen, o HErr HErr? et: Erzeigest du dich HErr HErr also gegen einen Menschen? sic ipse vertit *Lutherus*. Ergo non in Nominatiuo sed vocativo reddendum. Adeoque inter personales referri potest minime.

§. 622. Quae ex naturarum in Christo vnione oriuntur propositiones, a §. 616-620 abunde demonstrauimus. Non tamen abstracta, aeque praedicari de se inuicem possunt. Nam quia naturae inter se diuersae sunt (§. 575.); et non abstracta, *quatenus sunt abstracta*, inter se uniuntur in vnione personali, sed potius concreta (§. 575.); ideo, cum talia sint praedicata, qualia permittuntur a suis subiectis (§. 200. Log.), et *hinc* modus praedicandi modum essendi sequatur; abstracta aeque de se in-

inuicem praedicari possunt minime. Qua ex ratione etiam videbis, cur de concreto vnius naturae affirmari haud possit abstractum alterius; aut, quare de concreto personae non possit dici *in casu recto*, abstractum alterius naturae? Haec enim, vnionis personalis non constituunt terminos (§. 580.); adeoque praedicata cum subiecto conueniunt minime, quamuis praedicationem in casu obliquo, possibilem non negemus. Male ergo: *Diuinitas est humanitas*, aut *diuina natura est humana natura*, et vice versa: sic, *filius Mariae est diuinitas*: ita, *Christus est diuinitas vel humanitas*. Recte vero in casu obliquo: *Christus habet diuinitatem*: sic: *diuinitas est cum humaniiate, et vice versa*, quia praedicatum in subiecto continetur.

§. 623. Quia per vnionem naturarum, diuina N. Filii Mariae Natura, et H. N. Filii DEI (§. 612.), sed inconfuse (§. 587.); omnis vero Natura habeat, quae ipsi attribui possunt (§. 56. Log.); quae attribuuntur alias (*praeter*, et *extra* essentiam, primumque eius conceptum, alias inter se confunderentur Naturae, quod absurdum) vni Naturae, attribuantur est necesse alteri quoque. Quum vero hoc modo *vnum*, pluribus competat, quod *commune pluribus* nominatur

natur (per def.); quae naturae in Christo diuinae attribuuntur, communia sunt humanae, et vice versa.

§. 624. Tantum ergo si, quae *extra* essentiam, naturis in Christo attribuuntur (§. pr.); talia vero omnium confessione *non-essentialia* vocantur; sicuti non-essentialia rei praedicata, quae ipsi competunt *per se*, *idiomata* audiunt; idiomata naturarum eadem in Christo pluribus sunt communia (§. pr.).

§. 625. Non-essentialia praedicata cum sint idiomata (§. pr.); nos in *sensu* idioma non sumere *strictiori*, quiuis videt, pro eo, quod dicitur alias in Aristotelicorum Schola, *proprium in quarto modo*; sed *latiori*. Omnia enim, quae de re dici possunt, vel sunt essentialia *constitutiua*, quae rem ipsam efficiunt, adeoque ad primum rei conceptum pertinent (§. 14. et 54. Log.), vel *consecutiua*, quae et *attributa* seu *propria* dicuntur, et sunt illa, quae ex re ipsa fluunt, seu si mauis, quae, posita essentia actuali, vt actualia etiam simul ponuntur. Denique quia res varias habere relationes potest (§. 63. Log.); ideo, ob has etiam, quaedam ipsi attribuuntur, sicut et ob ea, quae ipsi competunt accidentia. Quoniam itaque *accidentia*, *relationes*, (ad has enim, vel ad acciden-

tia, *actiones* et *passiones* referas, perinde *iam* erit; ad non-essentialia easdem pertinere sufficit) et *attributa*, ad non-essentialia referri queant praedicata; omnia haec, ad nostra, de quibus hic sermo est, idiomata in sensu latiori, pertinent quam certissime. Sic e. g. diuinae Naturae idiomata sunt: *esse omnipotentem, omnisapientem, omniscium, aeternum, immortalem* &c. H. N. *nasci, loqui, pati, vulnerari, dormire, sitire, mori, sepeliri &c.*

§. 626. Si ergo idiomata in Christo pluribus sunt communia (§. 624); *status* vero plurium, quae eadem idiomata communia habent *idiomatum communio* dicitur; in Christo idiomatum necessario est statuenda communio. Contrarium enim, si negas, finge. Statim vero ex contradictionis principio, subiectum sine iis, quae ipsi quacunque ratione conueniunt, praedicatis et affectionibus esse, aut quia modi modus esse nequit, sed semper in substantia, cuius modus habetur, hi existunt (§. 18. Ont.), sine substantia hos (quorsum et reliqua §. pr. praedicata pertinent) relationesque existere non posse, videbis. Ergo posita naturarum in Christo communione, quam, nisi in Haereticorum castra transire volupe est, sine dubio concedis (§. 612.); concedenda erit omnium naturae alicuius idiomatum praesentia,

sentia, et inde resultans communio. Idiomatum ergo communio in naturarum communione fundatur ex eaque sequitur (§. 617.)

§. 627. Porro quia naturarum communio ex communicatione harum (§. 614.) et haec, ex vnione vnitioneque personali oritur (§. 615.); praeterea idiomatum haec ob unionem contingentem (§. 581.); contingens est communio; actus quidam, quo eadem idiomata pluribus fiunt communia, qui *communicatio idiomatum* dicitur, necessarius est quoque. Quoniam vero communicatio idiomatum, ex vnitione naturarum sequitur (per antec. et §. pr.); eodem communio et communicatio idiomatum concipienda est tempore (conceptionis scil. humanitatisque productionis) quo naturarum vnitio est facta. (§. 615.).

§. 628. Quam (§. pr.) idiomatum adstruximus communionem et communicationem, ex aliis etiam probari rationibus potest. Primo enim expressis communionem idiomatum confirmat, Script. S. dictis. Sic Christo cummunicata legitur *omnipotentia* Dan. VII. 13. 14. Matth. XXVIII. 18. *Omniscientia*, Coll. II. 3. Es. XI. 2. Joh. III. 34. XVI. 30. XXI. 17. V. 27. 1 Cor. IV.

5. *virtus viuificandi* Joh. VI. 50. 51. 53. seqq. 1 Joh. I. 7. Joh. V. 21. Ita, 2) Coll. II. 19. In quo enim tota plenitudo Deitatis (ad quam idiomata etiam pertinent, quaeque non separari possunt, alias non *tota plenitudo* esset) habitat, illi etiam idiomata diuina sunt communicata; atqui in Christo &c. Ergo. Porro 3) hanc idiomatum communionem incarnationis finis exigit (§. 583.), quem vberius infra declarabimus. Nam sine hac, *infinitum* (sed *finitum* modo) non habuissent Christi actiones pretium, et sic *infinitae* iustitiae diuinae satisfactio non potuisset praestari. Psalm. XLIX. 8. hinc sanguis DEI proprius requirebatur Act. XX. 28. Quam vere enim 4) DEVS redemit ecclesiam, tam vere proprium habet sanguinem. Atqui DEVS vere, redemit ecclesiam; Ergo etiam vere proprium habet sanguinem. Non vero sanguinem habet proprietate *naturae:* ergo habet illum proprietate personae, siue propter *personalem vnionem,* et consequenter *idiomatum realem appropriationem.* Quodsi 5) communio idiomatum negatur; naturae in Christo plane ad se sunt incommunicabiles, sed falsum est posterius (§. 612.); ergo et prius; alias Samosateni haeresin amares (§. 619.).

§. 629. Communicatio idiomatum in natura-

turarum communicatione et vnitione fundatur, ex eaque sequitur (§. 627.). Ergo quia H. N. est F. D. et F. D. Nat. est Filii Mariae Natura (§. 612.); ideo diuinitatis idiomata sunt etiam humanitatis idiomata; et humanitatis idiomata, sunt etiam diuinitatis. Nos vero *communicatiue* haec afferere, et non sine omni respectu, minimeque absolute loqui, quis non videt? Ergo idiomatum *communio* est reciproca. Ast, quia diuinitas humanitatem quidem, non vice versa vero humanitas, diuinitatem vniuit secum, sed tantum ab hac est assumta (§. 598.); sua quidem, cum humanitate, idiomata communicauit diuinitas; sed non vice versa; etiamsi diuinitatem, illius assumsisse, non negemus, sed potius affirmemus. Quis ergo positis hisce, *communicationem* idiomatum reciprocam statuere audebit?

§. 630. Ergo quia vnio naturarum in Christo realis est (§. 586.); communio vero idiomatum ex vnione illa sequitur (§. 627.); communio quoque, et sic etiam communicatio idiomatum, realis dici meretur. Adeoque non est *verbalis*, ita vt, quae naturae cuidam *per se* competunt idiomata, alteri non competant re vera, quamuis de ea praedicari queant (§. 586.). Multo minus est *ficta* (§. 32. Log.) Nam qualis communio,

talis est vnio, ex qua illa sequitur (§. 615.); si itaque communio tantum verbalis est; vnio esse non potest realis, sed tantum verbalis, quod est Nestorianum (§. 603.)

§. 631. Idiomatum itaque communio in naturarum cum fundetur vnione (§. 627.); naturae vero vel in concreto vel abstracto considerari possunt (§. 618.); ideo variis exprimi modis potest. Hinc vt eo distinctiores, modi, communionem hancce exprimendi euaderent; in varias, et commode satis, distinxerunt classes Script. S. Doctores. Talis vero classis indicans, quo idiomatum communio, exprimi possit modo, *communicationis*, rectius (§. 626. 627.) *communionis idiomatum genus* ab iis salutatur. Hinc videndum, quotnam et quae huius communionis sint genera?

§. 632. *Primum* ergo *communionis* (*communicationis*) *genus* efficiunt quo DEVS sibi vendicat, quae sunt hominis, et homo, quae sunt DEI. Quia vero DEVS et Homo concretum est (§. 618.); definiri etiam potest communionis idiomatum genus, quo, idiomata vnius naturae, competunt *concreto* alterius *naturae*. Etsi autem *vulgo* per *praedicationes* describatur; ipsa tamen vt recte monet B. Bajerus in Comp. Th.

Th. Pos. §. 17. de Pers. Christ. *formalis ratio*, non in ipsis praedicationibus, sed reali communicatione, quae praedicationibus fundamentum praebet, constituenda videtur.

§. 633. Ergo quia in primo communionis idiomatum genere, idiomata vnius naturae, competunt *concreto* alterius naturae (§. pr.); modus vero praedicandi, modum sequitur essendi (§. 616.); *subiecti* loco, *concretum naturae* (diuinae vel humanae) loco praedicati, *idioma alius*, quam in subiecto nominata est, Naturae (si per propositiones velis exprimere) est ponendum. e. g. *Deus est passus. Auctor vitae est interfectus* Rom. VIII. 32. *Filius DEI proprius pro nobis omnibus in mortem est traditus.* Ioh. VI. 62. Filius hominis erat in coelo. Et sic etiam Matth. XXVI. 64. Gal. IV. 4. Rom. V. 10. 1 Joh. I. 1. 2. Gal. II. 20. Luc. I. 35. Rom. I. 3. Act. XVII. 31. XX. 28. etc. Tales vero propositiones, per quas idiomatum in Christo communio exprimitur, dicuntur *praedicationes seu propositiones idiomaticae.*

§. 634. Duas ergo harum praedicationum statui possunt species, sc. 1) quibus de Concreto naturae diuinae, idioma humanum; et 2) de concreto naturae humanae, idioma diuinum *denominatiue* enunciatur (§. pr.).

Primum genus *a Cyrillo Alexandrino* ἰδιοποίησις siue *adpropriatio*; a *Damasceno* ἀντίδοσις *mutua largitio*, aut τρόπος ἀντιδόσεως dicitur; quamuis prior species ab aliis ἰδιοποίησις posterior κοινωνία τῶν θείων nominetur.

§. 635. Non sine ratione (§. pr.) adiecimus vocabulum *denominatiue*. Ita enim non *abstractiue* nos sumere quiuis videbit, s. vt praedicatum, sit nomen ipsius formae denominantis, et attributum, qualitatem, actionem aut passionem in casu recto significet. Neque enim v. g. dicimus: Mariae filius est omnipotentia; Dominus gloriæ est crucifixio; filius DEI est passio, mors etc. sed vt praedicatum sit nomen adiectiuum aut participium (siue expressum siue in verbo latens) vbi in casu recto suppositum significatur; attributum, qualitas, actio, aut passio etc. in obliquo connotatur v. g. Filius Mariae est omnipotens i. e. suppositum habens omnipotentiam, Dominus gloriae est crucifixus i. e. persona, cui accidit crucifigi, vti bene monet *B. Bajerus* l. c. §. 18. Nam quia communicatio seu communio idiomatum in communione naturarum fundatur (§. 614.); ideo praedicationes idiomaticae primi generis, sequuntur ex propositionibus personalibus. Ergo et hic modus praedicandi sequi essendi modum debet.

§. 636.

§. 636. In propositionibus idiomaticis primi generi subiecti loco *concretuum naturae* ponitur (§. 633). Inueniuntur autem propositiones etiam, in quibus subiectum est *concretum personae*, praedicatum vero idioma alterius naturae e. g. *Christus est splendor Gloriae Patris; Christus est natus ex Patribus.* Quaeritur ergo: num ad idiomaticas referri queant? Verum quia idiomaticae, ex propositionibus personalibus sequuntur (§. pr.); idem quod de his (§. 620.) iudicium valet. Adeoque recte idiomaticae, sed *formales*, seu *reductiue tales* nominari possunt; et quidem primi generis, quia vbique subiecti loco est *concretum*.

§. 637. Verum quia naturarum non est facta confusio (§. 587.), idiomata, quae alterius naturae concreto conueniunt, ipsi non competunt per se, sed propter naturarum tantum communionem (§. 627.). Recte hinc Sc. S. ductu, per particulas διακριτικας κατα, διά, εν, εκ etc. ad maiorem intelligentiam explicarunt Doctores Theologi e. g. Rom. IX. 5. vbi de eo, qui est DEVS *super omnia*, adeoque de concreto diuinae naturae, enunciatur το nasci ex patribus (quod est idioma naturae humanae); additur autem προσδιορισμὸς, *secundum carnem*, vt intelligas praedicatum competere subiecto, non

secundum eam naturam a qua subjectum hic denominatur, sed secundum naturam alteram, qua carne et sanguine constat; vt recte explicat *Bajerus* l. c. (§. 635.). Et sic etiam in reliquis Act. II. 1. 30. Rom. I. 3. 2 Cor. XIII. 4. 1 Pet. III. 18. IV. 1. 4. etc. vid. loca §. 633. excitata. Facile autem ad quamnam praedicata pertineant naturam, perspicere poteris, adplicata regula: talia sunt praedicata, etc. (§. 200. Log.). Hinc subiecti natura et essentia est consideranda.

§. 638. Verum dicis: ita (§. pr.) *αλλοιωσιν* doces, qua aliud loco *subiecti* verbis ponitur, aliud vero intelligitur, quam **im Bekänntniß vom Abendmahl Christi** 1528. Tom. III. Jen. p. 454. detestatus est, et tamquam diaboli laruam reiecit noster *Lutherus*. Sed salua res est. Per *αλλοιωσιν* enim nostras qui explicant propositiones, improprias nominant et tropicas, adeoque per *solam naturam humanam*, subiecta exponunt; quales non agnoscimus. Nam qui, si ita explicamus, sensus inde oritur? certe ridiculus atque ineptus. Ecce: DEVS *est passus carne*; sensus: *humana Christi natura possa est secundum humanam naturam*, seu, *humanitas est passa secundum humanitatem*. Nonne particulae diacriticae superfluae? vbi vero DEI sapientia?

§. 639.

§. 639. Quia communio ad ſt idiomatum (§ 626.), et abſtractum ſine concreto eſſe nequit (§. 618.); idiomata diuinae naturae competunt etiam *abſtracto* humanae Chriſti naturae. Quodſi vero idiomata ſ. perfectiones vere diuinae, *humanae* Chriſti naturae in *abſtracto* communicantur vel attribuuntur; a noſtris, id Theologis dicitur *communionis (communicationis) idiomatum genus ſecundum.*

§. 640. Idiomatum communio oritur ex communione naturarum (§. 627.) et haec, ex vnitione perſonali (§. 615.). Ergo idiomata illa et perfectiones diuinae, humanitati quidem competunt *realiter* (§. 630), ſed *communicatiue*, adeoque humanitati ſimul cum diuinitate et non *per ſe:* etſi numero ſint eadem, quae diuinitati inſunt. Ergo humanitati competunt, non *extra*, ſed *intra* vnionem perſonalem cum λογω.

§. 641. Porro quia naturarum in Chriſto vnio, facta fuit inconfuſe (§. 587.); ideo communicatio illa non facta eſt 1) per eſſentialem aut naturalem effuſionem proprietatum diuinae naturae in naturam humanam: quaſi humanitas Chriſti eas per ſe, et a diuina eſſentia ſeparatas habeat: aut 2) quaſi per illam communicationem humana natura in Chriſto naturales ſuas pro-

proprietates prorsus deposuerit, vel 3) in diuinam naturam conuersa, aut 4) diuinae naturae, communicatis illis suis proprietatibus in se ipsa, et per se, exaequata sit; aut 5) quod vtriusque naturae eaedem aut certe aequales, naturales et essentiales proprietates sint et operationes.

§. 642. Si ergo perfectiones vere diuinae, humanae naturae communicatae sunt abstracto (§. 639.); vel omnes sunt communicatae; vel non. Hoc propter DEI simplicitatem (§. 29.) quae nullam in DEO separationem admittit, fieri potest minime; ergo omnes. Col. II. 9. Matth. XI. 27. Non vero datae sunt Christo, vt DEO, qui perfectissimus; ergo vt homini.

§. 643. Verum dicis: Ita humanitas Christi habet perfectiones infinitas, quia DEVS ens infinitum (§. 27.). Resp. non est absurdum; modo attendas, esse hoc, propter communionem, hypostaticamque cum λογω vnionem, adeoque *communicatiue*, non *per se*. Psalm. XLV. 8. Act. X. 38. Joh. III. 34. Christus autem *loquens* et *missus* secundum humanam, vt contextus loquitur, naturam describitur. Quibus obseruatis canon quoque cadit: *finitum non est capax infiniti*. Finitum enim hic non est

mere

mere finitum, sed cum infinito est vnum (§. 577.)

§. 644. Ergo omnes si humanae Christi naturae communicatae sunt perfectiones diuinae (§. 642.); communicata etiam est *omniscientia*. Col. II. 2. 3. Joh. III. 34. II. 24. 25. Omnisapientia enim supponit, ob finium mediorumque omnium repraesentationem et ordinationem (§. 53.), omniscientiam. Ergo et *omnipotentia* Joh. V. 19. 21. Matth. XXVIII. 18. Equidem ἐξουσιαν summum ius, auctoritatem et agendi potestatem, haud raro denotare, non negamus; at quid ius, quid potestas moralis sine physica? Nonne frustra? id quod de *sapienti* DEO nec cogitari, nec fingi potest. vid. 1 Cor. IX. 4. 5. Luc. V. 24. Joh. XVII. 2. Ebr. I. 2. II. 8. Ergo et *potestas iudicandi* Matth. XVI. 17. XXV. 31. Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. 1 Thess. IV. 16. Ergo et *potestas viuificandi*, seu concedendi vitam aeternam. Joh. VI. 26. 58. 1 Cor. XV. 21. 22. 45. Ita porro potestas peccata remittendi inde sequitur omnino; Matth. IX. 6. vbi Christus summam hanc peccata remittendi potestatem, ex omnipotentia, qua miraculose sanavit paralyticum, deducit; quae tamen soli DEO competit, qualem tamen minime, sed solum purumque hominem eum susceperunt Judaei.

§. 645.

§. 645. Porro omnia si C. H. N. communicata sunt (§. 642.); communicata etiam est omnipraesentia (§. 60. Th. N.). Verum omnipraesentiam dicis contradictoriam; πολυτοπία enim corpori tribui non potest. Tunc esset, resp. si ei *per se, naturaliter* tribueretur et *essentialiter,* non vero si *modificata,* si *maiestatica,* si *personalis.* Omnis enim res ad *definitionem* redit *praesentiae* et corporis. Statim autem praesentiam, inter relationes, referendam videbis. Quia itaque praesentia, rerum supponit existentiam (correlata enim in relatione abesse non possunt (§. 58. Log.); *praesentia rerum* in genere nil est nisi status, quo ens in aliud agere, vel ab altero pati potest. Bene, dicis, sed non sufficienter; si *adessentiae;* si ἀδιαστασιάς vocabulum addis, concedam. Verum quid aliud hoc est, quam vocabula *praesentiae* synonyma addere, quibus vero nec rem explicas, per definis (§. 105. Log.). Permanet ergo, quam (§. 60. Th. N.) adduximus, definitio. Ergo quia omne, quod existit, corpus, ex materia constat essentia et natura, quae vis in corpore motrix est, vt in Cosmologia nostra abunde id probamus; contradictio sane non est, si λογος immensas vires cum viribus corporis Christi, (de mentis enim viribus dubitabit certe nemo) coniungat, animamque pariter et corpus Christi,

h. e.

h. e. totam H. N. in omnibus per id cuncta operando, omnipraesentem sistat. Ergo omnipraesens est humana Christi natura non qua H. N. per se, vt in principio h. §. monui, naturaliter et essentialiter, sed qua cum λογῳ persona est coniuncta, eodem numero omnipraesentia. Adeoque quia H. N. cum persona λογῳ vnum exhibet συνθετον (§. 579.); non potest non vim suam operandi immensam in et per carnem exercere. Modificatam autem ex operatione DEI in rebus creatis omnibus, et tamen in solis regenitorum mentibus discere poteris. conf. Matth. XXVIII. 20. vbi Christus praesentem se sistit qua H. N. vbique, secundum quam ipsi data est omnis potestas. Ergo omnipraesentia, et tamen absentia H. C. N. sed sine contradictione (obseruata nostra distinctione) statui potest.

§. 646. *Ergo si omnia* attributa Christi H. N. sunt communicata (§. 642) attributa DEI ipsi competunt, vt Theologorum chorus loquitur, non solum ἐνεργητικὰ *operatiua*, per quae DEVM nobis vt operantem cogitamus; sed et ἀνέργητα *quiescentia* vel *non-operatiua*: quae ex opposito clarent (§. 64. Log.)

§. 647. Ergo praeter dicta (§. 644. 645.) H. C. N. competunt quae Cap. I. de DEO pro-

produximus attributa operatiua (quo et conseruatio, concursus generalis, productio miraculorum etc. pertinent); quamuis in Sc. S. expressis verbis non contineantur. Alia vero enascitur quaestio, an non-operatiua etiam tibui queant? Sunt enim: absoluta necessitas, immutabilitas, aeternitas, incorruptibilitas, simplicitas, independentia inuisibilitas, infinitas, immensitas, vnitas, quae fusius explicauimus Cap. I. vtpote quae contradictionem importare videntur. Sed salua res est, modo obserues, quod haec mediante et interueniente alio ἐνεργητικῷ, de Christo secundum H. N. denominatiue enuncientur. e. g. Humanitas Christi est omnipotens, per omnipotentiam aeternam, immensam etc. aut *communicatiue* omnipotens. Adplicanda ergo et haec sunt, quae de omnipraesentia (§. 645.) adnotauimus.

§. 648. Excipis: proprietates seu attributa diuina esse ipsum DEVM, humanam vero N. non potuisse fieri DEVM, adeoque nec omnipotentem etc. Sed distinctio inter naturarum in Christo vnionem, et naturaram confusionem aut conuersionem, quam negamus (§. 587.), totum euertit dubium.

§. 649. H. ergo C. N. omnia communicata sunt attributa diuina (§. 642.). Cui vero

vero attributa diuina competunt, ille est adorandus (§. 35. I. N.); H. ergo C. N. est adoranda. Scil. quia H. N. communicatiue habet attributa (§. 642.), ita et honor, gloria, et cultus religiosus ipsi competit *communicatiue*. Vnio vero naturarum et hinc resultans communio idiomatum est aeterna (§. 584.); ergo et cultus duret in aeternum. Ioh. V. 23. Phil. II. 5. 6. 10. 11. Matth. II. 11. XXII. 43. seqq. XXI. 9. Ebr. I. 6. 1 Ioh. I. 7. Marc. XVI. 19. Dubia ex Matth. IV. 10. Apoc. XXII. 9. modo inter solam H. C. N. et inter cum λογω vnitam distinguas, facile corruunt.

§. 650. Quia vero ex vnione hypostatica, multa in humanitate Christi, dona creata et infusa, attributa vero Deitatis esse, negant Pontificii (Bellarm. de Christo L. III. C. IX.) sed male (§. 646.); commentum cultus *hyperduliae*, quem H. C. N. tribuunt, facile potest refelli. Errant vero et alii, qui cultum H. N. C. praestandum non relinquunt, sed vel per accidens tantum, humanitatem adorandam; vel inter *totum Christum* adorandum, et inter *totum Christi* distinguunt; qui, ex negata communicationis idiomatum doctrina, ortum trahit, error. Ergo huius ante omnia sunt conuincendi; id quod κατανθρωπον (negari enim commu-

nio sic naturarum debet), *etiam* fieri potest.

§. 651. Quia itaque H. C. N. competit honor, gloria et cultus religiosus (§. 649.), nec non attributa diuina (§. 642.); recte de abstracto H. C. N. idiomata praedicantur diuinae naturae. Tales vero *propositiones*, dicuntur *idiomaticae secundi generis* (§. 639. 644.).

§. 652. Ex eadem §. pr. ratione, et quia complexus omnium perfectionum in DEO, gloriam eius seu maiestatem absoluit (§. 36. Th. N.); recte secundum hoc communionis idiomatum genus dici potest *maiestaticum, maiestatis communicatio*, ὑπερύψωσις Phil. II. 9. δόξασις Ioh. XVII. 5. et a *Damasceno* μετάδοσις *impertitio sc. gloriae et excellentiae diuinae*, μεταποιησις.

§. 653. *Tertium* iam *communionis idiomatum genus*, quod Theologi adducunt, considerandum esset, quo sc. operationes ad officium Christi pertinentes, vtrique in Christo naturae sunt communes, dum vtraque ad illas confert, quod est suum. Verum cum de officiis Christi nondum simus loquuti; ob principia, quae desunt, necessaria, genus illud describi atque declarari iam non potest.

§. 654.

§. 654. De officiis ergo Christi ante omnia est agendum (§. pr.). Quodsi autem pro Genere hum. Christus spopondit (§. 433.); et pacta seruanda (§. 185. I. N.); ad impletionem huius foederis seu pacti iam est obligatus (§. 436.). Actio vero ad quam obligamur, dicitur *officium*. Christo ergo obseruanda sunt officia.

§. 655. Promisit autem DEO satisfactionem Christus (§. 433.). Ergo est eius officium (§. pr.). Quum itaque satisfactionem praestans, *temporales* in se suscipere poenas cogatur (§. 54. Diss. prol.); et Christo competit. Hinc non infirmitates solum (§. 554.) sed corporis etiam dolores, immo et mortem ipsam in se suscepisse, in quam plurimis, passionem praesertim qui describunt, locis, non sine maxima animi commotione legimus. Matth. XXVI. XXVII. Marc. XIV. XV. Luc. XXII. Ioh. XIX.

§. 656. Verum, quia damnationem aeternam omnium perferre etiam debet expiator (§. 48. Diss. Prol.) ergo et Christus (§. 433.). Sed hoc fortasis est, quod negas. Nam quia in perpessione poenarum aeternarum damnatio consistit, vbi a beatifica damnati excluduntur visione (§. 148. Th. N.); alia mala sentiunt etiam quam plurima, qualia sunt

dolores, poenitentia, (quia se vt auctores et causas malorum considerare coguntur) *desperatio,* ob nunquam finiendas, quas certo perspiciunt poenas; odium *inde,* et *ira* in DEVM aliosque, inprimis beatos; *ignis* etiam quem Sc. adiicit infernalis, Matth. XXV. vlt. etc. Quia itaque omnia haec in passione, non in se suscepit, neque persensit Christus (ob silentium Sc.); ideo aeternas Christum, in se suscepisse poenas, negabis. Verum sic Socinianorum errorem defendis facile tamen remouendum. Nam, distinguas velim, inter poenas *intensiue,* et *extensiue* infinitas. Hae sunt perpessiones malorum infernalium *sine fine.* Illae vero sunt perpessiones malorum infernalium quoad omnes gradus *essentiales.* Quia itaque cum Christo communicata est omniscientia (§. 644.); omnes non solum dolores sibi infernales repraesentare, sed *interne* sentire eosdem *potuit.* Quod vero *actu* etiam haecce persenserit; ex effectibus, ipsisque dictis et factis in pasione, elucet. Docet id non solum derelictio illa Matth. XXVII. 46. sed et tristitia Matth. XXVI. 38. quae talis fuit ac tanta, ut sudorem exprimeret sanguineum; angelicaeque confortationis necessitas Luc. XXII. 43. 44. cet. Nam quia harmonia adest animam inter atque corpus (§. 153. Psych.); ex effectibus in corpore conspi-

conſpicuis concludi poteſt ad dolorem, qui in mente cum his coniungitur, intenſiſſimum. Faciliores enim corporis motus non ſequuntur intenſiores mentis dolores (per exper.). Deinde 2) diſtinguas, inter *eſſentiales* et *accidentales* damnatorum poenas. Nam quod ignem e. g. infernalem attinet, aliaque, quae a Diabolo damnatis inferuntur mala; haec ad accidentalia damnationis tantum pertinere, quiuis eo faciliori concedet modo, quo magis inter modos et *media*, ex quibus *ſenſatio ingrata*, quae poenam ſolummodo, et non ignis, utpote *medium* poenae, conſtituit) debeat referri. Quum itaque ſenſationem, quam ignis producit infernalis, habere Chriſtus potuit (per antec.); infernalis etiam ignis *poenam* omnino ſenſit *omniſcius* Chriſtus. Idem etiam iudicium de aliis ſupra adductis, quae damnati patiuntur, malis, valet. Nam etiamſi non ipſe deſperarit, quod ob temporis, quo paſſio peragebatur, breuitatem, quam diſtinctiſſime proſpexit, itemque quia ἀναμαρτητος, nec non ob ſolutionem, quam mox demonſtrabimus, ſufficientem atque poſſibilem, eſſe potuit minime; poenas tamen, ſeu malorum, quae ex deſperatione oriuntur, ſenſationes, habere potuiſſe, (quia damnationem aeternam pertulit (per antec.), facile liquet. Et ſic etiam

de reliquis. Equidem inter poenas desperationem esse referendam, negare non audemus (ob def.); non tamen ad *essentiatia* poenarum infernalium praecise, quia inter modos pertinet (per antec), pertinere affirmamus. Ergo ad accidentalia.

§. 657. Verum sine omni, quod excogitari poterit, peccato, Christus erat (§. 501.). Ergo non *pro se*, has in se suscepit poenas (§. 655. 656.). Ergo pro aliis. Omne vero quod existit, creator est et creaturae (§. 116. Theol. N.). Creaturae vero (nam de Deo nulla hoc modo nobis mouetur controuersia) rationales sunt, vel irrationales. Pro his, quia nulla in eas cadit moralitas, adeoque nulla poena, neque praemium (§. 11. Ph. Pr. Vn.), perferre mala haud potuit. Ergo pro rationalibus. Rationales quantum ex Sc. scimus, vel angeli sunt, vel homines. Si pro angelis; vel bonis, vel malis; genus enim tertium non datur (§. 64. Log.). Non pro illis; quia non peccarunt, adeoque redemtione non habent opus. Non pro his; quippe qui ipsi malorum, quae sustinent, causae sunt et auctores (§. 261.), hominesque ad lapsum seduxerunt, quibus etiam Protoplastorum peccatum per consensum interpretandum demum, at recte tamen, imputatur; quod de Diabo-

Diabolis, qui non generant, dici non potest, qui fide saluifica non credunt Iac. II. 19. adeoque mitiori, ob iustitiam DEI, digni sunt iudicio, quae omnia infra clariori modo demonstrabimus. Remanent ergo *homines* et quidem *soli*: qui adeo Redemtionis per Christum factae, recte obiectum dici merentur. Ioh. III. 18. 1 Tim. II. 5. 6. Ebr. II. 16. vid. b. Baieri diss. in h. l.

§. 658. *Vicarius alterius* dicitur, qui pro altero aliquid praestandum suscipit. Christus ergo hominum hac in parte est vicarius; et passio eius recte *vicaria* dici potest (§. pr.).

§. 659. Et quia gratia DEI vniuersalis (§. 457.); Vicarius Christus est catholicus, pro *cunctis* et *singulis*, hominibus puta. Iesa. LXIII. 3. Actor. IV. 12. 1 Timoth. IV. 10.

§. 660. Si itaque Christus est vicarius catholicus (§. pr.); omnium vice gustauit, immo potius exhausit poenarum temporalium (§. 655.) et aeternarum (§. 656.) poculum. Quod quia homines sentire debuissent, vt laesae Maiestatis et iustitiae diuinae fieret satis (§. 44. Diss. Prol.) praestitit Christus DEO id, quod ab hominibus

iure postulare potuit, vt facta hinc tanquam non facta considerare possit. Talis vero actus dicitur *satisfactio* (§. cit. Diss.); Christus ergo recte dici poterit *satisfactor* ex asse, et quidem catholicus.

§. 661. Ergo satisfactio Christi non solum vniuersalis est (§. pr.); sed etiam *victoria* (§. 658.). Ergo non *particularis*; quod male multi negant.

§. 662. Ergo si vniuersalis (§. pr.); non solum pro electis; sed et reprobis Ioh. III. 16. vid. etiam supra de foedere gratiae. 2 Pet. II. 1. 1 Cor. VIII. 11. 1 Tim. IV. 10.

§. 663. Si satisfactio Christi est vniuersalis (§. 661.); spectat etiam ad omnes, omnique tempore in V. et N. T. viuentes Hebr. IX. 15. tanquam DEI, per naturam, *Hostes*, ipsi conciliandos Rom. V. 10. Col. I. 20.

§. 664. Et quia *vniuersalis* gratia *seria* est (§. 457.); per satisfactionem vero gratiam illam rursus adipiscimur (§. 660.); satisfactio Christi pertinet ad omnes quoad *acquisitionem* s. destinationem seriam. 1 Tim. II. 1. 6.

§. 665.

§. 665. Quamuis vero satisfactionis vocabulum in Sc. S. haud reperiatur, sed tantum inter ecclesiasticos referri debeat terminos; aliis tamen, idem significantibus, exprimitur. Dicitur enim *Redemtio* Rom. III. 24. *Reconciliatio* 2 Cor. V. 13. seqq. Per illud enim, pretium pro captiuo sufficiens; per hoc vero, non sine λυτρῳ, quale iustitia diuina laesa, ab expiatore seu conciliatore poscit, satisfactionem factam esse indicatur. 1 Tim. II. 5. 6. Non ergo inde contra satisfactionem formari dubium potest.

§. 666. Ergo si vicaria est (§. 661.); errat *Socinus* cum asseclis, qui P. III. de Christo seruatore C. VI. debacchatur: *Etiamsi non semel, sed saepe id in sacris monumentis extaret, Christum pro peccatis nostris diuinae iustitiae satisfeciſſe, non idcirco tamen rem prorsus sic se habere crederem.* Errant ergo et *Fanatici, Quakeri, Bourignonia, Poiret, Anabaptistae*, qui reuera hic Sociniani, etiamsi negent, *Christianus Democritus*, et *Democritus Christianus*, *Dippelius* ille, qui docent omnes: morte Christi homo lapsus salutis tantum ita capax factus est, vt partim officio procurationis meae, partim exemplo, virtute spiritus vitae gratiae eius, quae in Christo est, particeps, malum semen eradicare, et ad ve-

ram sanctitatem internam, quae redemtio (proprie dicta) altera et interior sit, peruenire et eniti possit. Probant quidem sententiam 1) *poena peccatorum per surrogationem alterius non potest aboleri.* Sed Resp. Distinguimus *nolentem* inter atque *volentem;* nec non inter eum, qui *ius vitae* et necis in se plenum habet; et qui non. Ioh. X. 18. Ebr. X. 10. Ps. LIII. 12. 2) *Iustitiam DEI singulis hominibus ob propriam et inhaerentem sanctitatem retributionem decernere.* Resp. Nonne filius in humanis etiam pro patre, aut socius pro sociis? 3) Si Christus peccator factus, a DEO aversum fuisse. Resp. Non *peccator,* sed *peccatum:* deinde peccata non erant *per* et *ab eo* perpetrata; sed *imputatiue* ipsi tribui possunt. 4) *Doctrina satisfactionis auertit homines ab officio, et sanctitatis studium euertit.* Resp. Est a) fallacia accidentis; b) et quia vera non potest consistere sanctitas, nisi interueniente praestructa placatione hominis; ideo argumentum potius debet inuerti; dum c) fines subordinati confunduntur, Pet. II. 21. seqq. 5) Si reconciliatio per satisfactionem facta; non opus est eius intercessione. Resp. infra contrarium demonstrabimus, adeoque nobis imputari non potest. 6) Homo fine satisfactione remittere potest peccata, multo magis DEVS. Resp. Est fallacia a dicto secundum

cundum quid, ad dictum simpliciter; neque homo e. g. magistratus sine satisfactione condonare potest peccata. Deut. XIII. 8. Rom. XIII. 4. immo nec priuatis semper ob perfectionem propriam omnibus etiam I. N. iniunctam. 7) Ex Matth. VI. 12. XVIII. 15-28. seqq. Resp. Simile non extendendum vltra tertium; de *sinceritate* enim et *promtitudine* tantum est sermo. 8) DEVS ergo non est omnipotens. Resp. Disting. inter absolutam potentiam et respectiuam et ordinatam. Non dicam in hoc et pr. dubio esse vitium Anthropomorphismi (§. 44. Th. N.); et aggratiationem supponere, minime admittendam (§. 42 D. P.). 9) Ex Eph. II. 5. 8. Resp. subordinanda hic sibi opponuntur. Posita enim satisfactione, oritur gratia, quae locum antea non inuenit. Et quia nullum homo meritum habet; manet ex gratia. Immo ipsam Sc. S. determinationem adiicit, Eph. I. 7. Rom. III. 24. 10) Paulus ergo etiam satisfecit Col. I. 24. it. 1 Ioh. III. 16. Resp. dist. inter *satisfactionem* et *commodum*, den Brüdern zu gute, vbi satisfactio? 11) DEVS dicitur peccata ferre Exod. XXXIV. 7. Num. XIV. 18. DEVS tamen non satisfecit. Est a) fallacia diuisionis Ies. LIII. 4. b) נשא etiam significat *condonauit*. Ergo loca nihil probant.

§. 667.

§. 667. Instant porro Sociniani: ergo Christus sibi ipsi satisfecit; quod absurdum. Negamus absurdum. Nam quia satisfactionem laesa poscit iustitia diuina (§. 45. Ph. Pr. Vn.) iustitia vero attributum est essentiale tribus personis commune (§. 139.); ideo rectissime *toti* SS. Trinitati adeoque et sibi ipsi Christum satisfecisse affirmare possumus; modo attendas ad diuersam, quae hic intercedit relationem; in re ipsa nihil mutantem; sc. aliud est Christus *mediator*, aliud *Legislator*, *Dominus* et *vindex legis*.

§. 668. Si porro satisfactio particularis non est, et ad *solos* spectat homines (§. 657. 661.); errant non solum *scholasticorum* nonnulli, sed et alii, qui Christum angelis, non gratiam quidem, aut conseruationem in bono et mysteriorum quorundam reuelationem meruisse statuunt vid. *Becanus* Theol. Schol. P. III. Tr. III. C. XIV. Errant etiam *Fanatici* quidam nouiores, qui et angelos Christum assumsisse, deblatterare haud erubescunt; quos *Wernsdorffius* refutauit Progr. Nat. Ao. 1725. Qui particularem statuunt sententiam probant: 1) Sic omnes iri saluatum. Resp. disting. inter acquisitionem (§. 664.) et applicationem salutis, Ioh. III. 16. 2) ex Matth. XV. 24. Sed disting. inter satisfactionem, de qua h. l. non agit, et inter

ter miniſterium inter Iudaeos αὐτοπροσώπως obeundum, et miracula. 3) ex Ioh. X. 15. eſt fallacia diuiſionis; non enim additur pro *ſolis*. 4) ex Matth. XX. 28. Diſting. inter multos *diſtributiue* et *collectiue* tales. Haud raro enim Sc. multos ponit pro omnibus Dan. XII. 2. Rom. V. 19. vid. Cap. de foedere gratiae. Quod angelos attinet, probant ſententiam 1) ex Eph. I. 21. 22. ſed caput, eſt ratione dominii vniuerſalis, non vero reſpectu ὁμοουσίας. 2) ex 1 Tim. V. 21. ſed non electi ſunt in Chriſto.

§. 669. Porro dicis: ſi ad omnes, etiam in V. F. pertineat (§. 663.); cur non ibi et quidem *ſatis clare*, (non ergo de obſcuritate controuerſia) reuelatum, quae *Remonſtrantium* eſt ſententia, vid. *Confeſſ.* et *Apolog.* Cap. VIII. IX. *Epiſcopius* in Inſt. Theol. L. V. Sect. V. T. I. Opp. *Curcellaeus* Inſt. R. C. L. IV. C. XI. Probant ſententiam 1) ex Act. XVII. 30. Reſp. non a) de omnimoda, ſed comparata, et b) non de *Iudaeis*, ſed *paganis* ſermo. 2) ex Rom. XIII. 12. 1 Theſſ. V. 3. Verum a) certo reſpectu concedi poteſt totum; quod vero dictum attinet poſterius, b) de animorum ſtatu morumque corrupto loquitur Paullus, non de reuelatione diuina; id quod etiam c) Paullus idem *Iudaeis*, ob praeiudicia *coecis*, non

vero

vero Sc. obiicit; vid. etiam 2 Pet. I. 19. 3) Gen. III. 15. non apparere promisſionem ſpiritualem, nec de merito Chriſti in N. T. explicari. Verum ſunt a) plurima, quae de Chriſto in V. T. agunt, loca, in N. non adlegata; ergo et reiicienda? abſurdum! Nonne b) Serpenti Chriſtus opponitur 2 Cor. XIII. Ap. XII. Aliud indicat Chriſtus Ioh. V. 39. Nihil iam de orali, quam Patres ſumma adhibuerunt diligentia, inſtitutione et propagatione Gen. XVIII. 19. dicam. Nonne etiam Abelis fides praedicatur? Ebr. XI. 4. 26. cuius notitiam ex verbo DEI ſine dubio hauſit Rom. X. 16. conf. Ebr. XI. Rom. IV. Gal. III. Act. XXVI. 22. Gen. XLIX. 10. 18. Ebr. XI. 24. ſeq. III. 5. Rom. III. 21. Et quid de Prophetarum dictis luculentiſſimis dicam? Ieſ. VII. 13. ſeq. coll. LIII. tot. Ier. VII. 21. ſeq. IV. 12. V. 3.

§. 670. Quia ſine ſatisfactione, nulla gratia (§. 44. Diſſ. Prol.); et aggratiatio locum habere hic non poteſt (§ 42 Diſſ. Prol.); ſatisfactio, poſita DEI in humanum genus gratia, et ex aeternis poenis liberatione, neceſſaria eſt (§. 41. Ont.). Quum vero, quae certa ſub conditione aliter eſſe nequeant, hypothetica neceſsitas audiat (§. 41. Ont.); ſatisfactio Chriſti neceſſaria eſt, ſed hypothetice. Ergo non abſoluta (§. 41. Ont.).

Ont.). Nam si homines non peccassent, Christi incarnatio non esset facta (§ 582); ergo aliter res quoad satisfactionem, sese habere potuit; adeoque non est absolute necessaria Matth. XXVI. 39. 42. Absolute enim impossibilia desiderare atque appetere haud potuit (§. 100.).

§. 671. Quamuis vero satisfactionem absolute necessariam statuere nequeamus (§. pr.); non tamen in *Remonstrantium* hoc modo percurrimus castra. Hi enim sententiam quod potuisset DEVS, si voluisset, omnino gratis, sine vlla satisfactione generi humano peccata condonare, tuentur. vid. *Apolog.* et *Episcopius* in Inst. Theol. L. V. Sect. V. T. I. *Curcellaeus* Inst. R. C. L. V. Cap. XVIII. *Limborch* in Theol. Christ. LII. Cap. XII. Probant sententiam 1) satisfactionem, contra loca esse, quibus DEVS misericors, clemens, tardus ad iram, transgressionum non velle recordari &c. dicatur. Resp. Subordinanda hic opponuntur, dum remissio peccatorum, prius locum habere non potest, quam praestita est satisfactio. vid. etiam (§. 666). 2) ex absoluto DEI in omnes creaturas dominio. Verum nonne hic vitium committitur Anthropomorphismi (§. 44. Th. N.)? maxime abominandum. Homo equidem interdum gratis condonare peccata potest, quia

quia non semper in actionibus illius conspicitur harmonia, necessario tamen *de iure* obseruanda, quamuis, de quo tamen non est sermo, de facto id fiat minime; aliter vero sese res, sanctissimi DEI respectu habet, qui harmoniam postulat (§ 59 .). 3) Si non gratis; ex necessitate puniret absoluta et necessaria. Verum non fit sine ratione sufficiente, adeoque argumentum, sine contradictione hoc modo concedi potest. Immo sapientia DEI per satisfactionem praestitam, multo illustrior redditur. Alias enim singulis momentis iustitiae vltricis specimina ederet iustissimum Numen. Immo ex eadem satisfactione, *temperata* sapienter per *longanimitatem iustitia*, mitior, quam peccatum promeruit poena deriuatur.

§. 672. Homines peccatores, temporales et aeternas adeoque infinitas pati atque sustinere debent poenas (§. 48. Diss. Pr.). Quum ergo temporales et aeternas, seu infinitas Christus pro hominibus satisfaciens, in se suscepit poenas (§. 655. seq.), tale passus, quod omnes pati debuissent. Per poenam ergo, quam Christus in se suscepit, diuinae iustitiae vindicatiuae ex asse respondens pretium persoluit. Quum itaque eiusmodi poena, *satisfactio* dicatur ισοῤῥοπος,

ρος; pretium, quod pro nobis persoluit Christus, sufficiens est, et adaequatum. Ita etiam δικαίωμα Rom. V. 18. quod L. V. Eth. C. VII. al. X. Arist. explicat ἐπανόρθωμα τῆς ἁδικήματος (satisfactionem accuratam) idem probat Rom. VIII. ult. id quod emtio quoque indicat, quo uocabulo Sac. utuntur Scriptores, 1 Cor. VI. 20. 1 Petr. I. 17. Apoc. V. 9.

§. 673. Errant ergo *Remonstrantes, Episcopius* Inst. Theol. L. V. Sect. V. T. I. *Curcellaeus* inst. R. C. opp. f. 300. seq. *Limborch.* Theol. Christ. L. III. C. XX. qui mediam *Nostros* inter et *Socinianos* eligunt viam; et, accedente diuina acceptilatione, DEVM iratum placare, *qualicunque praestatione* affirmant. Probant quidem, 1) Christum non passum esse mortem aeternam, neque *extensiue;* quia supra tres horas passio in cruce non duraverit; neque *intensiue,* quia sub irae diuinae pondere non desperauerit. Verum vide (§. 656) et Ebr. II. 9. nam sicut in militaribus, vnius persona Principis, aequiualet ex iure stricto plebeiis longe plurimis redimendis captiuis; ita quoque in Oeconomia salutis. 2) Quia alias gratia tollitur; resp. vid. (§. 671) 3) Sacrificia V. T. per solam acceptilationem habuisse *in se* vim placandi DEVM, Leu. IV. 20 seqq. V. 10 seqq. Sed

non *in propria*, Ebr. X. 4. seqq. potius *mutuatitia* ex Christi sacrificio; non iam dicam, male a Sacrificiis imperfectis, quibus mors Christi opponitur, ad hanc concludere Remonstrantes. 4) Iniuste DEVM, praestito iam pretio, poenam bis repetiturum. Distinguendum inter satisfactionis *acquisitionem* et adplicationem; cum nemo iam actu damnetur, sec. Oeconomiam pacti Euangelici, legali succedentis, nisi ob *contemtum meriti Christi*, et quia eo merito frui, h. e. fidei legem implere nolit. (§. 675.)

§. 674. Quodsi uero satisfactio Christi, expletiua est, et sufficiens (§. 672.) et quidem eo fine suscepta, vt homines ab aeterna liberi esse queant damnatione (§. 656) non solum pro peccatis non-connatis, seu actualibus (§. 375.) adeoque etiam pro ἁπιστια temporaria; sed et originali, originante pariter ac originato satisfecit (§. 339.) 1 Ioh. I. 7. Qvum vero omnia haec peccata decalogus prohibeat Ex. XX. 1 seqq. complexus vero legum decalogicarum, *lex operum* salutetur Rom. III. 20-27. pro peccatis, in legem operum commissis, Christum satisfeciisse, est manifestum.

§. 675. Quae fidem in Christum iniungit, *lex fidei* dicitur Rom. III. 24. Quia itaque

itaque non credens (*finaliter*) in Christum, damnatur Ioh. III. 18 aeternam poenam promeritam, iuste patitur talis (§. 40. Disc. Prol.) Si hoc; non pati debuit Christus, quae nonnullorum est sententia; alias DEVS, qui ob iustitiam, in qua, vt in reliquis, quae ipsi competunt, attributis, harmoniam obseruat (§. 59. 67.) duplicem peccato irrogasset poenam; Christus ergo pro incredulitate *finali*, quae est peccatum contra legem fidei, (per def.) satisfeciisse non videtur. Ebr. X. 26 27. Vbi Paulus recte concludit: si nullum voluntarie peccantibus sacrificium (expiatorium) supereſt; neque etiam sacrificium Christi (§. 56 Log.) Ita etiam 1 Ioh. I. 7. recte concluditur: *Si ambulemus in luce*, sanguis Christi mundat nos. Et quia, qui legi fidei suas non conformiter dirigit actiones, in foedus operum recidit, per quod damnatur (§. 323.) ideo huic meritum Christi adplicari non potest, neque imputari, quia non consentit (§. 25 Ph. Pr. Vn.) adeoque esset frustra, quod a sapientissimo haud potest exspectari. (§. 104 Pn. oc.) Consentit etiam B. *Scherzerus* in systemate Theol. p. 167. *Iam quis dicet* inquit, (loquitur autem de finaliter impoenitentibus) *Christum hac conditione mortuum esse pro hoc peccatore, vt nihilominus ille saluetur, etsi finaliter sit incredulus, et in impoenitentia moriatur, aut mortuum esse,*

vt finalis impoenitentia non noceat, quanquam peccator sciens, volens vsque ad vltimum vitae halitum media gratiae respuat, et in incredulitate decedat? quanquam etiam aliter respondeatur ab aliis, nempe satisfactionem Christi ad omnia tempora se extendere, excepto vltimae vitae momento, quod statum mutat, et cum transitu in infernum est coniunctum. Pro απιστια quidem, dicis, finali satisfecit Christus; ast non-adprehensio meriti eius, salutis consecutionem impedit. Verum, pergunt illi, progressum hic latere in infinitum, qui minime potest *admitti. Nonne, perpendas quaeso non-adprehensio* illa, rursus est απιστια finalis? Ergo et Christi satisfactio pro illa quoque valet? Si affirmas, quaerunt, cur homines tamen non saluentur? Ad nouam hinc non-adprehensionem tibi est confugiendum; quae rursus απιστια est finalis. Hinc quaestionem suam repetunt illi; tu vero eandem profers responsionem, quibus omnino progressus oritur in infinitum.

§. 676. Dicis: si omnes in se Christus poenas suscepit (§. 656.) cur illae non tolluntur in totum? Respondemus, quia ad diuinarum legum obseruationem homo est obstrictus (§. I. Diss. Prol.) qui uero ob libertatem, qua gaudet, beneficiis, ad illam non semper potest adduci; sapiens vero media

media adplicat, vt finem ſuum obtineat (§. 102.) hinc malis etiam, quae fugit homo (§. 128 Pſych.) vt motiuis actionum, vtitur DEVS. Manent ergo poenae in nexu rerum vt motiua, ad legum obſeruationem, id quod iam ex ſtatu conſpicitur integritatis. Et quia ſublatis e nexu poenis, gratia per Chriſtum parta, facile ad ſecuritatem abvti poſſet; ideo ex hac etiam ratione poenae ex mundi nexu exterminari certe nequeunt. Quis vero ſapientiam miſericordiamque numinis et hac vice non admiratur?

§. 677. Quia vero Chriſtus vt homo (§. 479.) animal eſt (per def.) animal uero ſanguine profuſo, vita priuatum h. e. *mactatum* et in honorem DEI conſecratum, *ſacrificium cruentum* audit; Chriſtum, ſacrificium cruentum eſſe, ſatis conſtat. Ebr. VII. 27 IX. 7. 12 - 28. X. 4 - 10.

§. 678. Et quia Chriſtus, vt DEVS (§. 100.) uitam tamen ſibi haud prorogauit, ſed *ſponte* potius vt *Dominus uitae et necis* hoſtibus ſe ſuis tradidit Ioh. X. 18. Semet ipſum ſacrificavit, ſeu ſacrificium cruentum, quod *victima* etiam dicitur, DEO obtulit, Ebr. IX. 12 Eph. V. 2.

§. 679. Et quoniam non pro ſe ſatisfecit

Christus (§. 657.) victimam hanc DEO pro se obtulisse dicere haud possumus (§. pr.) sed pro toto genere humano expiando (§. 659.)

§. 680. Ergo quia victimam non pro se obtulit DEO (§. pr.) et satisfactio eius ισοῤῥοπος (§. 672) DEVS etiam tanquam sapiens nihil facit frustra (§. 54.); neque postulari, neque praestari hodie amplius potest atque debet. Ergo semel tantum est peragendum; quale dicitur *monadicum*. Ergo sacrificium Christi est monadicum. Ebr. IX. 12. seqq. X. 14. Rom. VI. 9. 10. Ergo durat etiam in coelis non patiendo quidem Rom VII, 9. et expiando Ebr. X. 26. immo nec post mortem adplicando 2 Cor. VI. 2. Ebr. IX. 27. Koh. IX. 4 seqq. 10. XI. 3. at *effectum* tamen, post adplicationem fidei in hac vita, *aeternum*, virtute huius officii continuando Ebr. VII. 21 24. vid. Zeltneri Tabb.

§. 681. Errant ergo *Pontificii*, qui inter sacrificium Christi *cruentum*, semel in ara crucis oblatum, et *incruentum*, in missificantium ara infinities iterandum distinguunt; de quo in Sc. S. nec uola adest nec vestigium. Ebr. X. 22. Probant quidem sententiam, 1) ex Apoc. XIII. 8. sed est,

etiamsi

etiamsi in textu non occurrat, efficacia, et ratione sc. decreti, praeconii et typorum. 2) Ebr. IX. 24. sed distinguendum inter *oblationem*, et *intercessionem*, de qua, non de illa hic est sermo; adeoque vitium committunt elenchi.

§. 682. Quatenus Christus poenas nostras in se suscepit; eatenus ipsi tribuimus *obedientiam passiuam*; Christi ergo obedientia passiua erat necessaria (§. 656.) Phil. II. 8.

§. 683. Verum quia ad exactissimam legum diuinarum obseruationem homo est obstrictus (§. I. Diss. Prol.); quod vero ob perpetuam peccati, quod semper ad mala mortales impellit, originalis inhaesionem fieri nequit (§. 374.) alius et hoc respectu pro hominibus satisfacere debuit DEO. Quum vero id a Christo qui sine peccatis (§. 501.), praestari facile potuit, videndum, an Christus *obedientiam* seu *satisfactionem actiuam* pro hominibus etiam praestiterit; tribuimus enim *obedientiam actiuam* Christo, quatenus DEI imperantis nostri voluntati perfectum loco nostri obsequium praestitit.

§. 684. Per exactissimam legum diuinarum obseruationem, vitam homines consequuti fuissent aeternam (§. 296.). Ergo

quia, vt sibi vitam aeternam acquireret Christus, non necesse fuit; *pro se* vt legem impleret, non erat obstrictus. Nam quia vt DEVS, beatissimus (§. 95.); vt homo, propter communicationem idiomatum indissolubilem (§. 627.), beatitudine illa, sine omni alia conditione, frui potuit omnino. Ex qua idiomatum communicatione aliud etiam *Socinianorum* tolli dubium potest, a creatura rationali, et Israelita, legibus diuinis naturalibus certe et positiuis subiecto, desumtum. Nam quia omnis diuina Maiestas, atque imperium et dominium ipsi communicatum fuit (§. 642.); alia, ab aliis creaturis rationalibus quam maxime diuersa, Christus est concipiendus. Ergo actiuam non pro se praestitit obedientiam. Errant ergo *Sociniani*, qui Christum sui ipsius causa legi obedientem fuisse sibique ipsi exaltationis gloriam, tanquam praemium obedientiae suae acquisiuisse, putant; id quod ex communicatione refellitur solide.

§. 685. Quod vero neque pro angelis bonis, aut malis seu diabolis, neque pro brutis praestiterit; eodem, quo supra (§. 657), probabitur modo. Ergo pro *solis, cunctisque* tantum hominibus. Matth. V. 17. III. 14. 15. Gal. IV. 4 5. Ebr. X. 7. Rom. V. 19.

§. 686.

§. 686. Ergo si legem pro hominibus perfecte seruauit (§. pr.) lex vero naturalis est et positiva; quae rursus, vt alias taceam, ceremonialis est et moralis (§. 51. Ph. Pr. Vn.); omnibus hisce legum speciebus *exactam* obedientiam praestare tenebatur. Matth. III. 15. Luc. II. 21. 22. seqq. Ioh. VII. 10. Luc. XXII. 1 - 15. Ioh. IV. 34. Phil. II. 8. Ioh. VIII. 49. Psalm XXII. 10 seqq. Matth. XIV. 23. XVII. 24. seqq. Luc. XXIII. 34. XIX. 26 seqq.

§. 687. Ergo si legem perfecte impleuit (§. 685.); actiones suas secundum leges diuinas composuit. Talis vero dicitur virtuosus (per def.); Christus ergo virtutibus erat praeditus; quae in *naturales*, per solas rationis vires possibiles diuiduntur et *Christianas*, quae ex fide proficiscuntur in Christum. Quum itaque in se ipsum credere non potuit Christus, vtpote quod alienam respicit satisfactionem; Christianas ipsi (quamuis naturales) tribuere non possumus.

§. 688. Ex eadem §. pr. ratione, *operum* tantum, non *fidei* legem impleuisse Christum, constat (§. 674. 675.).

§. 689. Quia itaque legem operum nostri

loco impleuit (§. pr.); et pro nobis est mortuus (§. 655.); actiua et passiua sua obedientia DEO satisfecit Christus.

§. 690. Vt vero actiuam pariter ac passiuam Christi satisfactionem acciperet DEVS, plurimas ad DEVM misit preces. Ita praecatus est pro piis Ioh. XVII. 11 - 24. et pro impiis, qui sequentibus conuersi sunt temporibus, et qui non fuerunt conuersi. Luc. XXIII. 34. Act. II. 36. seqq. III. 13. seqq. Pro his ergo vt conuersionem eorum procuraret; pro illis, vt constantiam eorum et incrementum in fide ac sanctitate promoueret. Quoniam vero impii, fide non sunt praediti, ideo recte *hoc sensu* Ioh. XVII. 9. se orare pro mundo Christus negauit, ita vt negatio illa intelligenda sit non *simpliciter*, sed *secundum quid*, vt bene monuit B. Baierus in Compend. Theol. de Christo. Ergo intercessit pro omnibus. Ps. 53.

§. 691. Quodsi desiderio mentis solo seu interno, oramus, *intercessio* dicitur mentalis; si vero et verbis hoc desiderium enunciamus, *verbalis*; et si re ipsa fit, *realis* nuncupatur.

§. 692. Christum ergo verbaliter pro nobis intercessisse constat (§. 690.). Et quia

quia verbalis sine mentali esse nequit (§. pr.); etiam mentali; quae ex commercio etiam mentem inter atque corpus probari potest.

§. 693. Et quia pro hominibus omnibus satisfecit Christus (§. 660.), quo ipso, salutem, si volunt, habere possunt aeternam (§. 443.): hinc realiter etiam intercessisse clarum est (§. 691.). Ergo intercessio Christi, vniuersalis etiam est dicenda. Quoniam vero alio respectu pro piis, alio vero precatus est pro impiis (§. 690.); ideo *hoc respectu*, intercessio eius etiam est particularis.

§. 694. Si itaque satisfactio Christi in coelis quoque durat (§. 680.); hac vero realiter intercedit (§. pr.) intercessio realis fit etiam in coelis. Hinc quanam nunc amplius in coelis vtatur, quaestio oritur? Quoniam scil. vt DEVS semper hominum vult desideratque salutem (§. 457.); id quod, ob arctissimam naturarum communionem (§. 614.), amoremque erga genus humanum, summum, de humana quoque natura valet; ideo et mentalis, in coelis est concedenda. Ast quia iam per realem, satisfactionemque expletiuam, omnia nobis bona, adeoque gratiam etiam fiduciamque acqui-

acquisiuit (§. 443.); verbalis superflua et minus necessaria videtur. Quodsi enim haec in coelis continuanda esset; realis vel nondum sufficiens esset; vel verbalis existeret superflua. Verum enim vero hoc cum sit absurdum (§. 672.) et DEVS nihil frustra faciat (§. 41.); verbalem in coelis locum habere non posse, quiuis videt. Accedit, quod verbalis DEVM tanquam nobis iratum, et nondum placatum sistat, alias non esset opus, quod vero praestita iam satisfactione, cogitari certe non potest. Adhaec, statum exinanitionis innuit verbalis, qui vero in coelis de Christo dici non potest. Nam qui pro altero verbis intercedit, iudicem agnoscit potestatemque, qualem et aequalem eandemque habere et exercere simul non valet. Quum vero in coelis ad dextram DEI Patris Christus sedeat Matth. XXII. 44. *verbaliter* orare certe nequit; id quod ipse Christus, de tempore peractae iam satisfactionis loquens, quod contextus docet, Ioh. XVI. 26. testatur.

§. 695. Probant quidem contrarium sentientes 1) ex 1 Ioh. II. 1. Verum παράκλητος non *aduocatus* solum, qui verbis rem causamque alterius tuetur, sed et *consolator* dici meretur, qui (προς) *aduersus* Patrem iratum motiua acquiescentiae et

volupta-

voluptatis peccata dolentibus praebet; adeoque est aduocatus; sed *realis*, 2) Rom. VIII. 34. Verum contextus realem docet non verbalem. Nam postquam satisfactionis fecit mentionem commate 32; quis, pergit damnet nos? Nonne Christi satisfactio adest et quidem completa, id quod, praeter alia ex sessione ad dextram DEI intelligitur, et qui *hoc modo*, peracta scil. satisfactione sua, pro nobis intercedit. Omnium ergo, quae hic recensentur, bonorum rationem in satisfactione Christi collocat Apostolus, quae realis est, non ergo verbalis (§. 691.) ex qua, illam non deducit; 3) Ebr. VII. 24. 25. vbi Christus semper viuens dicitur εις το εντυγχάνειν. Verum et hic, realem contextus comprobare videtur. Nam comparatione inter reliquos V. T. sacerdotes summos et inter Christum, institutа, de satisfactione tantum loquitur Apostolus vers. 23 coll. 27. quae realis (§. 691.). Deinde etiam vocabulum hoc in genere nil denotat aliud, quam *interesse*, *intercedere*. Vbi vero probatio, quod et in nostro loco fieri debeat *verbis*? etsi in aliis hunc sensum fundere, concedamus. Maiori potius, consideratis iam dictis, probabilitate nixis contrarium defendere licet, ad ductum locorum Ebr. IX. 24 X. 12. 14. Non enim intercessio a nobis negatur; attamen etiam restrictionem illam, quam

quam alii volunt, praeter neceſſitatem haud admittimus. Neque etiam in *ſola* eam adparentia ponimus.

§. 696. Quoniam vero quae in tempore fiunt, a DEO ab aeterno ſunt decreta (§. 76. Th. N.); vt itaque Chriſtus ſe ipſum in ſacrificium offerret cruentum, precaretur-que pro omnibus, ab aeterno iam a DEO erat decretum. Ergo ad haec perficienda deſtinatus erat. Ebr. V. 5. Perſona vero in V. T. ad ſacrificandum et orandum pro populo, deſtinata, dicta eſt *ſacerdos*: Chriſtus ergo eſt ſacerdos (§. 677-695.) Ebr. III.-X. et quidem *proprie* et *vere* ſic dictus iam in hac eius vita, contra *Socinianos*, qui ipſum poſt aſcenſionem tantum ſacerdotem agnoſcunt, et ſeſe ad ſacerdotii in coelis demum obeundi adminiſtrationem ſolum praeparaſſe nugantur. Sed vbi in coelis altare?

§. 697. Quia itaque per ſatisfactionem, homines redemit Chriſtus (§. 672.); adeo-que vt gratiam rurſus DEI habere, aeter-naeque ſalutis participes fieri queant (§. 443.); ideo officium hoc Chriſti, *ſacerdotale* non ſolum, ſed et *mediatorium*, *redemtorium* et *ſaluatorium* recte dici poteſt. 1. Tim. II. 5. 6.

§. 698.

§. 698. Verum non *sacerdotem* modo, sed *summum* etiam, eum vocat Script. Ebr. III. 1. IV. 14. qui quolibet anno semel tantum in sanctissimum intrabat. Etsi ergo in templi sanctissimum quotannis se non reciperet; nihilominus tamen in maioris praestantiorisque templi sanctissimum, coelum puta intrauit, et quidem, quia sacrificium Christi monadicum esse debuit (§. 680.), vt semper quotannis intraret, non fuit opus; sed sufficit intrasse coelum per totam suam vitam *semel*. Ergo recte in Sc. S. summus adpellatur sacerdos.

§. 699. Ex §. itaque praecedente, sacerdotem inter V. T. et Christum sacerdotem differentiam perspicere licet. Nam 1) ille in sanctissimum manibus confectum; hic intrabat in coeli Ebr. IX. 24. 2) hic pro alienis, illi pro alienis et propriis, officio fungebantur peccatis Ebr. VII. 26. 27. 28. 3) illi repetere necesse habent; illius erat monadicum (§. 680.); 4) illi animalium, hic proprium obtulerunt sanguinem Ebr. IX. 12. X. 5 seqq. 5) illius sacrificia typi erant et vmbrae, huius erat Antitypus Ebr. VIII. 5. IX. 9. 23 24. X. 1. Hinc 6) illi non nisi in virtute perfecti sacrificii a Christo suo tempore praestandi, profuerunt hominibus; hic virtute propria et infinita.

7) Illo-

7) Illorum officium, sine iuramento, huius, secundum iuramentum est factum Ebr. VII. 20. seqq. 8) illi erant homines *puri* et *soli*; hic DEVS et homo. Hinc illi mortales, successoribusque habebant opus: hic minime Ebr. VI. 20. VII. 17-24. 9) illi peccatores; hic sine peccatis. V. 2. VII. 26. 28. 10) illorum erat *Leuiticum* secundum praecepta DEI; Levi filiis iuncta; huius secundum ordinem *Melchisedeck*. Nam quemadmodum hic Salemi sacerdos Gen. XIV. 18 nec antecessores, nec successores habuit; et quemadmodum neque Genealogiam et patrem, matremque eius, neque initium, aut finem vitae Script. adducit, etiamsi comparationem eum inter et Christum, (a quo itaque diversus) adhibeat Ebr. VII. 3. ita et respectu Christi. Hinc etiam, vt 11) ex familia Aaronis originem traheret, non fuit necesse; quamuis ratione illorum. Ebr. VII. 14. Hinc Luc. II. 22 seqq.

§. 700. Denique quia intercessionis Christi quoad pios, vt in fide persistant, quoad impios vero vt conuertantur, finis est (§. 690.); post consummationem seculi impiorum conuersio nulla; piorum vero in bono confirmatio sequitur, vbi ισαγγελοι gloria excidere non poterunt (§. 259.); intercessio Christi post consummationem seculi, et

et hinc etiam sacerdotale officium, locum non amplius habere videtur. 1. Cor. XV. 24. Ephes. V. 27. Nec obstat, quod sacerdos dicatur aeternus. Ebr. V. 6. VI. 20. nam non de sacerdotii *duratione* et *continuatione* actuali; sed de *fructu* (quo respectu aeternum, quod non negamus, omnino dici potest), sermonem esse, ex Ebr. IX. 11. seqq. discere possumus.

§. 701. Et quia naturarum non solum in Christo est communicatio, sed et idiomatum (§. 577. 627.); *viribus* et *humanis* perfecta est obedientia Christi actiua et passiua, naturae pasionum mutationumque capacis Ebr. IV. 1. VII. 14, et *diuinis*, valorem *moralem* et piacularem, infinitae iustitiae DEI respondentem addentibus, humanamque naturam sustentantibus, Ebr. IX. 14. Act. XX. 28. 1. Ioh. I. 7. Es. LXIII. 5. adeoque secundum vtramque naturam.

§. 702. Ergo secundum vtramque naturam, nostrum esse mediatorem, redemtorem et saluatorem, ex §. pr. et §. 697. cognoscere possumus; et quidem, propter sacrificium monadicum, (§. 680.), vnicum. 1. Tim. II. 5. 6.

§. 703. Ceterum, quia Christus pro toto

humano genere spopondit (§. 437); caput est eorum repraesentatiuum (§. 304). Sed vtraque natura hoc foedus promissionemque impleuit (§. 701.). Ergo tale caput est secundum vtramque naturam.

§. 704. Si ergo vnicus tantum est mediator (§. 702.); plures cum *Pontificiis* statuere non licet. Obiiciunt quidem 1) *Mosen* Deut. V. 5. Gal. III. 19. sed distinguendum, inter mediatorem *referentialem* et *vadimonialem*. 2) *Hiobum*; sed hic orare debuit pro amicis non vt *mediator*, sed vt alius servus DEI, et pius quilibet Iob. XLII. 9. 1. Tim. II. 1. seqq.

§. 705. Si itaque secundum vtramque naturam mediator est (§. 702); *Osiandristae* apud *Schlusselburg*. Catal. Haeret. LIV. errant, qui secundum solam diuinitatem; et *Stancaristae* cum *Pontificiis* (vid. Bellarmin L. V. de Christo) qui secundum humanitatem tantum, vt mediatorem agnoscunt. Et quia DEO est consubstantialis (§. 118.); male etiam in inferioritate mediatorium officium quaerunt Sociniani.

§. 706. Duplicem DEVS hominibus legem praescripsit, Decalogicam et fidei (§. 674. 675.). Quod priorem attinet (de naturalibus

bus, in Theologia iam positiua nobis non est sermo) a Pharisaeis maximopere erat corrupta, quam a variis istis corruptelis optime Christus repurgauit Matth. V. VI. VII. Ad posteriorem si respicimus, impoenitentibus et fidei legem negligentibus, non grauitatem solum peccatorum, DEIque iustissimam iram ostendit Matth. XXIII. Luc. XIX. 41. seqq. sed contritis etiam remissionem peccatorum annunciauit. Marc. I. 14. 15. Luc. IV. 18. Ioh. III. 16. Decalogicam ergo fideique legem Christus docuit et explicauit. Hinc *legalis*, quamuis *secundario* et *euangelicus*, *primario*, doctor dici meretur Iesaias LXI. 1. seqq. Matth. XI. 5. Ioh. I. 16.

§. 707. Quodsi vero per operum legem homines saluari non possunt, cur ergo, dicis, operum seu decalogicam explicauit? Sed facilis est responsio. Nam quia per hanc, salutem aeternam quaerere sunt conati hoc tempore Iudaei; rigorem legis impossibilitatemque per eam ad salutem perueniendi, docere debuit Christus, vt ad amplectendam fidei legem, praeiudiciaque deponenda, eo faciliori modo ad aeternam salutem (§. pr.) adduci possent Iudaei.

§. 708. Ergo nouus est legislator Christus dicis. Erras. Nam quae speciosa hic profe-

runt

runt dubia Sociniani, ſtatim inter *nouam legem*, et *vlteriorem* deprauatae a Iudaeo, *legis explicationem*, et *renouationem* adhibita diſtinctione, corruunt. Legi tamen omnino meretur elegantisſima Ven. *Feuerlini* Theologi iam Göttingenſis conſummatisſimi, de hac materia diſſertatio. Nam 1) Matth. V. 22. ſeqq. non Moſi, ſed potius αρχαιοις opponit, quo nomine Riſchonim, traditionum propagatores, ſeniores, ſtylo Talmudico frequentiſſime adpellantur, id quod ex commate 33 et 43 quoque patet. Ita etiam 2) odium erga inimicos (nam gentis cananeae, militare odium erat non morale) iniunctum, ex Leu. XIX. 18. *Polygynia, concubinatus, repudium*, quae *toleravit* DEVS, ſed non *mandauit*, ex Matth. XIX. 4 - 8. cadunt. 3) Ioh. XIII. 34. tollitur ex uerſ. 15. ſc. a priori diſtinctum. 4) Sacramenta vero N. T. ſunt *ritus*, non *leges morales*.

§. 709. Variis etiam uaticinia occaſionibus produxit, iam impleta. e. g. de morte reſurrectione ſua, iudaico excidio, fatis eccleſiae, Mundi fine etc. Matth. XX. 18. 19. XXI. 43. XXIII. 34. 38. XXV. 31. ſeqq. Ioh. X. 16. XIII. 36. XXI. 18.

§. 710. Porro euangeliſtarum ſi euoluimus ſcripta, Chriſtum, doctrinas, non ex

Sc. V. T. et ratione, experimentisque probasse; sed miraculis etiam et sua ipsius vita confirmasse, ex iis perspicere possumus. Matth. XXII. 31. 32. VI. 25. seqq. Ioh. VII. 17. X. 25. V. 36. 37. VI. 27 28-40. Quoniam vero *efficacem alicuius doctrinam* adpellamus, si ita proponitur, vt alter de veritate propositionum conuincatur; Christum, quia principiis vsus fuit indubiis, nulloque modo reiiciendis, (maiora certe quam Script. ratio, experientia, et miracula cogitari non possunt) maxima docuisse efficacia constat. Matth. VII. 29. Ioh. VII. 46. Et quia haec ex natura humana in se spectata minime concipi possunt, (per pr. Psych.); per reuelationem et quidem cum alia non aderat, *immediatam*, cognoscere debuit Christus. Persona uero DEI uoluntatem, immediate sibi patefactam, aliis proponens, *Propheta* vocatur. Christum ergo Prophetam esse, quis negabit? (§. 706 seqq.) Sed Reuelatio immediata est miraculum (§. 70. Cosm.); DEVS autem si naturali quid obtinere potest modo, miracula non facit (§. 122. Th. N.); Christum, variis etiam donis instruere debuit DEVS, quae donorum collatio, *vnctio* dicitur. Christus ergo Propheta erat vnctus. Ies. LXI. 1. Recte hinc Ies. XI. 2. ei adscribitur, sapientia, intelligentia, consilium, uirtus, cog-

nitio et timor Domini, quibus sine finem obtinere potuisset minime. uid. etiam (§. 719.). Munus denique seu officium, quo Propheta fungitur, *propheticum* adpellatur. Christi ergo officium propheticum negari nequit. Errant ergo Iudaei, qui id non agnoscunt; sed vide Deut. XVIII. 18. Ies. II. 3. LII. 7. Ier. XXXI. 31.

§. 711. Qua vero ratione et efficaciter quidem, docere, futura praedicere, miracula que perpetrare potuerit Christus, statim est uidere, si modo imagine eum diuina fuisse praeditum et secundaria non solum, sed et primaria (§. 546.), itemque quod Script. affirmat, hunc in finem *vnctum* esse, perpendimus. (§. pr.) Ioh. III. 34. Psalm XLV. 8. Quodsi vero script. S. ductu, *vnctionem* consideramus, sequens inde surgit definitio, scil. quod sit actus DEI, quo Christi humanam naturam donis seu viribus spiritualibus in summo, qui in homine possibilis est, gradu instruxit. In V. enim F. non *reges* solum et *sacerdotes*, 1. Sam. X. 1. 1. Reg. I. 34. 39. Ex. XXIX. 7. sed *Prophetae* etiam 1. Reg. XIX. 16. oleo seu balsamo quodam vngebantur, quo ipso ab aliis distincti et ad certum munus inaugurati sistebantur. Et quia istis temporibus, variis publice suam maniuestauit voluntatem, modis; ideo necessa-

necessariis etiam, ad munus eiusmodi gerendum, viribus, ex effectu, omni conspicuis, instruxit sapientissimum numen. Hinc *Vnctio in genere* definiri potest: collatio virium ad munus aliquod necessariarum (§. pr.)

§. 712. Quia itaque per vnctionem vires accepit Christus (§. pr.); quod de diuina dici non potest (§. 23.); vnctio tantum facta est quoad humanam naturam, quae adeo recte *subiectum quo* huius vnctionis dici potest. (§. 25. Ont.). Es. enim XI. 1. et Act. X. 38. Iesus describitur vnctus secundum humanam.

§. 713. Ergo si vnctionis subiectum quo, humana est natura (§. pr.); quae non est ab aeterno; actus hic non est aeternus, sed in tempore factus Dan. IX. 24. qui locus ideo rursus humanae naturae vnctionem probat (§. pr.)

§. 714. Aft quia humana, cum diuina indissolubiter est coniuncta (§. 595.); *subiectum quod* huius vnctionis, tota est Christi persona indiuulsa συνθετος. Psalm XLV. 8. enim, et Ies. LXI. 1. de tota persona est sermo.

§. 715. Si in vnctione dona et vires

conceduntur ſpirituales (§. 711.) Ieſ. XI. 1. LXI. 1. *oleum* vel *vnguentum* ſeu res, qua Chriſtus fuit vnctus, ſpiritus S. eſt, eiusque dona Act. X. 38.

§. 716. Non ergo vnctio in communicatione conſiſtit idiomatum, quae dona ſpiritus S. non ſunt (§. pr.). Nam quia ſociorum, Scriptura mentionem facit. Pſ. XLV. 8. cum ſociis vero Chriſti, regibus ſcil. ſacerdotibus et Prophetis (§. 711.), idiomata non communicabantur; in communicatione illa conſiſtere non poteſt vnctio. Differentiam vlteriorem vide §. 551.

§. 717. Et quia Spiritum S. eiusque dona concedere, niſi DEVS, poteſt nemo; actus eſt DEI *Trinunius*, vtpote opus ad extra (§. 140.) Ieſ. LXI. 1. Et quoniam Chriſtus etiam DEVS eſt (§. 100.); ſe ipſum quoque vnxit.

§. 718. Non vero §. pr. Script. contradicimus, quae vnctionem Patri adſcribere ſolet. Pſalm XLV. 8. Act. X. 38. Hoc enim adpropriatiue intelligendum eſſe (§. 141.) docet.

§. 719. Quia vnctio haec a DEO (§. 717.); DEVS vero nihil fruſtra facit (§. 41.

(§. 41. Th. N.); in, et per vnctionem dona non concedere potest *infinita*. Horum enim particeps est factus per vnionem, et idiomatum communicationem, ex illa necessario resultantem. Si hoc ergo; nonne vnctio frustanea? Quoniam itaque nihilominus de vnctione loquitur Script. Ps. XLV. 8. per vnctionem non infinita, sed *finita* in Christum collata sunt axiomata. Immo et omnes in Christo concedunt, perfectiones quasdam finitas. Vnde vero illae nisi per vnctionem? Idem quoque §. 716. probat. Nam consortes eius vno eodemque laetitiae oleo vncti dicuntur; qui cum infinita in se recipere dona non possunt; nec Christi dona infinita esse constat. Et dum dona illa recensetenangelicus ille Propheta Ies. XI. 2. finita profert, non infinita. e. g. *spiritum timoris Iehovae* qui reuerentiam in Christo homine erga DEVM efficiat. Nonne virtus haec finita? Ita etiam res sese habet cum reliquis. Nam *spiritus ille cognitionis* nil est aliud, quam intima rerum (adeoque mysteriorum quoque) theoreticarum practicarumque scientia; *spir. virtutis* seu *potentiae* mediante quo, omnia, quae ad munus quoddam (quo miracula etiam referri debent) pertinent, efficere potuit; *Spiritus consilii*, quo in rebus intricatis, quae obuenerunt expediendis, par erat; *Spiritus*

intelligentiae, quo habitu principiorum cognoscendi erat praeditus (§. 18. Eth.); *Spiritus sapientiae*, quo fines mediaque rite sibi inuicem subordinare valuit; *Spiritus* denique *Iehovae* ipse est Spiritus Sanctus.

§. 720. Sed nostris te nos iugulare posse armis putas, si concludis: Si Christus imagine diuina erat praeditus (§. 546.); omnia, quae §. pr. recensuimus, dona iam habuit (§. cit.). Ergo ob sapientiam DEI, qua nihil frustra facit (§. 41. Th. N.), per vnctionem, finita illa non amplius concedere potuit dona. Ergo infinita erant. Sed 1) imago DEI in Christo, non *praecise* hominum redimendorum, sed potius *sui ipsius causa* erat dum ita ipsi fuerit essentialis, vt deponi non potuisset; quamuis maximum simul, quem praestitit, vsum non negemus. Deinde 2) in imagine diuina dona erant *sanctificantia* potius, quam *administrantia*, quae tamen ad eius officia, magis erant necessaria, quam illa. Et quia Christum *potuisse* peccare, absurdum est, maioribus 3) etiam eum dotibus instruere debuit DEVS. Quoad imaginem enim diuinam, peccandi possibilitas quae ex lapsu patet coll. Matth. IV. 1. seq. adhuc locum habet; quae vero tota a Christo abfuit et abesse debuit Ebr. VII. 26. seq. Quum itaque maiores illae vires et perfectio-

fectiones, vnguenta sunt (§. 715.) vnctionem praeter imaginem, DEI adhuc necessariam esse, abunde liquet.

§. 721. Ergo dona in vnctione concessa, maxima erant (§. pr.). Quoniam vero humanae tantum naturae propria (§. 712.); et finita (§. 719.); in summo, qui in homine possibilis est gradu, ipsi erant donata. Ps. XLV. 8. Ioh. III. 34. vbi comma 30, subiectum indicat; quod per αυτω hic supplendum. Interim phrasis haec de fidelibus non occurrit. Tit. III. 6. Eph. IV. 7.

§. 722. Ex eadem §. 720. ratione, et quia per communicationem idiomatum dona iam suscepit tot tantaque, nostrum de vnctione vt *superfluam* fortasse reiicis doctrinam. Verum etsi magnam prae se ferre speciem videatur; concedi haud tamen potest. Nam quia exinanitionis status, 1) in quo nullus idiomatum ipsi vel certe rarissimus erat vsus, necessarius erat; praeterea 2) secundum vtramque naturam redemtor atque Saluator noster est (§. 702.) hinc vnctio, qua maxima illa recepit dona, necessaria erat. Abesse itaque potuisset in se et absolute; sed non secundum Oeconomiam et ordinem a DEO constitutum. Et quia communicatio idiomatum in dicto statu, omni,

omni-, in ſenſus incurrebat minime, quod infra clariori modo exponemus; Chriſtus uero munere fungebatur Prophetico (§. 710.); et 3) hunc in finem neceſſaria erat vnctio; vt ſcil. tanquam Prophetam eum agnoſcerent atque colerent uerique ſui officii conuincerentur omnes Luc. III. 21.

§. 723. Id cuius gratia cauſa efficiens operatur, finis dicitur (§. 80. Ont.). Vnctionis ergo fines tres, ex pr. §. cognoſcere licet. Et quia per vnctionem dona tantum ad munus conferuntur (§. 711.), adeoque ſic modo initiatur homo atque praeparatur; etiam ad munus ſacerdotale, Chriſtum fuiſſe vnctum, patet (§. 711.). Quartum ergo iam habemus finem reliquos, quia ex iam poſitis non ſequuntur principiis, infra adducemus.

§. 724. Si itaque ad officium redemtorium per vnctionem initiatus tantum Chriſtus fuit, (§. pr.) et Chriſtus noſter ſecundum vtramque naturam mediator eſt (§. 702.) ſatisfactionis efficacia ab vnctione non dependet.

§. 725. Ad ſacerdotale officium vnctus etiam cum ſit Chriſtus (§. 723.) uires ad hoc munus neceſſariae eo ſtatim ſine dubio

dubio collatae sunt tempore, quo munus hocce obiret. Obiit autem illud a primo conceptionis momento, dum passiua sua obedientia, et actiua omnes nostras in se suscipiens infirmitates, DEO fecit satis (§. 545. 655 seqq.) Gal. IV. 4. hinc primo statim conceptionis momento, vnctionem esse factam constat. Quoniam vero ob finitudinem in cognitione, sapientia, aliisque uiribus creuit (§. 548.); vnctionem hancce toties fuisse continuatam, nouos quoties accepit virium gradus, dicere possumus. Ast quia per euectionem virium in maiores gradus, nouas *essentiales* non accipimus; continuatam illam vnctionem, nouam et a prima essentialiter diuersam statuere non possumus. Vnicam ergo affirmare libet, iam iam a nobis descriptam; quotidianam alias credere concedereque deberemus. Recte ergo inter *inchoatam* vnctionem distinguere possumus et *auctam* seu *continuatam*. Quodsi et hanc (*specie* autem non differunt) vnctionem nouam dicere velis, res redit ad Logomachiam quidem, inconstantia tamen erit sermonis, locutioque minus accurata.

§. 726. Uerum dicis: contrarium docet Matthaeus C. III. 13. seq. Negamus et distinguimus inter *vnctionem* (§. 711.) *et solennem inaugurationem seu institutionem, declarationem* aut si mauis *initiationem*; id quod comma statim 17 docet.

Nam

Nam beneplacitum illud Patris, Luc. IX. 35. explicatur. Si enim ipsi obsequendum; nil aliud indigitatur, quam vt ab hoc tempore, tanquam a DEO publice et solenniter institutus atque declaratus Propheta sit habendus. Cur enim, quae Luc. IX. 35. adducuntur, tanquam nouam a prioribus distinctam vnctionem non adducis; itemque quae Ioh. XII. 27 28? Ibi enim de muneris prophetici confirmatione, *dicis*, hic vero de obsignatione est sermo. Ita Matth. III. 13. respondeo de declaratione.

§. 727. Plenum vrges tamen Sp. S. fuisse Luc. IV. 1. testatur, cum munus inchoaret Propheticum, id quod ex Baptismo, ibique facta vnctione, deducis Luc. III. 22. Sed nondum de vnctione h. l. sermonem esse probasti. Aliud inde sequitur nihil, quam Christum fuisse vnctum. An vero noua hic a prioribus diuersa describatur, nullum extat in textu vestigium. Hinc omnino distinguendum, inter *vnctionem absolutam* seu *perfectam*, de qua, tanquam per tot annos gradatim et successiue facta, iam completa demum, sermo est Luc. IV. 1. (ita enim verba cum contextu sumta, sensum fundunt intelligibilem) et *inchoatam* seu *incompletam* de qua in textu nec verbum adest, nec cogitatio. Nostra potius §. pr. adducta, comm.

21. Cap. III. Luc. probatur, explicatio. Nam baptizatis omni populo et Iesu (Sacramentum initiationis instituente et sanctificante) tunc demum sub columbae forma descendebat Sp. S. et vox ex coelo; vt sc. Christum iam perfectum omnibusque numeris absolutum agnoscerent Prophetam; cui obsequendum. Cur autem Sp. descendebat S. inquis? et quidem visibili modo? Responsionem capias ex antecedentibus. Addimus tamen, ad Iesaiae vaticinii implementum Cap. XI. 2. ex quo sine haesitatione Christum, vt verum assumere Prophetam, et magnum illum, Messiam scil. ibi ibi depictum, potuissent Iudaei, testes praesentes et oculati, adeoque fide digni. Nonne vero et hoc modo rursus complementum vnctionis uides (§. 722. seqq.).

§. 728. Quia porro in sapientia (quam nulla praeuia sibi acquisiuisse institutione legimus) Christus creuit, (§. 548.); sapientia vero habitus est (§. 102. Pn. oc.); dona illa per vnctionem Christo concessa, habitus erant. Recte ergo *vnctio* haec *Christi habitualis* potest appellari. Et quoniam diuina et humana eius natura vnam constituunt personam (§. 575.); illa vero cum hac sua communicauit idiomata (§. 626.); hinc collationem horum donorum s. idiomatum,

perso-

personalem nonnulli vocare solent vnctionem. Verum quia oleum et vnguentum in vnctione, de qua Sc. loquitur, Sp. S. eiusdem dona sunt (§. 715.) idiomata vero diuina minime (§. 716.); praeterea per vnctionem praeparatur tantum persona et initiatur (§. 723.), quod de idiomatibus, quae vim et pondus addunt, concedi quoque non potest; vnctio porro gradatim aucta atque continuata describitur (§. pr.); quod rursus de idiomatibus praedicari nequit (§. 23.); denique *vsus* donorum in vnctione nunquam cessare (§. 711.), quoad idiomata vero potuit Phil. II. 6. seqq. personalem hinc statuere non possumus; nisi *abusiue* et *sensu generalissimo* seu *latissimo* admittere velimus, quo pacto res rediret ad logomachiam.

§. 729. Quibus expositis, qua ratione omni suo, quod gessit, prophetico munere fungi, eique facere satis potuerit, clare satis iam perspicere licet (§. 711.). Quodsi itaque ex idiomatum, vt alii docent, communione, quorum vsum tamen hac in vita deposuit Phil. II. 6. seqq. hoc gerere debuisset munus; saepissime vsu horum cessante, vel nihil efficere; vel mox deponere, mox iis rursus vti debuisset, quo ipso exinanitionis status fere tollitur, id quod sapientiae, quae ordinem et nexum amat, est contrarium, et

loco

loco Paulino cit. Ex noſtris vero de vnctione doctrinis omnia rite cohaerent, et non tam frequens iam nominati ſtatus interruptio cogitanda, illeque omnino, quod Sc. praecipit, in ſaluo manet. Quis uero vnctionis *neceſſitatem* ſapientiamque DEI, et hac in parte non agnoſcit?

§. 730. Errant itaque errore abſurdiſſimo *Socini* qui ſequuntur caſtra, Chriſtum, antequam tempus (quo ſc. tentabatur in deſerto) praedicationis ſuae aduentaret, in coelum a DEO raptum, ibique voluntatem DEI edoctum, docentes. vid. *Socinus* in inſt. Relig. Chriſt. p. 127. *Smalz* de diuinitate Chriſti f. II. ſeq. Nam ſuperflua non tantum (§. pr.), ſed et contra ſcript. In deſerto enim, non in Coelo Chriſtus fuiſſe dicitur; conf. etiam Ebr. IX. 12. Probant ſententiam 1) ex Eph. IV. 9. ſeqq. reſp. fuit in coelo ab aeterno vt DEVS (§. 100.). 2) Vrgent Ebr. IX. 10. 12. verba: *ſanguine ſuo.* Sed ſine ſanguine vt Pontifex, ingredi non potuit. 3) Ioh. III. 13. coll. VI. 62. 51. ſed απο τȣ κοινȣ repetendum etiam eſt in apodoſi; adeoque recte in futuro explicatur ſc. *filius tamen adſcendet;* et Chriſtus, qua filius hominis, et *qua carnem habens,* non magis de coelo deſcendit, quam actu ipſo *tunc,* cum loqueretur, in coelo erat ſeque eſſe teſtatur. 4) ad Ebr. I. 6. non de

orbe coelesti, sed habitabili terrestri, in quem per resurrectionem denuo introductus fuit, est sermo, ne dicam παλιν coniungere hic Sc. S. testimonia conf. ven. Abb. Moshemii diss. de *raptu Christi in coelum.*

§. 731. Verum et nos fortassis errare putas, quoniam per vnctionem tantas hum. Christi nat. adscripsimus (§. 711 - 729.) perfectiones, vt diuina hoc in munere non sit opus. Verum erras; nam secundum diuinam naturam, potentiam atque auctoritatem infinitam verbo et Sacramentis a se institutis coniunxit, quod b. *Baieri* etiam est sententia. Quod vero humana quoque natura hoc in officio sese praestiterit; ex naturalibus istis, qui continuo sentiebantur actibus, voce sc. gestu, halitu, saliua, etc. adhibitis, itemque ex cogitationibus, abunde claret. Gessisse itaque Christum suum munus, qua vtramque naturam coniunctim omnino affirmamus. Sine dubio ergo omnium summus est Propheta Deut. XVIII. 16-19. Luc. VII. 16. Ioh. VI. 14. VII. 40.

§. 732. Ob hoc vero, varia ipsi in Sc. S. imponuntur nomina, ita vt *Rabbi* passim in Euangelistarum scriptis vocetur, et διδασκαλος *pastor et animarum episcopus*, 1 Petr. II. vlt. *lumen mundi, lumen uerum* Ioh. I. 5-9. *lumen gentium*

tium, Luc. II. 32. *praeceptor gentium*, Ieſ. LV. 4. (conf. Ez. XXXIV. 23. Eph. I. 6.) *angelus foederis* Malach. III. 1. quod Paullus Ebr. III. 1. exprimit per *Apoſtolum* ſc. per excellentiam (Groß-Geſandte) *fidelis teſtis* 1 Ioh. V. 7. Apoc. I. 5. *Euangeliſta pacis* Eph. II. 17. etc.

§. 733. Sed dicis: Chriſtus non docuit omnes gentes; ergo ipſi nomina §. pr. non competunt. Verum etſi munus Chriſti propheticum αυτοπροσωπως et *immediate* Iudaeis tantum deſtinatum erat, Matth. XV. 24; non tamen dubium inde concedimus. Nam quia hunc in finem munus hoc in ſe recepit, vt, propter Gratiam vniuerſalem (§. 457.), omnes ſalutem haberent aeternam (§. 707.), Chriſtus vero ob ſalutis oeconomiam, infra clarius explicandam, ipſe omnes, ſequentibus etiam temporibus docere non poterat Ebr. II. 10. X. 12. Pſ. CX. 1; per miniſtros et legatos hodie vt *mediate* exerceat, eſt neceſſe. Marc. XVI. 15. 2 Cor. V. 20. 1 Pet. V. 2. ſeq. Apoc. I. 1 ſeqq. Matth. X. 1 ſeq. Luc. X. 1. 17. Eph. IV. 11 ſeq. Qui vero vices paſtoris, in officio hoc conſtitutus gerit, ſeu ſi mauis, a paſtore ſuperiori dependet *paſtor vicarius*; qui vero a nullo alio paſtore ſuperiori dependet, αρχιποιμην, dicitur.

Recte ergo ita nominari Christus potest. 1 Pet. II. 25. V. 2 seqq.

§. 734. Et quia munus Christi propheticum ad cunctos spectat homines (§. pr.); *Propheta* etiam est *catholicus* (per def.).

§. 735. Denique de initio quaedam disputanda sunt, et tempore, quamdiu sc. suum ipse munus immediate gesserit Christus? id quod ex vitae Christi historia, Paschatumque quae post baptismum suum, celebrauit, nec non ex Danielis vaticinio Dan. IX. 27. nostri deducere solent Theologi. Hic enim: *Messias,* inquit foedus corroboraturus est vna septimana *prophetica,* in qua dies ponitur pro anno h. e. septem annorum spatio; in medio vero septimanae, i. e. tribus annis cum dimidio, (propter sacrificium Antitypi expletiuum (§. 672.), cessabit sacrificium et munus Leuiticum. Quodsi itaque cum hoc comparemus Luc. III. 23. annos 30 habebat. Iam ex Ioh. II. 13. et IV. 35. coll. V. 1. quo tempore pascha celebrabatur uid. Relandi Ant. Iud. nec non VI. 4. itemque XIII. 1. si patascha computamus; complementum vaticinii inuenimus. Quoniam vero in vltimo paschate mortem subiit; pascha vero tempore celebrabatur vernali mense Abib, vel

vel Nisan Ex. XXIII. 15; tempore, propheticum munus obiisse autumnali constat.

§. 736. Ceterum officium sacerdotale (quia reuelata diuini Numinis voluntate populum instruxissent sacerdotes) referunt non nulli ad Propheticum, uid. *Gerhard* de offic. Christi L. IV. §. 321; adeoque duo tantum numerant Christi officia. Verum quia futura, nisi simul prophetae, praedixerunt sacerdotes minime, sed populum tantum, quae iam in concessa reuelatione seu Sc. S. V. T. data erant, docebant sine *immediata* reuelatione; melius accuratiusque est, si sacerdotale distinguamus a propheticо (§. 710.). Interim error non esset damnabilis, sed tantum Logomachia; siquidem in re ipsa conuenimus.

§. 737. Accedimus denique ad officium Christi *regium*. Quoniam itaque DEVS est Christus (§. 100. seqq.); DEVS vero rex est regum, et Dominus Dominorum (§. 6. Ph. Pr. Vn.); et Christo, *quoad diuinam* haec competere praedicata naturam, qui neget, certe erit nemo. Verum quia et humanae, communicata sunt idiomata diuina (§. 626.); quoad humanam etiam nostrum regem esse constat. Ps. II. 6. LXXII. tot. Luc. I. 33. Ebr. I. 8. Rex, officium gerit regium;

Christo ergo officium tale adscribendum esse patet.

§. 738. Regium hoc §. pr. Christi officium ex aliis etiam, in Euangelistarum historia quae occurrunt, actionibus concludi potest. Nam non regem solum et dominum ab ipsa natiuitate adoratum Matth. II. 11. agnitum Ioh. I. 49. acceptum Matth. XXI. 5-9. eoque nomine accusatum et condemnatum Luc. XXIII. 2. Ioh. XVIII. 33-37. XIX. 12-19. sed et mari et ventis Matth. VIII. 26. seqq. febri Luc. IV. 39. imperantem sistit Sc. S. Quodsi, quae de honore vt homini etiam ipsi competente supra demonstrauimus, addis (649.); nec non potestatem, quam habebat, in homines cum prosternendos Ioh. XVIII. 6. erigendosque Matth. IV. 23. tum cogendos Ioh. II. 15. Matth. XXI. 12. vocandos Matth. IV. 19. IX. 9. peccatorumque remissione donandos Matth. IX. 2. 6. in angelos insuper ipsi seruientes Matth. IV. 11. Ioh. I. 51. diabolosque expulsos, confessosque, quod ab ipso possint torqueri Marc. I. 24. Matth. VIII. 29. 31 etiam discipulorum potestat. subiectos Luc. IX. 1. X. 17. 19. quodque mortuos excitaret viuificaretque quos velit Ioh. V. 2. itemque quod mortuis imperauerit Ioh. XI. 43. Marc. V. 41 Luc. VII. 14. vitamque aeternam

ouibus

ouibus largitus Ioh. X. 28; Christum in res creatas, naturalesque, rationales etiam, quae DEI naturaeque domini sunt, dominium imperiumque habere satis constat. Quoniam vero plenarium communicatae Maiestatis diuinae hac in vita vsum deposuit Phil. II. 9 omnia fere haec quoad humanam perfecit naturam. Rex ergo est hac etiam in vita, quoad vtramque; id quod etiam (quia non duplex est persona, sed vna (§. 575.) patet. Ergo etiam non duplex regnum et potestas datur.

§. 739. Errant ergo Sociniani, *ante mortem* suam potestate regia in homines, angelos, mortem, penitus destitutum fuisse affirmantes. vid. Smalz. in exam. errorum p. 16. Cat. Racov. C.XII. qu. 2. 17 Probant 1) ex Act. II. 36. Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. quae de tempore post resurrectionem agunt. Resp. disting. inter possessionem, quam iam habuit et vsum. 2) ex Ebr. II. 7 vbi minor angelis factus esse dicitur. Sed distingu. inter ius et potestatem, et potestatis inter vsum. 3) ex Ebr. II. 14. mors medium erat euertendae potestatis non propter Diabolum, sed propter DEVM.

§. 740. Christus ergo quoad humanam noster rex est (§. 737.) seq.). Quoniam

vero ab humana, vt tali, quae §. 738. recensuimus, prouenire non possunt (per pr. Psych.) donis seu viribus ad ea perficienda a DEO erat instructus; id quod vnctio dicitur (§. 711.). Ad regium ergo munus, Christum quoque vnctum fuisse claret; quod quintus vnctionis finis est.

§. 741. Quemadmodum uero in philosophia iam practica vniuersali (§. 23.) ideas, *sub imperio* et *sub domino esse* distinximus; ita et hic sunt distinguendae. Ergo creaturae irrationales, et inanimatae *proprie*, non pertinent ad regnum Christi. Ergo tantum rationales. Ps. VIII. 7. 8. 9. conf. Ebr. II. 7. 8. 1 Cor. XV. 27.

§. 742. Si ergo rationales tantum subditi sunt huius regni (§. pr. et §. 23. Ph. Pr. Vn.), rationales vero creaturae vel sunt in se tales, vel credentes, vel beati, vel damnati; hinc quatuor Christi regna possunt constitui. Tot enim quis diuersa habet regna; quot diuersae speciei subditos. Primum vocatur *regnum potentiae* secundum *gratiae* tertium *gloriae* quartum *iustitiae*. Verum quia in altera vita non beatis solum, sed damnatis etiam dominabitur Christus Matth. XXV. 32. seqq. et oppositа iuxta se posita facilius eluceſcunt; ideo et iustitiae regnum, sub gloriae

gloriae potest comprehendi, vt tria itaque statuere queamus.

§. 743. Quoniam per *essentiam*, DEO, adeoque Christo etiam (§. 100.), regnum competit (§. 738.) nosterque mediator est (§. 697.); hinc Christi regnum in *naturale* etiam et *mediatorium* distingui posset. Verum quia nullus ex hac distinctione oriatur vsus; vlterius eam explicare iam non libet.

§. 744. Si vero creaturae rationales omnes, subditi sunt, in potentiae regno (§. 742.); credentes non solum, sed beati etiam et damnati inter regni huius subditos referri debent. Quodsi ergo in complexu sumas, vnicum etiam statui regnum Christi potest.

§. 745. Ex eadem §. pr. ratione, angelos bonos et malos hostesque etiam DEI, et Atheos ad regnum Christi potentiae pertinere, claret (§. 20. Ph. Pr. Vn.) Psalm VIII. tot. CX. 2. Eph. I. 21. seqq. Dan. VII. 14.

§. 746. Si vero omnes creaturae sub dominio Christi sunt et regno eius (§. 741.); quae necessario conseruari et gubernari debent (§. 98. 99 Th. N.), in quibus prouidentia DEI consistit (§. 95. Th. N.) in dominio

et regno Christi potentiae subditos regit per prouidentiam; vt DEVS quidem per se (§. 98. 99. Th. N.), vt homo uero communicatiue (§. 642.).

§. 747. Et quia DEVS vt rex et imperans creaturis rationalibus leges praescripsit (§. 1. Diss. Prol.); bonos praeterea remunerat, malos vero punit (§. 67.); ideo et Christus (§. 100. seqq.), in regno potentiae non solum leges dando, sed remunerando etiam et puniendo subditos suos regit. Matth. XXV. 31. Ioh. V. 22 - 27. Act. XVII. 31. Dan. VII. 14.

§. 748. Prouidentia vero est actus omnipotentiae (§. 103. Th. N.); modus ergo regendi hoc in regno fit per omnipotentiam absolutam et ordinatum (§. 86.), Ps. XXXIII. 7 seq. XCVII. tot.

§. 749. Denique in prouidentia omnibus vtitur creaturis DEVS; omnes ergo, hoc in regno creaturae sunt ministri regni huius Psalm. CIV. 4. Ebr. I. vlt. Psalm CXLVIII. tot.

§. 750. In regno Gratiae subditi sunt credentes (§. 742.), hos vero congregat, gubernat atque conseruat verbo et sacramentis

mentis, quod infra (quae ergo huius regni media sunt Psalm. CX. 2. 1. Ioh. V. 6.) demonstrabimus; forma ergo huius regni in dispensatione gratiae consistit, per obedientiam actiuam et passiuam acquisitae, (qua itaque sibi hoc acquisiuit regnum) singulisque a Sp. S. quia libertate homines non priuat (§. 121 Th. N.) applicandae, sed non obtrudendae 2 Cor. X. 4. Ioh. XVIII. 36. Ies. IX. 7. Ex quo actus huius regni facile intelliguntur sc. missio et illuminatio Doctorum V. et N. T. Matth. XXVIII. 19. Eph. IV. 11. collectio ecclesiae ex O. gentibus Eph. II. 14. Regeneratio et iustificatio Ioh. III. 5. renouatio et sanctificatio Tit. III. 5. effusio donorum 1 Cor. XII. 4. seqq. Eph. IV. 8. protectio et conseruatio piorum Matth. XXVIII. 20. Psal. CX. 2 seq. 1 Cor. XV. 25.

§. 751. Quia vero gratia DEI vniuersalis est (§. 457.); regnum hoc, per totum terrarum orbem extensum esse, patet Psal. XIX. 5. Rom. X. 18. Ies. II. 2 seqq. Mal. I. 11.

§. 752. Et quia omnes obligati sunt homines, vt gloriam DEI perfectionesque alterius (§. 29. Ph. Pr. Vn. et §. 80. I. N.) et sic etiam salutem promoueant aeternam; omnes omnino homines, praesertim quiuis Christia-

Christianus inter huius regni ministros sunt referendi. Ergo et status ecclesiasticus 1 Cor. IV. 1. 2 Cor. V. 20. politicus Ies. XLIX. 23. Psalm II. 11. et Oeconomicus Gen. XVIII. 19. 2 Tim. III. 15.

§. 753. Quoniam vero Christus rex est regum et dominus dominorum secundum vtramque naturam (§. 740.); et hostes habet spirituales, diabolum puta hominesque peccatores, qui omni nisu Christi regnum destruere, allaborant Matth. XIII. 24 - 30. regis vero est, ut contra hostes suos defendat subditos (§. 393. I. N.) Christo ergo vt militiam suos contra hostes gerat, competit; et quia hi spirituales sunt (§. 426.); spiritualem etiam. Coll. II. 15.

§. 754. Hostes vero §. pr. habebit Christus ad finem vsque mundi. Cum enim peccato Orig. omnes procreantur Adami posteri (§. 354.) deponi quod non potest (§. 370.); diabolus etiam, qui moraliter suam non dimittit naturam malam, adeoque ad mala homines impellit; ad finem usque seculi Matth. XXV. 21. hostes etiam Christi durabunt ad hoc tempus. Matth. XXIV. 26. 27. 30-50. XXV. 31-46. XIII. 28. 30 coll. 39 seqq. 1 Tim. IV. 6. 2 Tim. III. 1 seqq. 2 Thess. II. 8.

§. 755.

§. 755. Si itaque hoſtes in hoc regno Chriſti permanent vsque ad finem ſeculi (§. pr.); poſt hanc vitam vero vniuscuiusque, et ſic etiam omnium (quod in ſeculi fine continget (§. pr.), vel damnatio, vel beatitudo ſequitur aeterna (§. 147. 148. T. N.) Matth. XXV. vlt. gratiae tantum Chriſti regnum locum habet vsque ad finem ſeculi ſeu mundi adſpectabilis (§. 2. Cosm.) vniuerſorum ratione; contra ſingulorum vsque ad vitae finem 1 Cor. XV. 24. Eph. IV. 13. Ebr. IX. vlt. Matth. XXVIII. 30. id quod ex definitione (§. 742.) patet. Nam quia ſubditi credentes ſunt (l. c.); fides vero, qua praediti credentes, futura reſpicit, quae in beatifica DEi viſione ceſſabunt 1 Cor. XIII. 9 - 12. 2 Cor. V. 7. fidem etiam ceſſare conſtat 1 Cor. XIII. 13. Vbi vero non eſt fides; ibi nec credens; vbi non credens; ibi non eſt regnum gratiae (§. 742.); poſt mundi ergo aſpectabilis conſummationem regnum gratiae ceſſabit.

§. 756. In regno autem gratiae verbo vtitur Chriſtus et ſacramentis tanquam mediis (§. 750.), quae ſpiritualia ſunt (§. 285.) In regno potentiae, prouidentia ſua (§. 746.), legibus porro, remuneratione et poenis aeternis (§. 747.), quae rurſus ad ſpiritualia pertinent. (§. cit.). Praeterea ſpirituale gerit

gerit bellum (§. 753.). *Rex* vero, qui felicitatem huius vitae *tantum* viribus suis in regimine suo, subditorum respectu consequi potest, dicitur *mundanus*, seu *terrenus*: qui vero felicitatem alterius seu aeternae, *spiritualis* salutatur. Christus ergo non terrenus rex est, sed spiritualis Ioh. XVIII. 33. VI. 15. 27. Luc. XVII. 20.

§. 757. Christus ergo cum non sit rex terrenus (§. pr.), et gratiae regnum ad consummationem vsque seculi duret (§. 755.), in quo hostes perpetuo existunt (§. 754.); admitti non potest *millenarium regnum* seu *Chiliasmus*, quae doctrina est, qua ante mundi finem, ecclesia per longum temporis spatium 1000 ann.) pace fruitur spirituali et terrena.

§. 758. Variis hoc regnum a variis insignitur nominibus. Nam a *Paracelsistis* dicitur *seculum aureum*; a *Weigelianis*, seculum Sp. S. a *Quakeris* monarchia quinta; a *Petersenio* aliisque, meliorum temporum spes etc.

§. 759. Ita etiam non eadem omnibus de pace illa et prosperitate, qua fruuntur, est sententia. Hinc certae constitui possunt classes. In prima occurrunt *Chiliastae crassiores* et *carnales*, *Iudaei* sc. *Cerinthiani*, *Catabaptistae* et *independentes* in Anglia, delicias qui exspe-

exſpectant corporales. Hinc cum angelis colloquia, peculiaremque reuelationem; pacatiſſimum regnum; leuitici cultus, et ſtatus politici Moſaici inſtaurationem cet. iactitant. Sed vide Rom. XIV. 17. Ioh. XVIII. 36. Luc. XVII. 20. 2 Cor. V. 16. 2) *ſubtiles, VVeigeliani*, e. g. *Schvvenkfeldiani, Boehmii* ſectatores aliique fanaticorum, qui patres etiam nonnullos eccleſiae ſequuntur, *Papiam* ſc. *Tertullianum, Irenaeum, Lactantium* etc. qui ludaico more V. T. promiſſiones ad terreſtrem felicitatem trahunt, et carnales hinc, ſed honeſtas tamen, contra loca iam excitata venditant. 3) *ſubtiliores* cum *Peterſenio, Roſaecrucianis*, etc. qui poſt ſpectabilem Chriſti in hanc terram reditum, Hieroſolymaeque inſtaurationem regnum Chriſti promittunt, in quo ciues non niſi piiſſimi ſint futuri. Hinc militantem triumphantemque eccleſias in vnam coalituras; diabolum in abyſſum praecipitatum iri; Antichriſtum impiosque omnes foeda clade opprimendos; omni humanum regimen delendum; ludaeos cum gentibus omnibus per denuo emiſſorum in totum terrarum orbem Apoſtolorum, praedicationem, ad nouum Chriſti regnum introducendos. Contradicunt vero Dan. IX. 27. Matth. XXIII. 39. Ioh. V. 28. VI. 40. XII. 48. Denique 4) *ſubtiliſſimi*, et *Horchius* aliique, (qui tamen Chiliaſmi nomen auerſantur

santur, crebriorem seruatoris, vt olim post resurrectionem Apostolis contigit, apparitionem, ecclesiae pacem sine iudaicis fabulis docent. Hinc nouas reuelationes non exspectant; attamen propheticas, de statu in his terris, felici nondum impletas putant; regnum Christi ab haeresibus, a tyrannis, ab afflictionibus liberaturum; magnamque securitatem subsecuturam etc. contra loca (§. 756. 754.) excitata. Praeterea aduentus Christi repentinus non praecognitus est Matth. XXIV. 26. Phil. III. 20. 21.

§. 760. Chiliasmus ergo, (vt alia nomina in *Smus*, e. g. Libertinismus, Deismus etc. errorem *hic* denotat, etsi vera etiam et non improbanda sub vocabulo esse notio possit; quem *Hieronymus* iam; et *Calixtus* Georgius, nec non Fr. Vlr. *Calixtus, hic* de Chiliasmo V. ac N. *ille* de extremo iudicio; inprimis vero *Gerhardus* LL. T. IX. §. 80 seqq. profligarunt. Et si dicam, quod res est, distinguenda sunt Chiliasmi *accidentalia* ab *essentialibus*. Nam haec de Antichristo prosternendo, vrbisque Romae ante finem mundi ruina, Iudaeorumque conuersione et aliquali ecclesiae in *spiritualibus*, tranquillitate spondent alii etiam Chiliasmo maxime inimici. Hinc inter problemata, vt vocantur, Theologica, numerari possunt. Verum quod essentialia attinet,

attinet, e. g. quae de totali impiorum in his terris excidione, sanctorum resuscitatione particulari, Christique spectabili reditu, vniuersali et Apostolico verbi praeconio, dulcissimaque piorum ante diem nouissimum, quiete *terrena* docent, tanquam opiniones ἀντιγραφὰς omnino reiicimus (§. 754 - 759.). Etsi ex sola, quam vt Dei donum accepimus, ratione, Chiliasmum examinemus; cum eiusdem principiis 2) non bene cohaerere videtur. Nam quia vita, post hanc, altera, immediata est cum Deo relatio (§. 146. Th. N.); omnisque voluptatis affluentia (§. 147 Th. N.); qualis hac in vita, quippe quae bonis vilissimis respectu DEI constat, nullo obtineri modo potest. Per resurrectionem illam particularem, voluptas beatorum et gloria incomparabilis, ex visione DEI orta, (§. 147. Th. N.), iam vero aliis, circa quae haereant, obiectis, interrumpitur. Et cum mentis natura ita comparata est, vt maiorem semper perfectionis gradum sibi acquirere optet (§. 471. N.); per resurrectionem vero illam mens quia a beatifica DEI visione iisque ex ea bonis voluptatibusque obtinendis excluditur, imperfectior redditur (bona enim maiora sunt praeferenda minoribus) contra naturam animae hic status recte putatur. Quoniam vero DEVS contra naturam quia sanctus

nihil efficiat (§. 59.); resurrectionem non producere potest sanctissimum numen. Immo et frustranea, quod a DEO exspectari non potest (§. 41. Th. N.) esse videtur, dum voluptas vitae aeternae longe maior excellentiorque sit habenda. Cui ergo vsui? Si porro vniuersale illud Apostolicum verbi praeconium consideremus; vel nouum est et a priori distinctum; vel continuatum tantum. Si illud; Sc. non est sufficiens, quod absurdum (§. 44.); si hoc, nouum non est, quod tamen statuitur, Christi regnum. Ne dicam, euangelium non abolere politias; et 3) omnem Chiliasmum tollere fideianologiam. Opiniones vero 4) ἀγράφως etiam alere, ex §. statim seq. patet. Hinc consideratis hisce, omnes (§. pr.) species refutare poteris, vt itaque necesse non sit aliquid in specie vt addamus.

§. 761. Probant quidem ex Apoc. XX. Verum circumstantiae in textu occurrentes contrarium probant. Nam comm. 4. N. B. de *animabus* viuentibus sermo; non ergo de resurrectione *corporum* particulari Aliae autem, quae versu hoc occurrunt materiae, de adoratione puta animalis, imagineque eius et signo, ecclesiam indicant pressam, quae his mutatis iam temporibus, in summa, quam consecuti sunt, libertate conscien-

scientiarum, DEI verbum euangeliumque sine obstaculis et impeditione praedicare potuit; ita vt martyrium, propter puram verbi diuini confessionem passi, reuiuiscere quasi sint dicendi; qui iam respectu doctrinae, quam in posteris etiam profitentur, dum non amplius ecclesia ipsorum pressa, cum Christo regnant. Quod vero nostra, quae de vita in *posteris* diximus, explicatio, stylo Iohanneo conueniat, ex Cap. Apoc. XI. 11. discere possumus. *His* itaque opponuntur comm. 5. mortui, per oppositionem dicti, errores qui vitiaque ecclesiae, vt ita dicam, quae veram hactenus pressit, amant, et sequuntur. Aut si mauis animae eorum iam dicuntur viuere, quae a premente ecclesia mortui i. e. nullius momenti habebantur, et quasi hactenus, spirituali capite demti; Omnia enim spirituali modo, prophetici styli ergo, explicanda esse, quiuis facile concedet. Nonne uero haec, si H. E. spectes, omnia, a Lutheri reformatione ad hunc vsque diem facta? Nonne qui Romanae ecclesiae praeest summus Episcopus, aliique eiusdem proceres et plebeii, in primo reformationis tempore, veram et ab ipsis pressam ecclesiam, habebant mortuam? Nonne maior quotidie nostrae doctrinae libertas exsurgit? Qui nostra iam tempora, pactaque perpendit publica, dubitare forte non potest. Quoniam

vero, qui viuit, sentire omnibusque, quae offeruntur, bonis frui potest (per exp.); ita viuentes nostro in loco, omnibus per Christum partis, dulcissimisque, qui inde sequuntur effectibus, frui possunt, bonis; quae omnia de mortuis, iam iam descriptis, dici affirmarique nequeunt. Hinc etiam felicitatis, qua viuentes nostri gaudent, dicuntur expertes adeoque mortui et hoc respectu *effectiue* sc. recte haberi possunt. Viuos vero Christi DEique sacerdotes esse, infra distincte demonstrabimus. Omnia itaque his expositis, quae Apoc. XX. proferuntur, cum fidei analogia consentire vides; quae vero per Chiliasmum tollitur; sicut etiam gratiae, gloriaeque regnum inter se hoc modo confunduntur.

§. 762. In gratiae regno subditi sunt fideles (§. 742.). Quam primum itaque fideles erant, regnum gratiae originem habuit. Quum vero annunciato Prot-euangelio post lapsum statim in Christum, fides, necessaria erat: fundata statim post lapsum euangelica, et foedere euangelico patefacto, regni gratiae initium erat. Gen. III. 15. IV. 1. seqq. Fides vero satisfactione nititur Christi actiua et passiua. Ergo quia ab ipsa natiuitate eandem praestitit Gal. IV. 4; quoad humanam, est primum conceptionis momentum. Luc. I. 43.

§. 763.

§. 763. Aſt quia in potentiae regno, vt DEVS, ſupremo in res omnes dominio et regno gaudet (§. 738.); vt DEVS ab ipſo creationis, vt homo vero, quia maieſtas diuina per vnionem ipſi communicata erat (§. 623.), a primo vnionis, qua communicatio nititur (§. 623.). Vnio autem facta eſt in conceptione (§. 593.). Ergo quoad humanam, regni potentiae initium eſt a primo conceptionis momento. Luc. I. 43. Subditi ergo in regno potentiae per creationem fiunt creaturae.

§. 764. Ex dictis itaque *regnum potentiae* definiri poteſt, quod ſit functio Chriſti (§. 737.), qua ſecundum vtramque naturam, omnes creaturas rationales in ſe tales, gubernat (§. 738. et §. 23. Ph. Pr. Vn.)

§. 765. Et ſic *gratiae regnum* functio Chriſti erit (§. 737.) qua ſecundum vtramque naturam (§. 738.), per verbum et Sacramenta (§. 750.), credentes gubernat. Per fidem ergo ſubditi hoc in regno fiunt ciues.

§. 766. Denique in gloriae regno, ſubditi ſunt beati et damnati (§. 741.). Dantur autem non ſolum angeli (§. 249. 276.), ſed et homines beati et damnati (§. 147. ſeqq. Th. N.). Ergo omnes hi ſunt in regno gloriae

riae subditi. Eph. I. 20. 21. Matth. XXV. vltim.

§. 767. Quoniam vero ad beatitudinem damnationemque aeternam creaturae rationales, per iustitiam remunerantem et vindicem pertingunt (§. 147. Th. N.); ideo iustitiae huius executio, regendi in hoc regno modus est. Sed creaturis merces tantum competit gratuita (§. 65.) recte ergo beatitudo ex gratia prouenit. Eph. II. 8. Hinc haeredes tantum, et recte quidem dicuntur Matth. XXV. 34. Rom. IX. 22. 23. In quonam vero praemia, et poena consistunt; ex locis de beat. et damnat. aeterna infra clarum erit. Per damnationem ergo et beatitudinem, ciues in regno gloriae fiunt (§. pr.).

§. 768. Ergo saluando beatos, damnatosque damnando, regnum Christus sibi acquirit gloriae (§. pr.). Ex quo denominationis horum regnorum ratio patet. Prouidentia enim in regno potentiae, (§. 746.) ab omnipotentia (§. 103. Th. N.); in gratiae a dispensatione gratiae (§. 750.); in gloriae, a gloria, qua fruuntur beati, et iustitiae remunerantis vindicisque gloria, penet (§. 767.).

§. 769.

§. 769. Et quia vita, post hanc, aeterna est (§. 147. 148. Th. N.); gloriae regnum erit aeternum. Luc. I. 33. Dan. VII. 14. Psal. XLV. 7. 1 Cor. XV. 28. Matth. XXV. vlt. Verum beati damnatique creaturae erunt rationales (§. cit.). Regnum ergo potentiae sine fine etiam durabit.

§. 770. Si gloriae regnum in aeternum durat (§. pr.), in quo immediata beatis erit cum DEO relatio (§. 146. Th. N.); hoc in regno non solum mors, et morbi, sed et omnes, qui regni gratiae subditos multis modis vexarunt, hostes spirituales, peccatum sc. caro, mundus, diabolus nec non terreni omnes cessabunt. (§. 426.). Ast quia subditus in gloriae regno diabolus et homo damnatus est (§. 766.); annihilari hi non possunt. Ergo in talem adducendi sunt statum, vt nocere amplius nequeant; qui damnatio est aeterna (§. 148. Th. N.). Quoniam vero hostes hi sunt in regno gratiae (§. 753); regni gratiae in consummatione seculi finis, recte statui potest, id quod alia ex ratione iam demonstravimus (§. 755.). Si vero gratiae regnum Christi cessat; non amplius tunc saluamur per fidem, sed beatifica DEI (qui ergo est omne in omnibus) visione omnium maximorumque particeps bonorum reddimur. Et cum filius, quic-

quid agit, a patre agat (§. 121.); regnauit in hoc gratiae regno etiam a patre. Quia itaque manifestatio gloriae diuinae, creationis finis est (§. 36. Th. N.); vt hoc omnibus ponatur ob oculos, regnumque patri rursus gratiae tradat, est necesse, quod 1 Cor. XV. 24 - 28 nobis quoque reuelauit. Ex quo statim verbi ὑποταγήσεται vers. 28. explicatio elucet, quam comma praec. 24 declarat. sc. nihil aliud est quam regni huius patri, ad diuinas perfectiones manifestandas, traditio. Nam si, vt in antecedentibus sumis, de *victoria in hostem obtinenda* explicandum esset, de DEI Patris cogitare in filium, est absurdum (§. 59.).

§. 771. Aeternum ergo, hoc (§. pr.) loco, Christi regnum 1) impugnant et negant *male Sociniani*; nec ex Apoc. XXII. 5. 2 Tim. II. 12. id probare possunt. Nam dantur etiam regnantes subordinati conf. Apoc. V. 8. 10 XVII. 14. XIX. 16. Ita nec 2) quod Christi regnum sit aliquis DEI vicariatus, nunc non dominantis in ecclesia. vid. *Smalz* de diuinit. Christ. Cap. XVIII. XIX.

§. 772. Si ergo in consummatione seculi gratiae regnum cessat (§. 770.); intercessionem etiam cessare constat, quod iam annotauimus (§. 760.)

§. 773.

§. 773. Ex dictis iam explicari atque diiudicari potest tertium quod supra descripsimus communionis genus (§. 653.). Nam quoniam secundum vtramque naturam noster rex est, propheta et sacerdos (§. 702. 731. 737.); naturarum vero in Christo non facta est confusio (§. 587.); vtraque Christi natura, quod proprium sibi est, *distincte* quidem, sed non *diuise* in omnibus triplicis sui muneris actibus egit. Hinc tertium communionis genus *reale* etiam est, et *res ipsa* non potest negari e. g. ita ad opus *satisfactionis*, in quo includitur *partim* toleratio acerbissimae passionis et mortis; *partim* additio infiniti valoris (vt sit passio non nuda sed satisfactoria) prius ad naturam humanam posterius ad diuinam *per se* pertinet (§. 701.). Similiter ad opus illud miraculosum quo Christus ad probandum suum, velut Messiae officium, homini coeco nato visum restituit Ioh. IX. 6. seqq. humana quidem, quod suum est, contulit quoad actum *exspuendi in terram, faciendi lutum ex sputo, et illinendo lutum super oculos coeci, dicendo: vade, laua in piscina siloae*; diuina vero, quod suum est contulit, influendo videlicet virtute infinita ad effectum illum supernaturalem producendum vid. B. Baieri Comp. §. XXII. de pers. Christ. Id vero, quod alterutra natura, in se spectata praestitit, ἐνεργημα eius dicitur: Ergo non

solum actiones, sed et passiones ad ἐνεργήματα referri debent.

§. 774. Quoniam vero actiones et passiones a naturis in Christo provenientes ad idiomata pertinent (§. 625.); ἐνεργήματα etiam sunt naturarum idiomata (§. pr.); et quia actio non est sine vi (§. 55. Ont.); vis aliqua seu ἐνέργεια adsit, est necesse.

§. 775. Vtraque Christi natura, quod proprium sibi est, in actibus sui muneris distincte agit (§. 773.). Ergo opera statui debent, quae per insitam vtriusque naturae vim propriam ad vnum finem oriuntur (§. pr.), quae ἀποτελέσματα (seu opera per excellentiam consummatissima, ἀπο τῦ ἀποτελειν ita dicta) vocantur; quae, quia θεος et ἀνηρ diuina simul cum humana agit (§. cit.) operationes θεανδρικαι Deiuiriles nominari quoque possunt.

§. 776. Verum quia vtraque natura per *propriam* vim hic agit (§. pr.); actiones, per maiestatem humanae communicatam, productae, ad ἀποτελέσματα non possunt referri, (§. pr.) vt potius ad secundum communionis idiomatum genus pertineant (§. 639.). Illae ergo tantum sunt, ἀποτελέσματα quae ex duobus ἐνεργήμασι constant, diuinam alterum,

alterum, alterum humanum (§. 773.).

§. 777. *Principia* ergo *quibus*, duae sunt naturae; *principium* vero *quod*, est suppositum seu persona Christi, duabus istis, a quibus ἀποτελεσματα proueniunt, naturis constans (§. 568.). Differunt ergo haec, ab idiomatibus, quae vni naturae; illa vero quae ambabus *simul* competunt; idiomata praedicata sunt non essentialia alterutrius naturae; apotelesmata vero duo semper idiomata continent; hinc apotelesmatum principium *quo*, est tota Christi persona; idioma vero attributum et accidens, humanae naturae respectu, etiam esse potest.

§. 778. Quia itaque apotelesmata ab idiomatibus differunt (§. pr.); non accurate genus hoc (§. 653.) *Idiomatum communionis* salutatur, dicis. Concedo quidem, et melius ἀποτελεσμάτων *communionem* vocari. Verum cum ab vsu loquendi non temere sit recedendum (§. 93. Log.); nullaque hac in re vrgeat necessitas, (dum omnes idiomatum vocabulum *latius*, pro operibus officii accipi Theologi dicunt); et nos hunc loquendi modum retinebimus.

§. 779. Interim quia vtraque Christi natura, in omnibus triplicis sui muneris acti-

actibus agit (§. 773.); agere vero est substantiarum, adeoque concretorum (§. 55. Ont.); in propositionibus hinc resultantibus *subiectum*, semper erit *concretum alterutrius* diuinae vel humanae) *aut vtriusque naturae*, e. g. 1 Ioh. III. 8. Act. XX. 28. Luc. IX. 56. Gen. III. 15. Eph. V. 2. 1 Cor. XV. 3.

§. 780. Ex §. pr. ratione, αποτελεσματα Christo tribui possunt (§. 775.). *Praedicata* ergo, in propositionibus hinc resultantibus sunt αποτελεσματα, et quidem ob triplex Christi munus, tres ratione praedicati etiam harum propositionum statui possunt species e. g. Gal. I. 4. Act. XX. 28. Matth. VII. 29. Ioh. XVIII. 37. *Propositiones itaque tertii generis* recte hinc definiri possunt, in quibus actus seu officia θεανδρικα de Christo concretive praedicantur.

§. 781. Ex hactenus vero dictis variae respectu Christi oriuntur circumstantiae (§. 655 - 780.). Circumstantiae entis determinatae, statum eius absoluunt (§. 55. Ont.). Hinc superest, vt de *statibus* istis agamus. Ex §. autem 627, communicata esse Christo idiomata diuina, perspeximus. Hinc possessionem horum seu κτησιν de Christo praedicare cogimur. Et quia attributa ab essentia separari non possunt (§. 54. Log.);

κτησιν

κτησιν hanc deponere non potest DEVS; aut Christus (§. 100.); neque secundum diuinam, neque humanam. Nam quia vnio naturarum *et hinc communio inde proueniens idiomatum* in aeternum persistit (§. 584.); humana semper illa possideat est necesse. Cum vero per abdicationem possessionis, vnio haec tolleretur; qua humanam etiam Christus attributorum diuinorum possessione se abdicare non potuit.

§. 782. Alia vero ex anteced. quaestio oritur, num scil. ab attributorum operatiuorum (nam de quiescentibus dubitat nemo) *vsu* seu χρησει vel *vsurpatione* abstinere potuerit Christus? quam, considerata DEI beatitudine (§. 95.), et duratione ante mundum conditum, vbi absentibus creaturis operari non potuit, affirmare omnino debemus. Quodsi vero humanitatem eius consideramus iisdem illa, quibus diuina gaudet, praedita est perfectionibus seu sunt numero eadem (§. 647.). Humanitas ergo ab horum vsu abstinere quoque *potest*. Actua*litatem* vero, vt ita loquar, tota loquitur passionis historia abunde. Nam fustigatio, coronatio, crucifixio, aliaque circa passionem occurrentia, fieri certe haud potuissent, si mediis istis, ad quae per communicatam omnipraesentiam, omniscientiam, et omnisapientiam, nec non omni-

omnipotentiam peruenire potuisset (§. 647.) vti uoluisset; quale specimen edidit Joh. XVIII. 6. *Necessitatem* denique pactum, quod patrem inter et Christum interceßit (§. 433.), demonstrat solide. Quodsi enim diuina ipsi communicata idiomata exercuisset; totum, quod promisit satisfactionis, redemtionisque nostrae opus, inconfectum reliquisset; quod cum ob veracitatem Christi sit absurdum (§. 506); necessariam eamque liberrimam, ob libertatem in DEO Maximam, diuinorum ipsi communicatorum idiomatum vsus abstinentiam esse, quiuis videt. Non ergo vt *Sociniani* statuunt contradictoria est κτησις maiestatis diuinae sine perpetua χρησει.

§. 783. Ratio ergo, buare ab attributis operatiuis abstinuerit Christus? opus redemtionis, necessario peragendum, erat (§. pr.). Ergo si operis huius impeditio, abstinentiam illam non requirit, Christus attributis istis, quia vt sapiens conuenientissima adplicat media, nihilque frustra facit (§. 54.), vti omnino potuit, et reuera in miraculis e. g. perpetrandis vsus fuit Ioh. XVIII. 6.

§. 784. Contradictionis vero nos accusare noli, etiamsi §. pr. necessarium, liberum vero (§. 782.) opus redemtionis venditemus. Nam etsi, quod fortassis etiam vrges decretum

tum esse dicas Luc, XXII. 22. Act. II. 23. IV. 28. distinctione tamen, inter necessitatem *absolutam* et *hypotheticam* quae libertati non officit (§. 138 Psych.) adhibita, dubium certe cadit.

§. 785. Diuinorum, quibus Christi humanitas communicatiue pollet (§. 64.) attributorum vsus numero, quo diuinitas gaudet, est idem (§. 647.); ergo si diuinitas ob §. 783, iisdem vtitur, vtitur etiam humanitas; et vice versa, si ab illorum vsu abstinet humanitas, abstinet etiam diuinitas; alias non essent numero *eadem*, quod absurdum (§. 16. Ont.). Dubia quae hic moueri possent §. 782. refutat. Quoniam itaque reuera ab illorum vsu abstinuit Christus (§. 782.), relatio vero, qua ab illorum vsu Christus abstinuit, *euacuatio* dicitur, Christum re vera se evacuasse, et revera evacuare se debuisse claret (§. cit.), et quidem secundum vtramque naturam (per antec.). Interim *omnium* attributorum euacuationem in Christo statuere non possumus, id quod ex §. 783 est diiudicandum. Nam quia non solum sacerdos, sed et rex et propheta noster est secundum vtramque naturam (§. 773); omnibus, ad finem horum munerum consequendum, attributis necessariis, vti omnino tenebatur. Quomodo enim

enim sine vsurpatione conseruationis gubernationisque, nec non omniscientiae, et omnipraesentiae (quarum vsus necessarius est, nec opus redemtionis impedit), ecclesiam e. g. regere potuisset. Nonne hoc modo existentia creaturarum, earumque duratio corruere debuisset? et sic etiam in reliquis. Ioh. XVI. 30. V. 17. Rectissime itaque attributorum usum ipsi tribuimus, tum *qua actum directum* vbi per ea creaturarum intuitu est operatus; cum qua *actum reflexum*, quatenus per ea humanitatis suae respectu egit. Luc. IV. 29 seqq. Marc. VI. 39 Ioh. VIII 59. etsi abstinentiam, quoad vtrumque actum etiam doceamus.

§. 786. Objiciunt tamen contra omniscientiam Marc. XI. 13 XIII. 32 Ioh. XI. 34. Verum quod primum attinet locum, ficus illa sterilis iudaici populi typus erat, qui maxima de se gloria seu vaniloquentia potius, DEI se esse populum, religionem cultumque DEI verum habere praedicauit. Hinc per Anthropopatian vti locus Gen. XI. 5. XVIII. 21. explicari debet. Nullum ergo aduersariis ex hoc loco lucrum; quippe qui minime de ignorantia agit. Et si vel maxime nostram hic non admitteres, quae contextui tamen conuenit, explicationem, distinctione tamen, inter *humanitatem Christo*

Christi in SE *spectatam*, et *quatenus est in vnione personali*, dubium corruat est necesse; de illa enim, non de hac, locus est explicandus. Nam quia diuina, quibus humanitas gaudet communicatiue, eadem numero attributa sunt (§. 647.), omniscientiaeque actus semper in DEO cogitari debet (per def. §. 43.); in vnione personali spectata, semper gauisa est omniscientia. Ita quem adduximus, *secundus* XIII. 32. eadem, in saluo manet, distinctione (per iam ad loc. prim. indic.) nec non *tertius* Ioh. XI. 34. Contextus enim cum suis, quas involuit, circumstantiis, nostram distinctionem, eiusque adplicationem probat. Recensentur scil. ibi res facti; aliter quae nisi per ipsam sensationem, aut fidem (§. 180 Log.), cognosci non possunt. Quum vero quaestiones a Christo his circumstantiis propositae, ab humanitate in vnione personali considerata, prouenire haud potuerunt (per antec.); de humanitate in *se* spectata textum loqui patet. Idem etiam circa primum, quem ex Marc. XI. 13. adduximus, valet. Nam vocabulum μακρόθεν circumstantias, humanæ *tantum* vt humanae, seu in *se* spectatae proprias adeoque corpus Christi, nostro simile produnt. Hominis enim oculus tantis non pollet viribus, vt res ab eo valde dissitas distincte videre possit, id quod ex oculi structura (§. 321 Ph.) clarum erit. Interim sua

officia, quoad vtramque geſſiſſe naturam ex his perſpicere etiam poſſumus.

§. 787. Quodſi autem certiſſime ſe euacuauit ſeſeque euacuare debuit (§. 785.); κρυψις ſeu *mera* occultatio idiomatum diuinorum in Chriſto ſtatui non poteſt. Quod ſi enim clandeſtinum et ſimulatum attributorum diuinorum exercitium, quod κρυψις eſt, geſſiſſet Chriſtus; κτησιν non ſolum, ſed et χρησιν ſemper de Chriſto contra (§. 785.) et Phil. II. 6. praedicare cogeremur. Deinde maximum hoc fuiſſet in ſcopo officiorum Chriſti, impedimentum, nulloque noſtra per Chriſti mortem et paſſionem, ſalus recuperata modo fuiſſet. Quis enim Chriſtum, media per omniſapientiam conuenientiſſima ſi adplicaſſet, et per omnipotentiam ad exiſtentiam produxiſſet, adgredi vel voluiſſet vel potuiſſet? Nonne ita omnes eius adgreſſores eneruati proſtratique fuiſſent? Abſit ergo vt *meram* ſtatuamus occultationem, ſeu κρυψιν. Interim quae de retracta communicatae maieſtatis plenaria ac vniuerſali χρησει a Theologis per Haſſiam, Saxoniam et Wurtembergiam diſputata ſunt optime diiudicauit *Balth. Rhaw* in *Chriſtologia*. Etſi vero non *meram*: veram tamen omnino concedimus attributorum perfectionumque diuinarum occultationem, infra clarius demonſtrandam.

§. 788

§. 788. Quodsi vero passiua et actiua pro nobis satisfacere debuit Christus obedientia (§. 682 seq.); et quidem ita vt summas daret corporales spiritualesque poenas (§. 656.); nulla vero poenarum, tempore, quo Christus et Iudaei sub imperio Romanorum vixerunt, maior erat, quam crucifixio; obedientiam praestare Christus debuit ad mortem vsque crucis. Phil. II. 8. Ergo quia ciuium Romanorum nemo crucifixionem passus, sed tantum serui; seruo similis fieri, h. e. μορφην δουλου adsumere debuit. Phil. II. 7. Nam ob personae dignitatem, communicatamque ipsi maiestatem, et officia, seruus proprie sic dictus esse aut fieri non potuit. Quoniam vero seruus nihil habebat proprii; ita et Christus Matth. VIII. XVII. 24-27. Qui nihil proprii habet, pauper est (per def.). Christus ergo esse debuit pauper Zach. IX. 9. 2 Cor. VIII. 9. Seruus praeterea omnium habebatur perditissimus atque vilissimus; ita et Christus Ies. LIII. Matth. IX. 12. Seruus romanus etiam ciuis fieri aut magistratum gerere nequibat; ergo nec Christus. Pluribus rem persequi cum finis tractationis, tum totius libri scopus prohibet. Cui vero comparationem, romanum inter seruum et Christum instituere placet; plures ad hunc Christi statum pertinentes veritates poterit detegere. Adnotasse viam-

que monstrasse sufficit. Omnis vero haec instituenda, de qua diximus, comparatio, ex antiquitat. Rom. et primo lib. Institut. Iustiniani Imperat. desumenda erit, quibus ex fontibus, et nostrae, quas principii loco posuimus de seruo doctrinae, vim roburque accipiunt. Vnicum adhuc observo: Seruus homo erat qua actum naturae, multis laborans imperfectionibus; ergo et Christus, obseruatis tamen, quae (§. 553.) adnotauimus.

§. 789. Ex §. 785. dictis itaque et antec. sequens fluit *exinanitionis status* definitio, in quo se euacuauit, seruilemque formam assumsit. Phil. II. 7. 8. cuius realitatem eo minus in dubium quis vocabit, quo magis ex principiis antea iam in citt. §. §. demonstratis iisque indubiis non solum, sed et ipso Scripturae S. ductu, est deriuata. Quibusdam fortassis manca videtur mutilaque, quia non omnes, quae alias adducuntur, in ea perspiciantur notae. Verum eas tantum definitioni, ex quibus reliquae deduci et possunt et debent (non ergo deducendas), inserendas esse notas, ex logicis vnicuique erit perspectum (§. 106. Log.). Equidem non me fugit, partibus quasi quatuor aut quinque, nonnullos omnem hunc absoluere statum. Consistere enim dicunt 1) in vera et

et reali κενωσει seu *evacuatione* (§. 788.) 2) in ταπεινώσει *formae seruilis assumtione* (§. pr.); 3) in *occultatione operationis vniuersalis in regimine totius vniuersi sub illa seruili forma*, cuius veram falsamque notionem dedimus (§. 787) 4) in obedientia vsque ad mortem etiam crucis; quibus alii humanarum addunt 5) imbecillitatum assumtionem. Verum tres posteriores ex prioribus consequi, §. 785-788 probatum dedimus, vt itaque firmo rectoque adhuc nostra stet definitio talo. Dicitur etiam ἀσθενεια et πτωχεια 2 Cor. XIII. 4. VIII. 9.

§. 789. Minus ergo accurata notio *antiquior* est et ecclesiastica, pro ipsa filii DEI incarnatione actiua, ecclesiae primae et mediae Doctoribus quibusdam recepta, in canticis quibusdam adhuc superstes e. g. Lobt Gott ihr Christen allzugleich. Neque *recentior* in schola *Philippi* et aequalium ac discipulorum admitti potest, in qua ecclesiastica cum biblica notione coniuncta, qua tam exinanitio quam exaltatio secundum *vtramque naturam* Christo est adscripta. Nam quia euacuatio non solum, sed formae etiam seruilis assumtio ad exinanitionem pertinet (§. pr.); quod ob summas in DEO perfectiones de diuina concipi haud potest (§. 94.); diuinae naturae exinanitionem statuere haud licet.

Psalm. CII. 28. Mal. III. 6. Iac. I. 17. Ad humanam ergo *solum* exinanitio pertinet. Multo itaque minus, ob perpetuam in Christo vnionem (§. 584.), in diuinitatis depositione, est quaerenda.

§. 790. Statum hunc §. 788. variis modis externis etiam commonstrauit Christus, id quod vitae eius curriculum probat. Haec vero relatio seu actus ex quo Christi forma seruilis (quorsum omnes etiam imbecillitates pertinent (§. 788.) et euacuatio conspicitur, dicitur *exinanitionis actus*, ab aliis *gradus*. Verum quamuis hanc admittere queamus denominationem; loquendi tamen in scholis consuetudo plures ad vnum gradum actus refert. Interim sub definitionem iam subsumimus: 1) In *conceptione* itaque Christi (dum mater eius, etiamsi ex stemate regio Luc. III. pauper et fabro tantum desponsata Matth. XIII. 55.) forma conspicitur seruilis, et varium imbecillitatum genus; id quod 2) de ipso etiam *natiuitatis actu* affirmandum. Quoniam enim in ipso conceptionis momento noster est sacerdos, quo ipso per obedientiam iam passiuam pro nobis satisfactionis initium cepit; non solum non sine doloribus, ex partu naturali alias prouenientibus, Christus fuit excluſus; sed etiam stabulum, praesepe, aliaeque natiuitatis seu exclusionis actum subsecutae circumstantiae

tiae miserrimae, indicant idem Luc. II. 7. nec non 3) *circumcisio* cum ipsa, in illa fundata subiectione sub legem, ob passiuam et actiuam obedientiam Messiaeque ex Abrahami semine, cui lex data erat Gen. XVII. 10. seqq. certitudinem, veramque humanitatem ostendendam, necessaria; porro 4) *purificationis* puerperae sacrificium, *pauperum more* peractum Luc. II. 22. seqq. coll. Leu XII. 6. seqq. et per certam pecuniae summam, cum tamen Dominus legis fuerit (§. 737.), secundum legem, cui ergo vt seruus subiectus fuit, redemtio. Ex. XIII. 13 seq. quae duo *praesentationem Christi in templo* absoluunt; praeterea 5) in *Aegyptum fuga*, quae, omnipotentia si hic vti voluisset, necessaria non fuisset; et denique 6) ex his circumstantiis, *de Ioseph, Christi patre vero*, contra maiestatem *orta opinio*. Ergo recte haec ad exinanitionis actus referunter; quos omnes, primus exinanitionis gradus, sec. Theologorum loquendi modum, *natiuitatis* sc. comprehendit.

§. 791. Etsi vero quos §. pr. recensuimus exinanitionis actus, formam seruilem euacuationemque maximam indicent; θειον tamen vbique etiam obseruamus. Ratione enim *conceptionis* vide Luc. I. 26. 44. ne de miraculo dicam (§. 482.); *natiuitatis* Luc. II. 9. *circumcisionis* nomen illud *Iesus* scil. probat (de quo *Danzius* in praef. Paradigm. et *Rusius* in Harmon. p. 136. T. I.) a rad. יש adeoque

ſaluatorem indicans Matth. I. 21. Luc. II. 21. quod, quia ob praeſtitam ſatisfactionem actu eſt; maximam, ſi cum vocabulo ideam rite connectimus, in nobis voluptatem excitat, adeoque *ſuauiſſimum* eſt et *iucundiſſimum* non ſolum, ſed etiam ob cultum Chriſto praeſtandum (§. 649.) omni veneratione interna et externa (non *nomini* in ſe quidem ſed rei, quae ſub eo intelligitur) id proſequimur. *Repraeſentationis* in templo reſpectu, vid. Luc. II. 29-38. Quod vero ad *fugam in Aegyptum* attinet, θεῖον et in reuelatione repetita Matth. II. 13 19 22 et in donis a magis exhibitis, ad cultumque corporis, optime ſeſe monſtrat. Magorum, *poſt* repraeſentationem in templo, aduentum contigiſſe, recte concludimus. Maius enim ſine dubio ſacrificium obtuliſſet. De magis vero ſtellaque, num cometa fuerit? vid. *Heynii* tract. germ. de h. m. cum praef. cel. *Gottſchedii*; itemque *Semleri* tr. Denique reſpectu opinionis 6) §. pr. non honeſtas matris ſolum, ſed et filii, manſit in ſaluo, et nulla in officiis adſperſio labis.

§. 792. Ex §. 790. non ſolum 1) ſucceſſiue mentis corporisque ratione *creſcentes et auctae vires* leſ. VII. 15. 16. cum tamen totius naturae fuerit Dominus et infinitus DEVS (§. 27. 100.), ſed et 2) ſubiectio ſub parentibus,

tibus, eorumque intempestiua correctione Luc.II. 51. 48. Matth.XIII. 55. itemque 3)habitatio Nazareti, qua maxima ipsi orta est offensio, Ioh. I. 46 VII. 41. seqq. inter actus exinanitionis referuntur. Hinc *Nazarenus* dicitur Matth. II. vlt. XXI. 11. Marc. I. 24. Act. X. 38. miserrima porro multis sine dubio laboribus coniuncta, vitae conditio, dum, vt summus imperans (§. 6. Ph. Pr. Vn. et 100.) priuatus tamen in domo Parentum vixit. Num vero fabrilem exercuerit artem non satis liquet, vid. tamen Marc. VI. 3. Luc. IV. 22. II. 51. Id certum quod in segni otio non vixerit, sed iam tum salutem nostram meditans in priuatis rebus nostrum negotium egerit; legis enim subiectione, paupertate, perfectissimo erga patrem amore et tenerrimo erga genus humanum lapsum affectu, perpetua itidem mortis meditatione, precibus quoque, pro nostra redemtione sese iam tum intercessorem et mediatorem praestitit 2 Cor. VIII. 9. Ebr. V. 7. vid. *Iaegeri* Comp. theol. denique 5) *intermissio omnium* notatu dignissimarum in iuuentute actionum, quam ex silentio Scr. quam certissime concludimus. Quos vero §. h. recensuimus actus (§. 790.), *secundum* exinanitionis gradum, *educationem* scil. constituunt.

§. 793. Interim et hic θεῖον conſpicitur §. pr. Nam 1) *aucta vires*: veram eius humanitatem monſtrant; 2) ſubiectio vero exemplo nobis, ad obedientiam parentibus præſtandam; uide etiam Luc. II. 49. ſeq. 3) prouidentia diuina in conſeruando Chriſto; et 4) et 5) exemplo nobis.

§. 794. Quæ de actionibus Chriſti poſt duodecimum annum, vsque ad Baptismum dicenda ſunt, *conuerſationem* conſtituunt *priuatam*; a Baptismo vero ad vitae ſuæ finem, *publica* ſalutatur, quam hoc tantum §. vt gradum exinanitionis deſcribemus et ſub *tertio exinanitionis gradu* intelligemus. Pertinent autem huc non ſolum 1) tentatio Matth. IV. 3. ſeq. ſed et 2) moleſta in officio prophetico per omnes vitæ dies cum variis hominibus *conſuetudo*. 3) *Paupertus externa* Luc. VIII. 3. Ioh. XII. 6. Hinc (a) fames et ſitis Matth. IV. 2. Marc. XI. 12. (b) defectus rerum propriarum Matth. VIII. 20. (c) ſubiectio ſub Magiſtratum Matth. XVII. 24. ſeq. licet ipſe, vtut ſummus omnium imperans (§. 792.), nunquam magiſtratum affectauerit; 4) laſſus dormiuit, Matth. VIII. 23. contumelias Luc. XI. 15. Ioh. VIII. 48. itinerum pericula et moleſtias Ioh. VIII. 59. defatigationes debilitatesque inde ortas, nec non maximas perſecutiones Matth.

XXI.

XXI. 46. Luc. IV. 29. 30. Ioh. VIII. 53. seq. Adde varia tristitiarum, quæ ex conuersatione cum aduersariis, hostibus, immo ex socordia variisque ex Iudaismo adhuc præiudiciis, imbecillitate, negligentia et incuria discipulorum etiam oriebantur, genera. Hinc necessitas mediorum confortationis sui ipsius Matth. III. 15. Luc. VI. 12. Ebr. V. 7. Nonne vero hæc omnia vel euacuationem, vel si personae dignitatem spectes, servilem nobis obiiciunt formam? Nonne ergo inter exinanitionis actus sunt referendi (§. 790.)? Verum θεῖον etiam hic obserues et in miraculis, quam plurimis, et conuertendis conuincendisque hominum animis, de quibus nulli non script. S. non tacent scriptores. Conf. etiam Matth. III. 17. Marc. I. 11. IX. 2. Luc. III. 22.

§. 795. Ad *quartum exinanitionis gradum* perpessiones *maiores*, quas biduo ante mortem exantlauit, quæ *passionis* vocobulo per excellentiam sic dictæ, alias exprimitur; inque *externas* dispescitur et *internas*. Illæ passiones statumque circa corpus; Hae mentem eiusque statum taedii plenum continent. Quod ad *externos* attinet, refertur 1) quod Christus fuerit *captus*, id quod (a) *proditionem Iudæ* Matth. XXVI. 49. Marc. XIV. 43. seq. (b) *desertionem discipulorum* Matth. XXVI. 58.

ad

ad quos, quippe qui ordinariis amicti erant veſtibus, non pertinet iuuenis, ſindone indutus Marc. XIV. 51. 52. (c) *vincturam* latronis inſtar Matth. XXVI. 50 ſeq. (d) *ſudorem ſanguineum* etiam involuit *naturalem*. Nam quia harmonia mentem inter et hominis corpus reperitur (§. 216. Pſych.), Chriſtus vero ſummos, et infernales etiam intenſiue dolores ſenſit (§. 656.); maxima inde ſanguinis commotio non potuit non oriri; qua a corde ſanguis ad extrema corporis membra propellebatur, ita vt per poros cutis erumperet, aeris vero frigore tunc exiſtente, congelatus, guttatim decideret. 2) Huc pertinet *cauſae cognitio* et *condemnatio* coram tribunali ſeu foro ſacerdotali, ſeu ſynedrio. Adnotandi vero hic ſunt (a) duo ψευδομαρτυρες Matth. XXVI. 60. 61. Marc. XIV. 57. 58. 59. quorum tamen teſtimonia non ita comparata erant, vt ea propter mortis ſupplicio dignus haberetur, (b) inſidioſae ſynedrii quæſtiones Ioh. XVIII. 19. 13-24. ne de populi iam media nocte congregatione dicam ll. cc. (d) alaparum inflictio Ioh. XVIII. 22. 23. aliæque quæſtiones, ad quas partim tacuit Matth. XXVI. 62. 63. partim vero vertitatem aperte profeſſus Matth. XXVI. 63. eſſe ſcilicet verum eumque promiſſum Meſſiam Matth. XXVI. 64. laceratio veſtium, et falſa verborum explicatio

Matth.

Matth. XXVI. 65. Nulla enim, quia DEVS (§. 100.), vtebatur blasphemia, iuſte alias fuiſſet damnandus Leu. XXIV. 11-14. et denique (e) condemnatio cum malis inde ſequentibus, Matth. XXVI. 67. 68. Marc. XIV. 65. Luc. XXII. 66. 67. 3) Refertur etiam huc cauſæ cognitio et condemnatio coram foro Pilati, ſeu ciuili, vbi a) hypocriſis Iudæorum ſeu ſimulatio Ioh. XVIII. 28. falſaque eorum accuſatio verſ. 29. 30. cum tamen ipſe Pilatus ſine cauſæ cognitione mortem Chriſto inferre, nefas haberet verſ. 31. quod etiam Iudæi negarunt, verſ. eod. Hinc alia, etiamſi et peruerſiſſima et in iuſtiſſima ingrediuntur, falſis verborum pigmentis ſuam colorantes orationem Iudaei Luc. XXIII. 2. concludentes: Qui regem ſeſe iam venditat Iudæorum, cum tamen imperio ſubſint Romano, auertit populum a Cæſare, adeoque eſt rebellis; Sed Chriſtus regem ſe eſſe dicit, vetatque tributa ſoluere imperatori, quod falſum tamen Matth. XXII. 21. Ergo. Hinc ne Imperatorum iuribus detrahi pateretur Pilatus, antea nullius momenti accuſationem Iudaeorum habens, ex Chriſto quaeſiuit, num rex eſſet? affirmante Chriſto, vocabulique *regis* ambiguitatem tollente Ioh. XVIII. 36. id quod Pilatus, gentium ſacris tantum initiatus, rurſus *esne igitur rex?* quaeſiuit. Ad

Chriſti

Christi vero, veritatis se regem, profitentis responsionem, statim ex Stoicorum, qui solum sapientem regem esse docebant, mente, innocentiam Christi declarat, dicens: quid mihi cum rege Stoico (quales plerique tunc temporis ICti et Philosophi erant) veritatis, nullum imperio ciuili Romanorumque Imperatori damnum allaturo? Ioh. XVIII. 38. Luc. XXIII. 4. Hinc Iudæis instantibus aliamque sed, falsam rursus suæ criminationis rationem allegantibus Marc. XV. 3. Luc. XXIII. 5. totam rem a se amolitur Pilatus, Judæos Jesumque ex Galilæa patria ad Herodem (b) qui Galileæ Tetrarcha Luc. III. 1. erat, mittit. Ducebatur autem eo (a) vinctus, (b) de qua re Herodes impœnitens gaudebat, Luc. III. 19. XXIII. 8. varia ex Christo quærebat, cui vero, ad innocentiam, non inobedientiam, vtpote qui Herodis in se iurisdictionem omnino agnoscebat, testandam, nil respondit Luc. XXIII. 9. 10. quod perspiciens, ludibrioque per vestem splendidam (regibus eo tempore propriam), Christum habens, ad Pilatum remisit Herodes Luc. XXIII. 11. Ille (c) innocentiam Christi intelligens, de accusatione Christi Judæis gratificari, et sic innocentem Jesum liberare voluit Luc. XXIII. 13. seq. Matth. XXVII. 15. seq. vxoris suae somnio forte etiam motus Matth. XXVII. 19. sed nolentibus

tibus Judæis, (d) Barrabamque sibi petentibus vers. 21. 22. testata adhuc semel innocentia Joh. XIX. 4. seq. Jesum militibus (e) flagellandum, ludibrioque aspectantium faciendum Matth. XXVII. 26. seq. Marc. XV. 15. tradit, etsi variis eum liberare modis statuit et quaesiuit. Joh. XIX. 8. 12. 15. Sed vtilitate territus, vers. 13, Christi mortem (f) decreuit; quod decretum statim 4) *poenae mortis executio* sequebatur. Hinc tot vulneribus bene dedolatum, veste, vt omnes eum agnoscere possent, propria, (a) crucem suam tollere cogebant Matth. XXVII. 31. 32. Joh. XIX. 17. (b) et *inter* latrones (tanquam loco honoratiore, quorum quasi princeps) Luc. XXIII. 32. 33. coll. Jes. LIII. 12. ipsa (c) sequebatur crucifixio Matth. XXVII. 35. cum epigraphes additione, Matth. XXVII. 37. Denique ad poenæ huius executionem etiam milites ipsi bibere dederunt acetum felle mixtum vers. 34. variisque et hi, aliique adstantium ludibriorum generibus affecerunt. e. gr. Matth. XXVII. 35. 36-49. coll. Psalm. XXII. 19. Quae hactenus dicta sunt de externa agunt passione; iam vero etiam de *interna*, paucis est agendum. Recte autem huc trahitur 1) tædium, ex amicorum discipulorumque socordia ortum, maximaque inde tristitia Matth. XXVI. 56. seq. quo etiam Petri abnega-

negatio, et triſtiſſima ſuorum imago pertinet 2) triſtitia, quam cœcitas, iniuſtitia, improbiſſimaque impœnitentia ac ſæuitia hoſtium excitauit. Maxime his adnumerari meretur grauiſſimus Diaboli inſultus. Denique 3) triſtitia, ob derelictionem in (a) horto, ineffabilem, qua iram iam DEI aduerſus peccata ſentire cœpit, quam verbis ſignificantibus exprimunt Sc. S. ſcriptores Matth. XXVI. 38. Marc. XIV. 33. Hinc intenſiſſimæ illæ preces, ſummum animi dolorem referentes, originem traxerunt, et quidem tribus vicibus repetitæ. Matth. 39-44. Marc. XIV. 35-41. Tanta autem hæc infinitarum pœnarum repræſentatio, et perpeſſio, inchoata licet, in Chriſto produxit mala; vt agoniam etiam in mente ſentiret, Luc. XXII. 44. confortationeque angelica opus haberet Luc. XXII. 43. cuius vero tenoris et modi fuerit, *realis* ſcil. per ſufficientem ad redemtionis munus virium oblationem, an *verbalis*, per ipſa in patienti ſatisfactionem exequendi perſeuerantia verborum motiua, verba nobis Sc. S. non pandunt? Quodſi vero circumſtantias, preces ſcil. omneque, quo premebatur et anima et corpus Chriſti, pondus iræ infinitum conſideres; tam verbalem, quam realem, ſine contradictione ſtatuere poteris. Multo vero maior, immo maxima, ſine dubio, vtpote maximæ

maximae poenae sensus (§. 656.) tristitia Christo et angor fuit, desertio illa, qua gratiae diuinae sensus cessauit ipsumque mortis aeternae gustum expertus. Matth. XXVII. 16. coll. Ebr. III. 9. Minime vero, quia naturarum vnio est indissolubilis (§. 584.), praeterea breue sibi repraesentare ob omniscientiam tempus potuit, verba haec sunt desperantis, aut ea ex ratione prolata, quasi vinculum vnionis personalis esset ruptum, aut a facie DEI penitus reiectus fuisset; sed quod in maximo concursu malorum propter peccata hominum sibi imputata (§. 650.), sic senserit iram DEI, aut DEVM a se, omnium peccatorum personam sustinente, alienum, vt nullum sentiret intra se ex plenitudine inhabitantis diuinitatis solatium. Ita enim lubentissime sententiae Baierianae subscribo. Conferri tamen et hic possunt, quae supra adduximus (§. 656.). Neque nos errare crederem, si septem illa Christi ex cruce pendentis verba, inter passionem illam internam referre nobis placeret. Nam 1) *deprecatio pro crucifigentibus* Luc. XXIII. 34. intuitu scil. fidei, aut 2) *commendatio matris suae in Iohannis curam* sustentationis, honoris etc. Ioh. XX. 13. 3) salus latronis *animae*, promissa Luc. XXIII. 43. 4) maxima (quae iam sequuntur post tenebras eloquutus) de derelictione querela (*Büttneri Curs. Theol.*)

Matth. XXVII. 46. vid. antec. 5) sitis Ioh. XIX. 28. 6) illud consummatum est Ioh. XIX. 30. omne sc. redemtionis momentum, ante mortem, et denique 7) commendatio animae in Patris manus. Matth. XXVII. 50. Marc. XV. 37. non ex alia prouenerunt ratione, quam ex sensu irae diuinae, tristitiaeque, qui ad animam pertinet, intimo. Vltima enim verba non triumphantis sunt, sed lamentantis. Optime haec pro more, id est, docte explicauit clariss. Praepos. Blankmeisterus in Homil. de h. m. et B. Rambachius von dem innerlichen und äusserlichen Leiden Christi. De computatione vero horarum passionis conferri meretur, *Zeltneri* diss. de Horologio Iohannis. Quis vero ex his omnibus euacuationem formamque seruilem (§. 889.); adeoque actus exinanitionis non perspiceret?

§. 796. Passionem illam magnam sequebatur denique *mors Christi*, quae est priuatio commercii animam inter atque corpus. Nam quia *corporis mors* in circulationis sanguinis cessatione consistit (§. 340. Phys.); quae per effusionem tantae sanguinis copiae naturali certe modo oriebatur; mortuo corpore, animae cum illo harmonice antea factae actiones cessare etiam debuerunt. Quo ipso tamen, quia anima eius immortalis (§. 540.)

§40.) functiones cogitationesque eius non cessasse docemus. Non ergo ratione solum sed exemplis etiam ex quibus notiones formandae, nostra mortis idea probatur. Interim θειον et hic conspicitur, dum Pater etiam filio in infami cruce pendenti miraculis et gloria parentauit. Nam 1) inducebantur tenebrae Marc. XV. 33. 2) Velum templi interius fuit scissum Matth. XXVII. 51. Ebr. X. 20. 3) terra erat commota, 4) petrae scissae, 5) sepulchra aperta, 6) sanctorumque nonnulli, qui ad vitam aeternam excitati videntur, surrexerunt 7) centurio testimonium perhibuit de Christo, aliis etiam qui cum eo erant, consentientibus Matth. XXVII. Nihilominus tamen, et morte vera, et modo, quo subiit, dolorosa scil. et ignominiosa, cum tamen omnium supremus fuerit Dominus (§. 6. Ph. Pr. Vn. 100.) statum exinanitionis discimus (§. 889.)

§. 797. Quodsi vero Christi mors in priuatione commercii animam inter atque corpus consistit (§. pr.); non est, cur separationem aliquam localem respectu animae Christi statuamus. Omne enim ex falsa illa et nondum probata mortis definitione, separationis scil. animae a corpore, oritur dubium, adeoque petitio est principii. Contrarium, potius ex §. pr. et ex Act. XX. 10.

nec non ex pluribus, quae in viuificatione aliquando perpetranda essent, sapienti in digna (§. 122. Th. N.) miraculis elucet. conf. (§. 811.). Verum dicis: contrarium docet Script. Matth. XXVII. 50. Marc. XV. 37. nec non Luc. XXIII. 43. 46. Verum quod ad vltimum attinet, vocabulum παραθησομαι significat, deponere. In deposito vero, rem tantum alteri custodiendam tradimus (§. 264. I. N.); id quod *manus* vocabulum etiam probat. Hinc non de *locali* hic separatione sermo est, sed tantum de *cura*. Alter vero, quem adduximus, locus, *statum* indicat, id quod Paulli etiam exemplo discimus 2 Cor. XII. 2 seqq. ita vt sensus sit: hodie beatifica, quae piis promissa est (§. 147. Theol. Nat.), *mecum* frui poteris DEI visione; quod Pauli exemplo, anima in corpore etiam habitante, fieri potest. Emittere vero πνευμα in prioribus, ventum vel halitum scil. vltimum denotat, adeoque mortem indicat corporis veram.

§. 798. Ad mortem denique, licet non ad eius *actum*, ad *statum* tamen, pertinet *sepultura* seu corporis Christi in monumentum nouum impositio Luc. XXIII. 53. Ioh. XIX. 41. eo fine suscepta, vt non solum certitudo mortis Christi inde eluceret, sed vt typus Ionae, et script. praedictio exacte implere.

pleretur Ion. II. 1. Ies. LIII. 9. Accedunt porro alii huius sepulturae, fines, vt sc. nostra secum sepeliret peccata Mich. VII. 19. et vt declararet, nostram spiritualem, in sepultura corporis peccati consistere, Rom. VI. 4. Col. II. 12. et vt mors et sepultura nobis ampliusnon sit horrori, nostraque sic sanctifica essent sepulchra.

§. 799. Etsi vero maxima circa sepulturam ignomia esset, militum hostiumque custodia Matth. XXVII. 63 seq; θεῖον tamen et hic conspicitur. Nam non solum a) qui paullo ante vix viuentem ausi sunt de nocte compellare, *Iosephus et Nicodemus*, diuites, *mulieresque* funeris curatores fiebant Ioh. XIX. 38. seqq. sed et b) locus, *hortus* sc. propter Adami in horto peccatum c) in petra porro sepulchrum, ne calumniae esset locus et quidem d) *alienum*, ad paupertatem indicandam, et quod pro aliena salute mortuus et sepultus; e) *Saxum* sepulchro aduolutum, ne esset ludibrio, et resurrectionis veritas et virtus magis confirmaretur. Recte etiam huc refertur, f) ablatio et g) ablutio corporis, eiusque h) vnctio.

§. 800. Triduum autem Christi mors du-

rauit, etsi non consummatum Matth. XXVII. 62. Minime vero contradicimus hoc modo Cap. XII. 40. distinguentes inter dies naturales et ciuiles, siue tria νυχθημερα vti *Hollazius* in Exam. Theol. loquitur, hebraismo recepto, eaque non integra, sed synecdochice quod frequens loquendi vsus, accepta siquidem in Paraseeue, Paschatis et Sabbati passus est Christus, et hora nona (quae tertia est nostra pomeridiana) spiritum emisit; hora decima (vel quarta nostra) sepultus; vnde duae adhuc reliquae erant horae ex illa νυχθημέρῳ, a quibus dies ille ciuilis synecdochice, ceu totum a partibus denominari poterat; cui dies integra Sabbathi in sepulcro transacta succesſit ceu alterum νυχθημέρον; ac tertium coepit, circa vesperam Sabbathi (cum vespera enim dies inchoabant Iudaei), a qua ad horam resurrectionis, in tertio die, horae circiter decem elapsae; id quod ex vnctione, quam mulieres, diluculo diei solis peragere voluerunt Luc. XXIII. 56. vbi tamen Christus iam resurrexit, adeoque circa horam fortassis quintam, quoque constat.

§. 801. Quia itaque per breue temporis spatium in sepulcro Christus fuit, praeterea etiam vnctus (§. 799.), optimaque et fortissima sanitate antea fuit; corrum-

corrumpi (verweſen,) corpus Chriſti non potuit. Nam immoderatus motus inteſtinus, quo portiones corporis ſubtiles, ſalino ſulphureae diſtrahuntur, et in ſal volatile oleoſum foetidum conuertuntur, craſſiores in terram leuem ac ſpongioſam permutantur, *putrefactio*; intima vero particularum ſolidarum et fluidarum ſolutio, *corruptio* dicitur. Multum itaque contribuit *aqua*, quia ſalia non agunt, niſi ſoluta; *calor*, et *aëris concurſus*, cuius adſertionis teſtis eſt fermentatio illa, quae excluſo äere liberiore inſtituitur. vid. *Stahlii* Zymotechniam, et *Iunkeri* Chemiam T. II. Quum itaque maxima ſanguinis et fluidi copia per varia illa paſſionis doloroſae genera fuit effuſa, et denique ex perfoſſo latere ſanguis et aqua reliqua effluxit, ſepulcro in petra, vna cum Saxo, ſepulcro aduoluto, calor aerisque liberior concurſus excludebatur; nec *conſummata* nec *inchoata* putrefactio aut corruptio, quoad Chriſti corpus cogitari poteſt. Naturali ergo, quia ſapiens praeter neceſſitatem miraculis haud vtitur (§. 122. Th. N.), modo, non tamen ſine directione diuina, a corruptione praeſeruabatur Chriſti corpus. Pſalm XVI. 10. Quoniam vero animale corpus, putredini quatenus ſubeſt, *cadauer* adpellatur; Chriſti corpus minime fuit cadauer. 1 Petr. 1. 18 19. contra *Bezam* ad Act. II.

et *VVolzogen* T. I. opp. et *Episcopium* Inst. Theol.) sed verum corpus humanum.

§. 802. Dum anima Christi non separata fuit ab eius corpore in sepulcro (§. 797.), hocque verum corpus humanum fuit (§.pr.), substantia in sepulcro etiam Christus fuit, mente et corpore constans, quae homo dicitur (§. 479.); Christus ergo in triduo mortis verus mansit homo. Quodsi vero verum adpellare hominem velis, qui animatus est, et cuius corpus ab anima informatur, erras, dum speciem assumis pro genere; homo enim recte in viuum diuidi potest et mortuum. Maxima haec scholasticorum tempore agitata est controuersia, quod ex *Lombardo, Thoma de Aquino, Bonauentura, Durando, Biel, Alexandro Alensi, et Marsilio Inguen* aliisque, maximos tamen plerumque errores admittentibus, videre licet. Accuratiori res tractabatur modo a *Lütkemanno et Meisnero* in dubiis vexat. negatiuam tamen defendentibus, quibus, et *Grauero*, satisfecit *Rhaw* in Christologia p. 185. et *Dannhauer* in Hodosoph. p. 628. Nam omnia, quae proferunt dubia, vel in falsa, quod iam §. 786. seqq. probauimus, *mortis*, vel *hominis* definitione, per iam h.§.dicta, fundamentum habent; hinc opus non est, vt in specie ea adducamus. Neruose ea sequenti syllogismo proponit *Meis-*

Meisnerus: Q. 1) vere moritur 2) de quo genus hominis superius negatur, 3) quia animatus non est, 4) in quo partes hominis constituentes, qua tales non dantur, et 5) qui nonnisi ob animi corporisque coniunctionem, quae in morte soluitur, homo est; is tempore illo mortis et sepulturae verus homo desinit: Atq. Christus etc. Ergo. Vnicum et quidem num. 2 ex nostris iam positis nondum solui potest principiis, hinc minor negatur, dum hominis genus, *animal* quidem concedimus, definitionem autem: *corpus sentiens et viuum* esse negamus. Nam sensionem *actualem* e. g. ex morbis acutis, et deliquio animi (§. 32 Psych.), ad animalis ideam non requiri, quiuis videbit. Subscribimus potius *Augustini* l. 1. de Trin. C. 13. ratiocinio; Talis erat susceptio, quae DEVM hominem faceret, et hominem DEVM, vnde sic colligitur: aut susceptio illa durauit in morte, aut desiit; si prius; fuit homo; si desiit, λογος non amplius fuit incarnatus. Ita etiam Psalm CX. 4. Ebr. VII. 3. dicitur sacerdos aeternus; omnes vero sacerdos est homo.

§. 803. Quoniam vero vnio naturarum in Christo nunquam cessat (§. 584.); et secundum vtramque naturam noster est sacerdos (§. 702.); vnio etiam durauit in tri-

duo mortis Act. XX. 28. 1 Cor. II. 8. Col. I. 13. 14. 20. 21. 1 Ioh. I. 7, Ebr. VII. 3. (Hinc theologice Christum in triduo mortis, hominem adpellare maluerunt. Verum vnio personalis ad ideam *humanitatis* non pertinet). Ergo quia etiam hoc in statu verus homo fuit (§. pr.), DEVS vero et homo in vnione personali, *Christus* est (per def.); Christus in triduo mortis et sepulturae existere non desiit; adeoque et tunc vocari potuit Christus. Hinc propositiones: ecclesiam ad tempus caruisse mediatore, totum Christum colere et adorare non potuisse, cadunt, contra *Socinianos*. Hinc noſtris doctrinis duo haec, mortis scil. Christi veritas, et vnionis personalis vinculum salua manent et illaesa, quae tricis nonnullorum Scholasticorum, laedebantur male.

§. 804. Denique quia in vtero materno Christum gessit per 40 hebdomadas Maria Ebr. II. 18. et cum mortuus, triginta circiter et tres annos, cum dimidio habuit (§. 735.) conceptio vero ad statum istum pertinet (§. 790.); status exinanitionis triginta et quatuor circiter annos cum 3 mensibus durauit; quo omne, quod ad redemtionem generis humani pertinet, omnino praestitit; id quod non ex pacto solum (§. 438.), sed *sapientia* etiam, qua finem obtinere potuit

et

et maximo erga humanum genus amore, constat. Hinc sepultura exinanitionis finis recte statuitur.

§. 805. Cessante vero et acquisito' fine, cesset actio. (§. 80. Ont.). Quum vero finem exinanitionis obtinuit Christus (§. pr.) cessare etiam debuit exinanitionis status et actus. Vsum ergo attributorum diuinorum perfectionumque rursus adsumere debuit Christus. Ergo euacuatio cessat, et μορφη δουλου (§. 788.). Ergo quia corpus multis imbecillitatibus in statu exinanitionis gessit (§. 552. seqq.); deponere illas debuit. Hinc finito exinanitionis statu corpus habuit clarificatum seu spirituale Phil. III. 21. quod 1 Cor. XV. 12. seqq. aliquo modo docetur. Quemadmodum enim spiritus, 1) agilis est et 2) se conspiciendum praebere potest 2 Reg. VI. 17. 3) *sua natura* in corruptibilis et 4) immortalis adeoque 5) nullo cibo, potu, aut vestibus opus habet, eaque propter 6) nullis doloribus excruciatur; ita iam et corpus esse debuit Christi. Ioh. XX. 19. Matth. XXVIII. 1. seqq. Act. I. 9. Rom. VI. 9. 10. Eph. I. 20. 21. Luc. XXIV. 30-43. accedit ob testimonium Script. Matth. XIII. 43. Dan. XII. 3. 1 Cor. XV. 41 seqq. maximo fulgore conspicuum. Quoniam vero a suis post resurrectionem agnoscebatur Christus Mat. XXVIII.

XXVIII. 9. Marc. XVI. 9. Luc. XXIV. 31 Ioh. XX. Act. I. 6. forma figuraque priſtina ſine dubio corpus eius praeditum fuit. Et quia omnibus hiſce conſpicuus eſſe debuit Chriſtus, ſtatus vero in quo corpus clarificatum, plenumque perfectionum diuinarum vſum habuit, *exaltationis* nominatur Phil. II. 7. 9. (dicitur etiam ὑπερυψωσις et δυναμις 2 Cor. XIII. 4. VIII. 9. glorificatio Ioh. XVII. 5. coronatio Ebr. II. 9. inthroniſatio Ebr. VIII. 1.) Chriſtus omnino erat exaltandus. Phil. II. 9. ſeqq. Pſalm VIII. 6. Actio denique, qua Chriſto corpus clarificatum et plenus diuinarum perfectionum vſus concedebatur, *exaltatio* dicitur *pro actu ſumta.*

§. 806. Non ergo exaltationis ſtatus, de quo iam loquimur (§. pr.), 1) pro iudicio hominum de perfectionibus Chriſti Pſalm XXXIV. 4. Ieſ. XI. 10. Luc. I. 46. neque 2) pro crucifixione Ioh. III. 14. VIII. 28. Multo minus 3) cum eccleſia *antiquiori* pro aſſumtione H. N. paſſiua, aut 4) recentiori (§. 789.) ſumitur, quo propter obſcurationem doctrinae de vera ſecundum Paulum, κενωσει, lites vsque ad F. C. alebantur.

§. 807. In ſtatu exaltationis ergo evacuatio et μορφη δουλε ceſſat, ita vt potius attributorum

butorum diuinorum vsum, cum corpore clarificato adsumserit (§. 805.). Hinc non in depositione *humanae* naturae eiusque attributorum, vnio enim est aeterna (§. 584.), sed potius a) in omnium infirmitatum carnis formaeque seruilis depositione vera et reali, externa etiam; (quod terminum *a quo* Theologi dicunt); b) in assumtione, et plena vniuersali et incessante Maiestatis diuinae communicatae (non ergo in patefactione occulti antea et clandestini iam exercitii vsurpatione, vna cum summa (hinc et in hoc statu adorandus) inde fluente dignitate Phil. II. 9. seqq. Ebr. I. 3. seqq. (id quod terminum ad quem vocant) et 3) in donorum habitualium corporis assumtione, *modus* seu *forma* exaltationis consistit.

§. 808. Quemadmodum imperfectiones seruilemque formam non habuit, quoad diuinam naturam in statu exinanitionis (§. 789.); ita etiam quoad eandem in statu exaltationis eas deponere non potest. Status ergo exaltationis non pertinet ad diuinam, sed ad humanam tantum naturam; quae ergo *subiectum quo*; sicut totus Christus *subiectum quod* omnino dici meretur. (§. 25. Ont.).

§. 809. Legimus vero Phil. II. 9. DEVM exaltasse Christum, et quidem recte. Nam quia

quia pactum, satisfactionem in se tantum continet (§. 438.), exaltatio vero ad satisfactionem non pertinet; ideo 1) ob pacti huius tenorem, 2) maioremque satisfactionis praestitae certitudinem, DEO adscribitur recte. Ast quia opus ad extra tribus personis communis est (§. 140.); Hinc patri Ioh. XVII. 5. Ebr. II. 10. Eph. I. 20. adscribitur et filio Psalm CX. 7. Matth. XXII. 49. Ioh. X. 17. seq. 1 Petr. III. 22. Et quia maiores in exaltatione vires accepit et dona (§. 805.) quae ab vnctione, a Spiritu S. proueniente, dependent (§. 711.); Spiritui S. etiam competit. Rom. VIII. 12.

§. 810. *Actus* seu *gradus exaltationis Christi* sunt actus, quibus continuo maiori modo, vt antea, exaltatus (§. 805.) conspiciebatur; quorum quatuor alii, alii quinque, plures alii numerant; dum *viuificationem* (quam conditionem praerequisitam ad disponendum Christum ad exaltationem quidam vocant) *adparitiones, aduentum* ad iudicium, et *glorioſum* cum beatis in aeternum *regimen* vel addunt, vel omittunt. Verum per adparitiones, aduentum illum, et regimen illud glorioſum maiori modo, vt antea Christus non conſpiciebatur exaltatus, vt potius exaltationis gradum quendam probent; hinc minime inter *exaltationis gradus* referri possunt; etsi

exaltati

exaltati Christi actus esse non negemus. Distinguunt etiam inter statum exaltationis *inchoatum*, qui a viuificatione ad ascensionem vsque; et *consummatum, ab ascensione* qui incipit, et in omnes aeternitates durat.

§. 811. Dum Christus exaltandus erat (§. 805.), quo maiestate communicata vti posset H. N. (§. 807. 808.); mortuus, vitam rursus accipere debuit, qui actus *viuificatio* Ζωοποιησις, dicitur; Christus fuit omnino viuificandus. Ergo 1) commercium illud animam inter corpus ipsi fuit restituendum (§. 799.). Quoniam vero corporis motus, respondere non possunt volitionibus animæ nisi corpus vivat (§. 155. Psych.); 2) vita etiam corpori erat concedenda; quae cum in circulatione sanguinis consistit (§. 340. Phys.); sanguis etiam Christo restituendus. Ergo vel proprius vel alienus. Non hic; quia numero idem exinanitus Christus, exaltandus erat (§. 805.) Phil. II. 9. Ioh. II. 19. Luc. XXIV. 39. Ioh. XX. 20. Ergo proprius. Proprium ergo in passione effusum rursus reassumsit. Ergo si computruisset; nouo DEVS ad pristinum reducere debuisset statum miraculo, quod cum sapiens non efficiat (§. 122. Th. N.); sanguinem eius non computruisse patet. 1 Petr. I. 18. id quod etiam ex Ps. XVI. 10. Act. II. 27. claret.

Nam

Nam quod de toto, idem etiam valet de partibus; adde quod hic sanguis nulla peccati labe infectus. Non ergo est, cur cum scholasticis nonnullis excipias, sanguinem Christi non pertinere ad idemtitatem suppositi, cum iam in antecedentibus h. §. errorem profligauerimus. Nec obstat, corpus, Christum habere spirituale et clarificatum (§. 805); haec enim non ad essentialia corporis, vti sanguis; sed ad accidentalia tantum pertinent. Haec controuersia inter Dominicanos, qui nostram; et Minoritas, qui contrariam defendunt sententiam, ante duo secula et quod excurrit, mota est, Pontifice Romano rem indecisam ob varias, quae ergo et hoc modo cadunt, in hunc vsque diem cum magna deuotione, Romae (et alibi) in *scala sancta*, sanguinis guttas, relinquente. Denique quia ex sepulcro, lapide licet imposito et nondum deuoluto penetrauit Christus Matth. XXVIII. 16. affectiones §. 805 citatas 3) corpus iam habere debuit Christi. Ergo in viuificatione iam exaltatus conspiciebatur Christus (§. 508.). Viuificatio ergo (ad quam tria §. h. proposita pertinent) primus quia immediate, exinanitionis statum sequebatur, est exaltationis gradus aut actus (§. praec.). Et quoniam viuificatio non aliter nisi per miraculum fieri potest; miracula vero producuntur a DEO

(§. 71.

(§. 71. Cosm.); DEVM viuificasse Christum patet. Et quia actio ad extra, quae tribus personis communis est (§. 140.); Patri non solum, sed λογω etiam, et Spiritui S. est adscribenda. Act. XIII. 33. seq. II. 24. 32. III. 15. IV. 10. Eph. I. 17. seqq. Ioh. X. 18. II. 19. 21. 1 Petr. III. 18. Rom. VIII. 11. Errant ergo *Sociniani* Christum se ipsum viuificasse, negantes probantesque 1) nullum hominem hoc posse. Resp. disting. inter hominem merum et θεανθρωπον 2) Script. Patri adscribere R. sed non soli. 3) precibus hoc impetrasse. Ebr. V. 7. R. hoc fecit in statu exinanitionis, vbi se non viuificauit, sed quaestio iam est de exaltationis statu, ergo vitium est elenchi. 4) Si Christus est DEVS aeternus, non moritur, nec viuificatione opus habet. Resp. vitium est elenchi, sermo enim de humana natura.

§. 812. Dum viuificatus exaltandusque Christus erat, quo ipso spirituale accepit corpus (§. 805.); omnia haec frustra fuissent, in sepulcro manere si perseueraſſet. Nemo enim certior hac de re insigni fuisset factus, omniaque V. T. Christique ipsius de resurrectione dicta, minime impleta fuissent Matth. XVI. 21. XX. 19. quod cum sit absurdum, (§. 13. Prol.); Christus ex sepulcro viuus (*Büttneri Curs. Theol.*) Mm prodire

prodire debuit omnino, qui actus *resurrectio* dicitur; Christus; ergo reuera resurrexit. Matth. XXVIII. 9. seqq. Marc. XVI. 9. seq. Luc. XXIV. 13. Act. II. 24. III. 15. IV. 10. Rom. VI. 4. seq. 1 Cor. XV. 17. seqq. Pertinet etiam huc decies circiter repetita apparitio, Apostolis praecipue, tanquam testibus resurrectionis ordinariis facta. Sunt vero 1) *Mariae Magdal.* Marc. XVI. 9. 2) *piis mulieribus* Matth. XXVIII. 9. 3) *Petro* Luc. XXIV. 38. 4) *discipulis Emauntem proficiscentibus* Luc. XXIV. 15. seqq. 5) *vndecim discipulis* Ioh. XX. 19. 6) *Thomae* reliquisque discipulis Ioh. XX. 28. 7) *Septem discipulis* in Galilaea Ioh. XXI. 1. 8) *quingentis fratribus* 1 Cor. XV. 6. 9) *Iacobo* 1 Cor. XV. 7. 10) *Congregatis discipulis,* et 11) *Paullo* 1 Cor. XV. 8. *Finis* ergo *resurrectionis,* 1) vaticiniorum impletio Ps. XVI. 10. seq. 2) suscipiendi exaltationis gradus vlteriores Act. XIII. 33. II. 24. Rom. I. 4. 3) iustitia Rom. IV. 25. 4) pax spiritualis Ioh. XX. 19. 5) Fraternitatis nostrae confirmatio Col. I. 17. 6) spes nostrae resurrectionis viua 1 Cor. XV. 20. seq. 7) renouatio Rom. VI. 4. 8) innocentiae suae declaratio. Quoniam vero humana natura mortem subiit (§. 796.); secundum humanam etiam (quae mentem et corpus complectitur per def.) resurrexit; hinc *subiectum quo* haec; tota vero persona συνθετος, quia

quia vnio semper durat (§. 584.). recte *subrectum quod* dici potest (§. 25. Ont.). Et quoniam viuificatio frustranea, nisi resurrexisset Christus (per antec.); tertio post mortem die, Matth. XVII. 23. Marc. IX. 31. et quidem tempore matutino Luc. XXIV. 1. Marc. XVI. 1. Quaestio denique mouetur: an nondum remoto lapide sepulcrali itemque clausis ianuis, prodiit? Possibilitatem corpus eiusdem clarificatum (§. 805.), ex discipulorum etiam sententia concludendum Luc. XXIV. 27. actualitatem vero scripturae testimonium loquitur Matth. XXVIII. 2. Ioh. XX. 19. 26. Penetrationem enim, quam 1) obiiciunt corporum, minime possibilem, distinctio, corpus inter *naturale* et *clarificatum*, et 2) quod clausae ianuae non temporis descriptionem, sed modum apparitionis indicare, contextus probat. Falsa ergo et haec *Socinianorum* est sententia: mortali, minimeque glorioso e sepulcro resurrexisse corpore vid. *Socinus* de *statu primi hominis* Cap. VIII. Obiiciunt quidem 1) non habuisse splendorem qualem Matth. XVII. 2. Resp. ex silentio script. ad negationem non V. C. adparuit tamen variis modis, qui corpus tale probant Ioh. XX. 15. Luc. XXIV. 16. 2) doctrinam de hoc corpore esse mysterium. 1 Cor. XV. 51. neg. immutatio enim hominum superstitum mysterium ibi vocatur. 3) non antea

glorificatum, quam Spir. S. miserit Ioh. VII. 39. Termini non mittere, et non glorificari, non sunt reciproci. Nam antequam effunderetur Sp. S. iam dudum in Coelis erat, an interea non glorificatus? Errant denique Iudaei, Gentiles, Turcae, qui resurrectionem Christi negant, quorum dubia minime cohaerent; testes enim sunt, qui eos refutant milites, custodes, et discipulorum timor, et impotentia, facinus illud Matth. XXVIII. 13. qui perpetrare ita non potuissent? Allegoricam resurrectionis explicationem *Thom. Woolstoni* refutauit *Christ. Wollius*, de Iesu spirituali in Anglia rediuiuo. Resurrectionem vero, *secundum* exaltationis actum esse (§. 810.) probat.

§. 813. Sunt, qui primum exaltationis actum vel gradum, non viuificationem sed descensum Christi, ad inferos realem et actualem adsumunt, immo et resurrectioni anteponunt; verum quod ad viuificationem attinet, nostram iam (§. 811.) mentem declarauimus. Descensus vero fieri aut concipi non potest, nisi viuus ex sepulcro prodiisset (per princ. contrad.); quod cum resurrectionem nominemus (§. pr.); Christum ante resurrexisse, quam descendisse patet; praecipue cum resurrectione viuificationem (quam resurrectionem *internam* adpellant, sicut

ſicut noſtram *externam*) ſi coniungunt. Ipſe vero qui ſtatuitur ad inferos deſcenſus varie ſumitur et explicatur. Quibusdam enim non eſt, niſi ſenſus ſeueritatis irae diuinae et lucta cum horroribus aeternae damnationis; *Bezae*, ſepulcro condi; *Georgio Sohnio* multisque aliis, totus humiliationis ſtatus; *Durando* et *Pico Mirandolano*, deſcenſus ſolum Chriſti virtualis, non actualis, h. e. metonymicus, non proprius; *Bellarmino* et *ſociis*, deſcenſus in limbum patrum, pro animabus, ex limbo patrum liberandis; *Graecis* multisque *veteribus Latinis*, qui ſimiles de patribus per deſcenſum Chriſti liberatis amant fabulas. *Socinianis aliisque* ſtatus illius temporis, qui inter mortem Chriſti et reſurrectionem interceſſit, et quo nullum interceſſerit diſcrimen inter illum ac caeteros mortuos. Miſſis his omnibus, controuerſiae hic eſt ſtatus: num Chriſtus ex ſepulcro reuera corpore et anima, ſeu λογος ενσαρκος reuera in πν damnatorum deſcendit? In duas vero eruditi hoc modo abeunt ſententias, quarum alia, deſcenſum hunc negat, altera affirmat; de quibus praecipue vide I. R. *Ruſii* digreſſio Apologet. de deſcenſu Chriſti ad inferos, vt ſatisfiat dubiis Schnitlingii, Lyſei reliquorum etc. Ien. 1730 eiusdemque Harmon. Evang. et I. G. *Weberi* doctrina tutior de Deſc. Chriſt. ad inf. et *Burcklin* de inferno aduerſus Anon.

Anglum. pag. 30. 8vo. Carols Ruh. Form. Concord. Art. X. et *Lutherus* in der Torgauischen Predigt vom andern Art. T. VI. Ien. *Chemnitii* in form. Conc. Disp. X. Quod ad ad rem nunc ipsam attinet, primarius ante omnia considerandus est locus 1 Petr. III. 18 19. 20. In eo autem conueniunt fere omnes per carnem intelligendam esse humanam; per spiritum, diuinam eius naturam; per carcerem denique infernum, non vero sec. *Osiandrum, tertium aliquem locum.* Qui vero realem in infernum transitum defendunt, atque descensum; de Christo, vrgent, Petrum loqui *incarnato,* qui itaque comm. 18. *subiectum.* Hinc *praedicatum,* abire et praedicare, quia eo tempore, vtpote quo Christus nondum incarnatus fuit, non est factum, subiecto alias non conuenire affirmant, v. 19. Dubium vero, quod alii his obiiciunt, 1) nulla esse in script. loca alia, aut *obscura* saltem, quae hanc euincant doctrinam, euertere conantur, ex loco, sic explicato, clarissimo, et negatione contrarium defendentium, maioris, non enim sequitur: Q. vnico tantum Script. loco nititur, illud est reiiciendum. 2) in Symbolo Apostolico olim hunc articulum non extitisse. Resp. non conceditur de omnibus huius Symboli exemplis; legit enim atque explicat iam *Ruffinus,* rursusque negatur maior. Q. in Symb. Apost.

non

non est scriptum, illud non est fidei articulus. 3) Script. et Symb. Apost, verba methaphorice posse explicari Resp. Neg. non enim methaphorice natus, passus etc. esse dicitur. 4) De praeconio poenitentiae per Noachum in Spiritu Christi, non de Christi ad inferos descensu, Petrum testari. Respondent: contrarium docere textum supra explicatum 5) Christi in infernum ad exinanitionis statum, referri posse descensum. Resp. verborum, quibus vtitur Petrus, ordinem Symbolumque Apostolicum, id non concedere. 6) negatur vsus praedicationis Christi ergo et praedicatio ipsa, Resp. quamuis non euangelium, legem tamen ab ipsis maxumo suo damno spretam in memoriam reuocauit, eosque hoc modo terruit, mortisque diaboli infernique victorem sese ostendit; vel ἐκηρυξεν, *proclamauit, denunciauit*, vertunt, quo ipso praedicatione scilicet *reali*, dubium cadit 7) *Soli* nominantur Noachi temporibus viuentes. Resp. ob pessima eorum id fieri scelera, et maximum in poenas infernales tunc detrusorum numerum, nec non ob diluuii, de quo vers. 20. 21. antitypum. 8) diabolorum potius quam damnatorum causa descendere Christus debuisset, qui tamen sine dubio resurrectionis veritatem alio cognoscere potuerunt modo; sicut et damnati, hinc frustraneus videtur ille descensus. Resp. diaboli

vt et ſpiritus in inferno, reliqui ſimul includuntur; fruſtraneum vero minime eſſe, ad dubium 6) reſponſio declarat; dum eo ipſo, ipſa ſupremi, in hoſtes etiam infernales, dominii poſſeſſio indigitatur. Probant quidem et aliis deſcenſum Chriſti, locis e. g. Pſalm XVI. 10. Eph. IV. 8 - 10. Col. II. 15. Act. II. 24 - 31. ſed non accurate. Nam quod ad primum attinet et vltimum, de ſtatu tantum mortis, non de deſcenſu in infernum loquitur diuina ſcriptura, id quod vocabulum שאול probat, conf. Gen. XXXVII. 35. Pſalm LXXXIX. 49. Hiob XVII. 13. 14. Ieſ. XXXVIII. 10. qui ſtatus Chriſto omnino moeſtus atque ingratus erat, nulla alias concipienda eſſet auerſio; adeoque ſenſus non relinques me in ſepulcro; נפש enim pronomen apud Ebreos, reciprocum eſt, quos Graeci imitantur. Ergo hic, ad ſtatum pertinet exinanitionis. In loco vero ſecundo de concordia, et harmonia, ad quam fideles adhortatur Apoſtolus, quam ob varia accepta dona fecerunt diſſonam, eſt ſermo; hinc Chriſtum omnia, quibus ſeſe, ſed ſine ratione hoc modo extollunt, dona et quidem per deſcenſum ſuum e cœlo in hanc terram, acquiſiuiſſe omnibus *communia* docet. Loca, vero terrae inferiora infernum denotare, probandum eſt. Tertius denique de morte loquitur et paſſione, id quod verba verſ. 15. vltima

de

de cruce Christi, quae Altare non solum, sed triumphi etiam signum est, indicant adeoque sine probatione ad descensum probandum adducitur. Quoniam itaque descensum defendentium imbecilles minusque sufficientes aliis videntur rationes; negare illum certe non erubescunt. Nam locum 1 Petr. III. si consideremus; non *praecise* et *ex professo* hic de descensu Christi materiam pertractare Petrum regerunt, vt scopus sit potius, hortari fideles ad patientiam, ne scil. scandalum ex persecutionibus, malitiaque hominum, quorum conditio eadem, quæ Noachi temporibus viuentium caperent. Quemadmodum enim Christi, Noachi diebus, vis atque potestas tanta fuit, vt ab omnibus sceleratissimorum nefariis insultibus liberare potuisset; ita hodie hac de liberatione auxilioque et potentia eius, iam peracto redemtionis opere, ad dextram DEI sedentis, multo minus ipsis dubitationis species esset relicta. Nihil ergo hinc baptizatis suis faciendum esse aliud, quam vt exemplo suo h. e. ipsius Christi, itemque Noachi multis variisque persecutionum generibus etiam contristati, patienter ferant omnia; vsque dum gratiae auxiliique radios in ipsos vibret; id quod ex conclusione, quam Cap. IV. 1. ex Principiis hisce deducit, etiam est videre. Verum.

hostes illi non sine ratione detrudebantur in infernum. Nam qui per diuinam omnipotentiam aut naturam (quae semper carni si opponitur, intelligenda Rom. I. 4. Ebr. IX. 14.) viuificatus est Christus iam ἐνσαρκος *tunc temporis* (καὶ enim *tunc*, etiam significat, conf. Matth. XVIII. 3.) in eodem spiritu seu diuina natura vers. 19. (quo ipso subiectum versu 18. antea ob passionem, ad incarnatum determinatum, hic commate 19. aliter determinatur, ita vt duo hic adsint subiecta, duaeque propositiones a se inuicem diuersae, quibus contrarium sententium explicatio antea producta cadit) πορευθεὶς *continuo* et *sine interruptione*, *saepe saepius* praedicare *iussit*, *praecepit*, *voluit* atque *procurauit* (lassen); spiritibus qui iam ob incredulitatem sunt in carcere, iis scil. vers. 20. etc. Qua itaque opposita sententia destruitur explicatione. Ita enim praedicata, conueniunt suis subiectis optime. Explicandum vero ita esse textum, circumstantias probare dicunt. Nam 1) ἐν denotat *in*, quamuis et alios plures habere posse significatus, minime negent. Nisi enim ita explices, nullum fere sensum fundit contextui et scopo conuenientem. Quid enim patientiae ad quam adhortatur Apostolus, cum descensu Christi in infernum et vice versa? nonne vel superfluus hoc loco adductus videtur? praesertim cum neque de exina-

exinanitionis, nec exaltationis ſtatu Apoſtolo praecipue loqui ſit animus: quae vero omnia ſec. noſtram explicationem in ſaluo manent. Quod vero πορευεσθαι, provti nos explicauimus, ſumatur, non ſolum ex 70, ſed et Act. IX. 31. cognoſcere licet. Si denique verba, quae actiones exprimere videntur, ſaepe de *voluntate* vel *permiſſione*, exponenda eſſe cogites e. g. Matth. VI. 13. 1 Cor. VI. 7. Luc. XI. 52; aut regulam illam *Stockii* in *Interpr. Graec.* p. 82. §. 88, *actio*, inquit, *quam verbum innuit, quandoque praedicatur de eo, qui in eam proxime non influit; ſed tantummodo procurat, aut quocunque modo aliquid ad eam confert*, e. g. Matth. II. 16. XIV. 10. Ioh. XI. 3. XIX. 1; ſine dubio noſtrae calculum adiicies ſententiae. De quo loquendi modo, vtpote in omnibus fere linguis vſitatiſſimo certe non dubitabis, neque, vt ſententiae contrariae ſpeciem conciliare poſſis, ad Ebraiſmum *minime* vt tibi videtur *neceſſarium* et *ſine ratione* adhibitum, (quod tamen negatur) prouocare neceſſe habebis. Nec eſt, quod ellipſin, qua ob contextum vtimur, vt dubium obiicias, vtpote quo ipſo tibi laborandum. Vocabuli vero πορευθεις verſ. 22. non eadem eſt conſtructio, quae verſ. 19. hic enim cum verbo; ibi componitur cum nomine, adeoque eadem in illis locis adſumi non poteſt explicatio. Ob particulam denique και τοτε

(vid.

(vid. praec.), obiectio nos non tangit, ac si verborum (dum ποτε ad verbum εκηρυξε referendum) connexionem nostra haec explicatio laederet, quae in saluo omnino manet. Denique verborum positum, quod *post* vinificationem factus sit descensus, vrgere certe non poteris, quia, quod saepius iam monuimus (hinc ex eo tempus etiam huius descensus cadit), *primario hunc* describere seu proponere non intendit diuinus auctor, sed tantum incidenter exemplo Christi verba haec adducit; alias nulla et conuersatio, et adparitio Christi post resurrectionem statuenda esset. Dubiis vero reliquis seu potius responsionibus ad dubia, supra propositis, occurrere se posse facile putant, posterioris sententiae amatores. Ceterum Antiquioris ecclesiae sententias collegit B. *Meisnerus* in tract. de h. m. et Vir clarisf. Dn. *Dittelmaierus* in histor. h. dogmatis. Interim descensum statuentes, non ideo liberationem patrum ex limbo ipsorum, quem in centro terræ fingunt, quae *Pontificiorum* sententia, aut in inferno aliquid Christum esse perpessum, aut diabolum vicisse, vt aliqui docent, concedunt. conf. *Lutherus* l. c.

§. 814. Peractis a Christo peragendis (§. 482 - 813.), non amplius visibilis eius in his terris necessaria erat praesentia (§. 80. Ont.). Hinc non sine ratione e monte Oliueti

Oliueti Act. l. 12. prope Bethaniam Luc. XXIV. 50. visibili ll. cc. et Luc. vers. 48. reali et successiua sublatione, vsque dum nube tegeretur, euectum esse Script. S. testatur Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 51. Act. l. 9. 10. 11. Actus vero, quo quis e terra in coelum eleuatur, *ascensio* dicitur *in coelum*: Christum ergo in coelum ascendisse claret, et quidem die, a resurrectione, quadragesimo Act. l. 3. Ergo inter *actus exaltationis* referenda (§. 810). Mons vero Oliueti et coelum loca sunt diuersa. Loci hinc mutationem in ascensione Christi factam esse patet, quae *motus* dicitur; qui, quia entibus non competit simplicibus (§. 51. Ont.), adeoque nec diuinae (§. 29.); humana natura *subiectum quo*: et quia vnio est aeterna (§. 584.), *subiectum* ascensionis *quod* totus θεανθρωπος nominari recte potest. Quoniam vero in pacto redemtorio, gloriam Christo DEVS promisit Ioh. XVII. 1 - 5. et rex est aeternus (§. 770.); aliud, quam quod post resurrectionem habuit, corpus neque potuit, neque adsumere opus habuit. Hinc eodem, quo antea anima circumfundebatur, ascendit Act. l. 10. 11. Errant ergo *Sociniani*, Christum in coelum ascendentem, aliud nouum corpus et sine carne ac sanguine, posito vel essentialiter mutato priori, assumsisse affirmantes, e. g. *Osiorodius* instit. C. XLI. §. 1. etc. cum

cum tamen Script. hac de mutatione taceat. Probant quidem 1) 1 Cor. XV. 45. Resp. Christus ita dicitur, quod e coelo venerit Ioh. III. 31. non quod materiam noui corporis inde sumserit. 2) 1 Cor. XV. 50. Resp. disting. inter carnem et sanguinem *simpliciter* et *vt est in statu naturali corrupto*, de quo sermo vid. vers. 53. seqq. Sed dicis: ita subtraxit nobis suam praesentiam Christus. Si de *physica* quatenus conspiciendum se nobis praebet, sermo sit, concedere sane possumus; minime vero si de omnipraesentia, quam abunde demonstrauimus (§. 645.), loqui ipsis placeret. Vbi per *essentiam* a nobis abest minime. Hinc rursus posterius hoc statuentes errant Sociniani *Smalz.* de diuinit. Chr. p. 100. *Socinus* aliique. Nam etiam post ascensionem ambulans in medio candelabrorum h. e. praesens in ecclesiis Apoc. I. 13. 20. et praesens in terra etiam describitur Matth. XVIII. 20. XXVIII. 20. Ioh. XIV. 23. Sociniani quidem de gratiosa haec explicare solent praesentia; sed fumum vendunt, dum haec sine vera et reali nec esse nec cogitari potest, dum precum auditio, gratiaeque collatio ab absente non est exspectanda. Deinde inter physicam, et omnipraesentiam distinctione, reliqua Socinianorum dubia tolli possunt. Nam locus seu *terminus ad quem* nullam nobis remoram iniicit; qui coelum a

Scriptura

Scriptura S. vocatur. Eph. IV. 10. Ebr. VII. 26. VIII. 1. IX. 24. Ergo non est coelum *aereum* vel *aethereum*, aut *gratiae*, quod ecclesia in his terris militans, vbi praesentia eius physica cessat; sed *gloriae* et *finitae*, quod locus seu τόπος est beatorum, quibus, vti et angelis conspiciendum sese praebet 1 Thess. IV. 17. et *infinitae*, quod est ipsa ad dextram DEI patris, sessio. Eph. IV. 10. Hinc adscensio duplici sumitur significatu, *latiori* sc. pro adscensione cum iis, quae hanc erant secuta; et *strictiori*, prout nos princ. h. §. adeoque sine consequentiis istis, descripsimus. Quoniam vero adscensio opus est ad extra; tribus personis est communis (§. 140.) *Patri* sc. Luc. XXIV. 52. Act. I. 9. filio Ps. LXVIII. 19. Ioh. III. 13. Eph. IV. 10. Act. I. 11. Ebr. IV. 14. et Sp. S. Denique quia in coelum est euectus gloriae (per ant.); obtinere illud, quia sapiens non sine fine ac intentione agit (§. 102. Pn. oc.), certe Christus intendit (§. 53. 100.); finis ergo adscensionis, plenarius et glorioſus maiestatis suae vsus, de quo statim; indiciumque officii in his terris mediatorii sufficientissime peracti (princ. h. §.). Quoniam vero nisi Christus opus redemtionis peregisset, ascensioneque sua peractum monstrasset, salutem, cuius iam participes redduntur, aeternam homines habere non potuissent, (§. 284. seqq.); ideo vt dona

assumeret

assumeret, distribueretque, nec non viam hominibus vt monstraret; sedemque coelestem ipsis praepararet, atque patefaceret, et pro nobis intercederet, (§. 690. seq.) adscensionis scopus recte statui potest; Ioh. XIX 22. Apoc. III. 17. et quia bona adpetimus (§. 128. Psych.), vt adpetitus nostros ad coelestia conuerteret atque traheret Matt. VI. 21. Ioh. XII. 32. Col. III. 2. Distinguendum tamen inter fines primarium et secundarios. Sunt, qui missionem Sp. S. vt finem etiam adducunt. Verum adscensio causa tantum hic est sine qua non (§. 68. Ont.): adeoque minime finis (§. 80. Ont.). Ioh. XVI. 17. Luc. XXIV. 49. Quibus obseruatis Socinianorum, contra praesentiam Christi, a *Vicaria*, quae tamen sic negatur, Spir. S. praesentia, dubium optime potest refelli.

§. 815. Adscribitur etiam in Script. sessio Christo ad dextram DEI *Patris* Ps. CX. 1. 2. Matth. XXVI. 26. 64. Marc. XV. 6. XVI. 19. Luc. XXII. 69. Rom. VIII. 34. 1 Petr. III. 22. Ebr. I. 3. VIII. 1. XII. 2. Apoc. II. 21. Quoniam vero homo DEVS non est (§. 31.); locus aliquis coeli definitus per sessionem certe non denotatur. Hinc verborum notiones θεοπρεπως determinemus est necesse, ne Anthropomorphismi vitium committa-

committamus. *Sedere* ergo seu *stare*, quo etiam vtuntur Scriptores Act. VII. 55. *occupationem loci perpetuam et immutabilem* designat, nec non *summi magistratus*, qui in iudiciis sedendo ius dicebant, certissimum signum 1. Sam. IV. 4. Psalm LXXX. 2. Dan. VII. 9 - 13. Ioel III. 12. Quia vero in dextra vim homines habent robur atque potentiam; in DEO dextra nil est nisi omnipotentia; Exod. XV. 6. et quia maioris ei qui alterius occupat dextram honoris gradus tribuitur; ita maximus a DEO cuidam tributus honor intelligitur. Hinc *sessio ad dextram DEI patris* est plenarius maiestatis diuinae vsus; id quod ex locis etiam citt. patet. Quid vero Maiestas sit diuina, ex notionum iam euolutione perspicere quiuis valet. Quia itaque est maiestatis diuinae vsus plenarius; a patre vero, et filius et Spiritus S. suam habent communicatam diuinitatem; ipse vero a se (§. 123.); recte sessio illa ad dextram DEI *Patris* exprimitur. Non ergo, et recte quidem, dextra DEI *absolute* dicitur, alias, quia Christus est DEVS, itemque Spir. S. ad sui ipsius Sanctique Spiritus sederet dextram; immo quia Christus, vt DEVS, ipsa est maiestas et dextra diuina; ipsa DEI dextra, ad dextram sederet DEI. Ex quo humanam θεανθρωπε naturam *subiectum quo* huius sessionis esse patet. Quoniam vero vnio est

aeterna (§. 584.); Christus θεανθρωπος recte subiectum quod hic dici potest. Rom. VIII. 34. Eph. I. 20. 21. Non tamen ideo facimus cum *Pontificiis*, qui *exaltationem* ad dextram Christo secundum vtramque naturam tribuunt. Intelligunt enim per sessionem diuinam diuinae in Christo naturae maiestatem, et summam beatitudinem humanitatis, ast finitam et creatam. Quia porro sessio haec est opus ad extra; virtute tribus etiam Diuinitatis personis communi est exaltatus. Hinc *Patri* adscribitur Ps. CX. 1. Eph. I. 20. 21. Phil. II. 9. et *filio* Ebr. I. 3. 1. Petr. III. 22. Si itaque per sessionem Christo plenarius maiestatis diuinae vsus est concessus; *dominium* vere diuinum, infinitum et vniuersale, ipsi etiam est concessum. Hinc hostium ad scabellum pedum 1) *prostrationem*, 2) *emissionem sceptri*, seu conseruationem regni gratiæ; 3) in medio inimicorum *dominium*; 4) subditorum regni gratiae *cultum spontaneum*; 5) innumerae prolis *generationem*; 6) aeternique sacerdotii *administrationem* nec non 7) rebellium *poenam et iudicium* recte Christo tribuit Dauid. Ps. CX. Ex quibus statim sessionis fines concluduntur, scil. vt humana eius natura plenario maiestatis vsu *frui*, Ebr. XII. 2. Ies. LIII. 10. seqq. officiisque suis eo melius omnibus viribus satisfacere possit. Ebr. IX. 24. 1. Ioh. II. 1. Rom. VIII. 33. 34.

Hoc

Hoc itaque modo regnum regere incepit gloriae (§. 770.), quod aeternum (§. 769.); sessio ergo Christi ad dextram DEI aeterna erit. Non ergo *satis accurate Patres* quidam *Brenzius* et *Wurtembergenses nonnulli, Christum in ipsa statim incarnatione, ad dextram Patris sedere incepisse*, dixerunt. Denique omnipraesens etiam alii addunt dominium, praesertim in sacra coena; nec non futuram gloriae manifestationem, quod scil. rediturus sit ad iudicium iudex viuorum et mortuorum; verum etsi vtrumque minime negemus; Act. I. 11. XVII. 31. Ioh. V. 22 - 28. 2 Tim. IV. 1. Matth. XXV. 31. seqq. non tamen hoc loco (nondum enim principia explicauimus necessaria) pertractare possumus.

CAP. X.

DE FIDE IN CHRISTVM.

§. 816.

Cum de gratiae foedere eiusque sponsore hactenus egerimus in genere (§. 429 - 815.) vt *partes* eius iam et naturam in specie consideremus, ordo postulare videtur. In omni autem foedere examinandae sunt 1) *stipulatio* s. *lex* 2) *promissio* et *comminatio*, 3) *adstipulatio*, et 4) restipulatio (§. 298.); ergo et in foedere gratiae. Lex vero hoc in foedere est *fides* Ioh. VI. 29. ante omnia ergo de fide

in Christum nobis erit agendum; id quod etiam alio probare possumus modo. Nam quia rupto operum foedere, mortem pati homo debuit, temporalem, spiritualem et aeternam (§. 284. seqq.); aliter certe esse aut fieri non potuit, quam, si ex intentione DEI, vitam rursus habere voluisset homo, vt θεανθρωπος, vita et morte *pro homine* DEO faceret satis (§. 429. seq.); quod etiam praestitit Christus (Cap. pr.). *Praestare* vero *pro nobis quid* dicitur, si ea quis suscipit, quae a nobis ipsis sunt suscipienda. Quodsi itaque alterius, cui praestatur in hanc actionem consensus accedit; per principium reductionis idem est, ac si ipsi huius actionis auctores fuissemus aut causae (§. 86. Psych.); adeoque alterius hoc modo actiones per consensum nostrum nobis imputari possunt (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Quoniam vero libertate gaudet homo (§. 145. Psych.); actionis huius imputationem vel reiicere, vel sibi *adplicare* h. e. in eam consentire potest. Hinc actionem alterius nostri loco susceptam, vt meritum considerare valemus, siue minus (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Si hoc; in actionem consensum nostrum non damus, adeoque nobis *vsui* esse nequit. Non ergo nisi in eam eiusque effectus consentiamus, h. e. *meritum Christi apprehendamus*, satisfactio vsui esse nobis potest. Quodsi ergo meritum Christi nostrum

nobis-

nobisque vsui esse debet; non in satisfactionem Christi solum, sed et imputationem eius consentiat, hoc est *eandem apprehendat*, vel *ad se adplicet* est necesse. Quum vero adprehensio satisfactionis seu meriti Christi *fides* dicatur *saluifica* seu *iustifica*; vt credat, dum quiuis maiorem semper perfectionis gradus sibi acquirat, leges praecipiant naturales (§. 47. I. N.) est obstrictus *omnis*. Ex oppositione igitur quid *incredulitas* seu *απιστια* sit, facile intelligitur, non adprehensio scil. satisfactionis Christi. Non ergo de fide loquimur *Logica* (§. 180. Log.); nec de *beneficia*, aliorum praeter salutem animae bonorum nos participes reddente; quae rursus 1) vel *ordinaria* et quidem *generalis, historica*, assertis DEI agnitis omnibus assentiens, in Script. propositis Ebr. XI. 1. Ioh. XX. 25. seqq. Iac. II. 19. aut *specialis*, seu *fides bonorum temporalium* et *charismatum spiritualium donatrix*, promissis diuinis de quibuscunque beneficiis [u.] g. *sanitate corporis, per adminicula consueta obtinendis* confidens; vel 2) *Heroica* quae et *miraculosa* seu *miraculorum* audit, quo DEVM miraculum certissime productum esse, quis credit, quae rursus in *actiuam*, seu fiduciam *extraordinariam* ea quae sunt supra vires naturae patrandi; saepe cum impetu vehementiori Ebr. XI. 32. seq. (qui singulariter fides I. Cor. XII. 9. audit) coniuncta, et a fide saluifica

interdum separata est Matth. VII. 22. seq. XVII. 20. 1. Cor. XIII. 2. diuiditur et *passiuam* seu confidentiam supra vires naturales beneficium accipiendi; quae similiter absque fide salutari esse potest. Luc. XVII. 17. seq. Matth. IX. 27 - 30. Marc. VI. 5. 6. IX. 23. 24. vid. *Zeltneri* distinctiones in *summario Theol. Dogm.* Neque fidei vocabulum idem hic est cum *fidelitate* seu constantia in seruandis promissis, prouti *Cicero* aliique scriptorum immo et Script. ipsa, hoc modo vocabulo vtitur Rom. III. 3. Ita etiam pro *conscientia certa* (§. 73. Ph. Pr. Vn.) hic non supponitur Rom. XIV. 23. Denique de fide *quae* seu *obiecta* quae doctrina est ad credendum in Script. S. patefacta Gal. I. 2 3. III. 23. nos non loqui, sed de fide *qua*, seu *subiectiua*, vt supra descripsimus, quiuis facile videbit. Haec rursus pro *actu*, seu actionibus, quibus homo meritum Christi adprehendit, sumitur et pro *habitu* seu facilitate meritum Christi adprehendendi. Hinc *actualis* et *habitualis*. Ergo qui credit, saluatur, non credens damnatur Ioh. III. 16.

§. 817. Quoniam vero adprehensio meriti Christi fides est (§. pr.); ad fidem 1) requiritur *notitia* de Christo, eiusque merito, rerumque ad salutem *necessario* pertinentium, et gratia DEI. Sed quod superficiarie, obscu-

reque

reque cognoscimus, cum aliis facile confundimus, adeoque quod huic superstruitur, corruit atque dilabitur (per pr. Log.); adprehensio et fides non *superficiariam* et *implicitam* h. e. obscuram (§. 8. Log.), et quae aliis cum rebus facile confundi potest adeoque nec *carbonariam* aut *mere historicam* postulat notitiam; sed *distinctam* (§. 28. Log.) et *explicitam* res ad salutem pertinentes, provti sunt et debent, nobis sistentem. Quae quia post lapsum ratio sibi relicta cognoscere non valet, dum neque de Trinitate, neque de Christo mediatore sibi formare potest ideam (§. 205 324. seqq.); lumine supernaturali sit accensa 1. Cor. II. 12. seqq. Rom. X. 14. Iesa. LIII. 11. Ioh. XVII. 2. Luc. I. 77. 1 Tim. II. 4. Gal. IV. 9. Fides ergo per rationem propriam oriri nequit. 2) Verum enim vero adprehensio quia est assensus (§. pr.); requiritur etiam ad fidem *adsensus* seu *approbatio* eorum, quae diuinitus patefacta, diuinaque conuictione nixa. Pertinet ergo huc non *generalis* solum omnium veritatum DEI salutarium (quae ergo et *obiectum* fidei §. 25. Ont. Ebr. XI. 1. seqq. sed *specialis* praesertim quae de Christo *mediatore* et per eum impetranda gratia DEI et salute in Script. traduntur. Et quum in *imputationem* satisfactionis Christi adprehensio consentit (§. pr.); assensus requiritur talis, quo propositiones, quae de

Christi merito in Script. *vniuersaliter* adducuntur e. g. Ioh. III. 16. 2. Cor. V. 15. 1 Tim. II. 6. 1. Ioh. II. 2. ad nos in *individuo* et singulatim adplicemus; id quod quia genus speciem et omnia individua continet (§. 56. Log.), sine dubio licet. Ioh. XX. 20. Luc. II. 47. Gal. II. 20. 2. Tim. I. 12; quae imputatio ab aliis *fides* salutatur *specialis* ab a) *obiecto* scil. et b) *applicatione speciali*, non vero a *speciali* seu *particulari promissione* aut *reuelatione* sic dicta. Denique quia passione, DEO satisfecit cum eoque nos reconciliauit Christus (§. 672.); effecit, vt amare nostramque *hinc* felicitatem rursus promouere DEVS possit (§. 61. 63.), quae quia aeterna est et temporalis (§. 137.), DEVS non salutis modo aeternae nos participes reddere, sed et male facta nostra h. e. peccata, tanquam non facta considerare seu ea remittere variisque, quæ tamen hic non in censum veniunt, corporalibus atque corporis animaeque respectu temporalibus, immo et spiritualibus, nos cumulare potest (per princ. reduct. §. 86. Psych.). Hinc quia satisfactio peragi nisi a θεανθρωπω potuit (§. 54. Diss. Prol.); nullusque talis Christo excepto, in toto mundo reperitur 1. Tim. II. 5. in Christo eoque solo, eiusque praesertim merito, nostra peccatorum est quaerenda salus Act. IV. 12. et quidem, quia DEVS promissa sua infallibiliter seruat

seruat (§. 73.); bona quae iam recensuimns omnia, *certissime* exspectare, adeoque tanquam praesentia nobis repraesentare possumus. Cum itaque tot tantaque ex satisfactione Christi fluant bona (per antec.); bona vero creent voluptatem (§. 89. Psych.); et voluptas de bonis certissime obtinendis *fiducia* audit (§. 109. Psych.); meritum Christi adprehendenti seu *cred.* (alias enim non adprehenderet) 3) *fiduciam* in Christum habere incumbit. Per fiduciam ergo in Christo, eoque solo, et non in alio, nostram peccatores salutem quaerimus (per antec.). In quo autem finem nostrum obtinemus, vt non amplius ad aliud confugere necesse habeamus, in eo *acquiescimus* (per def.); fiducia recte cum Theologis definiri etiam potest per eiusmodi actum, quo voluntas acquiescit in Christo Mediatore, tanquam bono praesente atque nostro et causa alterius boni, nemper emissionis peccatorum et vitae aeternae consequendae, haecque beneficia, tanquam eleemosynam, ex manu DEI dantis auide arripit, suaque facit Marc. X. 15. Ioh. I. 15. III. 33. Rom. III. 25. IX. 30. seqq. V. 17. Col. II. 6. 1 Petr. I. 13. Tria autem haec, *notitia, assensus, fiducia*, vt *partes*, seu *gradus*, aut *requisita* fidei adduci solent. Verum quia fiducia, et assensum in se continet et notitiam; *vnica* fidei pars et recte quidem statui potest. Quae enim in

aliis iam continentur notae, definitionem ingredi non possunt (§. 106. log.). Hinc *fides* definiri etiam posset, actus vel habitus (§. pr.), quo in merito Christi acquiescimus, seu si mauis, quo salutem nostram (aeternam inprimis) in Christo eoque solo quaerimus. Ast et haec neque assensum excludunt, neque notitiam, sed potius vt aliorum est sententia, praesupponunt. Res ergo rediret ad Logomachiam (§. 85. L.). Ex qua ratione ad Logomachiarum classem pertinet, si qui duas, *assensum* et *fiduciam* ad fidem requirere malunt. Loca vero Ioh. VI. 69. XVII. 3, Luc. I. 77. Act. XVIII. 23, Gal. IV. 9. stante illo: *posito vno non tollitur alterum*, vtramque posteriorem destruere haud valent. Melior sane atque commodior haec trium fidei partium enumeratio est, quam si cum aliis, *notitiam* (quibus alii *assentionem* addunt, adeoque quatuor fidei gradus statuunt) *desiderium* et *acquiescentem fiduciam* assumere vellemus.

§. 818. In Christum fides ad salutem est necessaria (§. 816), praeterea explicita requiritur notitia (§. 817.). Errant ergo *Fanatici*, *Quackeri* et *Remonstrantium* nonnulli, haec negantes, talemque etsi notitia explicita et distincta, tametsi honeste et probe vitam agat, aeternam tamen salutem adipisci posse somniantes. Obiiciunt quidem 1) gratiam DEI vniuersalem. Psalm. LXXVII. 8. seqq. Ezech. XXXIII.

XXXIII, 11. 1 Tim. II. 4. R. est vniuersalis respectu voluntatis *antecedentis* sed *conditio* etiam est *implenda* scil. adprehensio, alias non credens damnatur (§. pr.). 2) per lumen insitum (ad quod stabiliendum omnis haec controuersia inuenta est) citra verbi praedicationem, fidem aliquam accendi, idque salutiferum et sufficiens esse. R. Vel lumen *naturae* intelligitur, quod insufficiens, quod tota diss. prol. demonstrat; vel *supernaturale* quod contradictorium et impossibile (§. 46. Prol.) 3) obi, *extraordinariam gratiam*: sed non disputatur, quid facere DEVS possit, sed quid velit. 4) Act. X. 34. Resp. non de *vitae genere* aut *religione qualicunque* sed gente et *populo quocunque*, saluo tamen salutis ordine, locus agit. *Cornelius* enim proselytus concionem audiuerat, fideque tantum imbecilliori fuerat, a Petro iam confirmanda, qui etiam non de possibili ethnici conuersione dubitauerat, sed vtrum sine *circumcisione interueniente* conf. Cap. XI. 3. in ecclesiam hic Christi recipiendus esset, melioraque iam se edoctum profitetur. Exempla denique 5) Melchisedeci Hiobi, Discipulorum Christi ante resurrectionem, et ipsius Mariae, quae filium non nouerat, contrarium potius probant; quippe priores in V. F. pro temporum illorum Oeconomia, non tam clariorem, hodierna, veram tamen ex Noachi disciplina sine dubio habue-

habuerunt doctrinam. Ad posteriores quod attinet vid. Matth. XVI. 16. Ioh. VI. 68. Quod vero de *Iethrone*, qui tamen sine dubio per Mosen edoctus, *Zenone* porro *Aristide*, *Socrate* aliisque proferunt, petitiones sunt principii conf. *Zeltneri* breuiar. cum Fanat. et *Iaegeri* Comp. Theol.

§. 819. Fides specialis omnino datur (§. 817.). Errant ergo *Pontificii*, qui illam tanquam inanem fiduciam ac persuasionem traducunt. Obi. 1) nulli vspiam peccatorum remissionem peculiariter reuelasse. Resp. in vniuersalibus illis §. 817. propositionibus omnino in *genere*, licet non in indiuiduo, quod superfluum. 2) falso multos de sua fide persuasos esse. Resp. ergo notas fidei in se probe perpendant. 3) fidem specialem impedire orationem, sacramentorum vsum etc. Resp. neg. Orandum enim est quoque pro conseruatione et augmento fidei, et sacramentorum vsus vt summe necessarius nobis est iniunctus.

§. 820. Fiducia est pars fidei constitutiua eaque principalis (§. 817.). Errant ergo *Pontificii* cum *Bellarmino* de Iustif. L. I. C. V. VI. qui eam, *solum* assensum firmum et certum describit. Obi. 1) Fidei obiectum debere esse praesens R. est; *moraliter* ratione valoris et meriti cum in V. tum N. T. etsi non physice. 2) fidei obiectum esse omnia diuinitus

revelata

reuelata, non *solum* Christi meritum. Resp. dist. inter obiect. *immediat.* quod Christus Rom. III. 25. et *mediatum*, quod reliqua ad fidem *praeparatiue* aut *consecutiue* est doctrina; quae sola e. g. lapsus Adami vel eiusdem creatio etc. saluos nos minime reddit. 3) fiduciam etiam in non credentes cadere Luc. XVIII. 9. 14. R. dist. inter praefidentiam seu praesumtionem v. 9. et fiduciam veram (§. 817.). 4) effectus fidei non est ipsa fides; fiducia Eph. III. 12. etc. E. R. in fonte: in quo habemus loquendi fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius; ergo *fiducia loquendi* cum DEO effectus fidei est. 5) 2. coniunctum cum metu, non est fiducia; sed fides Ebr. XI. 7. R. dist. inter metum seruilem et filialem, qualem habuit Noah, quae cum fiducia consistere omnino potest.

§. 821. Quodsi vero in Christo eoque solo peccatores salutem nostram quaerimus (§. 817.); eumque adprehendimus (§. 816.); Christus (qui ergo *obiectum* fidei *personale*, sicut satisfactio eius *reale* §. 25. Ont.) per fiduciam aut fidem vt bonum *nostrum* et *praesens* (§. 820.), omnino est considerandus. Hinc differt a *spe*, *futura* bona vt *futura* expectante 1. Cor. XIII. vlt. differt etiam a *pace conscientiae*, quae absentia est angorum conscientiae. Nam quia conscientiae angores ex consideratione peccatorum oriuntur (§. 78.

Ph.

Ph. Pr. Vn.); per remissionem eorundem tollantur est necesse; quam per fidem adipiscimur (§. 817.). Pax ergo conscientiae est effectus fidei, adeoque a fide diuersa Rom. V. 1. Denique quia *amor* seu *dilectio* in coniunctione cum ente consistit, voluptatem inde percipiendi (§. 113. Psych.); fiducia vero in Christo salutem quaerit, eumque vt rationem atque principium aliorum bonorum considerat (§. 817.), ob quae amor demum existit; dilectio demum ex fide sequitur, adeoque est effectus fidei, et hinc a fide distincta. Immo etiam certo respectu dilectio esse potest sine fiducia.

§. 822. Fides ergo, quia salutis aeternae, remissionisque peccatorum per eam participes reddimur (§. 817.), inter *principia* et *rationes* seu vt alii loquuntur inter *causas* salutis recte habere locum potest. Sed nisi Christi esset meritum, nulla existere etiam posset fides. Hinc fides nos non *per se*, seu per modum *actus* et *habitus*; sed ratione *obiecti*, quod est Christus (§. 817.), seu thesauri quem tenet, sicut *manus mendici thesaurum* adeoque vt *instrumentum* et *organon* (nicht als ein Werk, sondern Werkzeug,) vt *iusticapa* saluat; id quod ex definitione quoque patet. Nam quia peccata remittuntur ob satisfactionem Christi, quam *tantum* per fidem, nostram facimus (§. 816.),

omnis

omnis res semper tamen redit ad meritum Christi, et fides tantum est conditio, seu causa sine qua non (§. 68. Ont.). Quoniam itaque *instrumentum* et *organon* illud dicitur, mediante quo aliquid efficitur; per fidem vero, vt meritum nobis Christi prosit, efficimus (per antec.); fidem nos tantum vt instrumentum et organon, adeoque non vt *actus* aut *habitus*, iustificare, satis liquet. Errant ergo *Remonstrantes*, qui posterius affirmant. Quodsi enim, secundum *ipsorum sententiam* vt actus vel habitus, qui per aestimationem gratiosam seu acceptilationem, vt iustitia nostra, imperfecta quidem per se, pro perfecta tamen propter Christum habeatur et ad eum valorem benigne euehatur; satisfactio Christi non plena esset, nec fides per δεχεσθαι, αποδοχην, λημψιν Christi Ioh. I. 11. 12. Col. II. 6. Gal. III. 14. Rom. IX. 30. V. 17. describi posset. Obii. 1) nusquam Script. docere: iustitiam Christi nobis imputari; sed vid. Rom. V. 19. Phil. III. 9. Rom. II. 4. seqq. Vbi opera excluduntur. 2) non posse alienam iustitiam alteri imputari; sed contrarium quotidie videmus. Philemon. 18. 19. 3) sed ita nullam a nobis amplius obedientiam exigi posse. Verum et homines subditique sumus DEI, qui ob naturam sine lege obedientiaque ei praestanda, esse non possumus (§. 6. Ph. Pr. Vn.). Deinde etiam

conce-

concedere possumus argumentum, si de exigenda obedientia sermo sit ad satisfactionem praestandam, quam Christus pro nobis DEO praestitit plenarie; exigitur autem ad demonstrandam gratitudinem, et pietatem 4) Rom. IV. 4. sed fides hic per metonomyam, vt continens positum sit, pro contento, spectatur, sine vt alii loquuntur, *obiectiue, concretiue, complexe;* non *incomplexe;* quem fere in modum patina famen sedasse dicitur.

§. 823. Homo in spiritualibus nullas habet vires (§. 346.) et ex sola ratione fides existere nequit (§. 817.); E. fides non nisi a DEO producitur, et quidem est opus ad extra, a tribus personis Patre, F. et Sp. S. Ioh. VI. 29. 44. Rom. I. 8. Phil. I. 29. Ebr. II. 2. XII. 2. Rom. VIII. 15. 1 Cor. XII. 3. DEVS ergo recte causa dici potest fidei efficiens; et adpropriatiue Sp. S. 1 Cor. XII. 3. 2 Cor. IV. 13. Eph. I. 17. quam per *verbum Euangelii* et *baptismum*, quae ideo a quibusdam *causae instrumentales* dicuntur, producit, de quibus infra; Rom. X. 17. Gal. III. 2. 5, vbi etiam doctores, *ministeriales* causas esse demonstrabimus, *meliores* ipsi si fidem habent; etsi fide haud instructi, vtpote qui omnia ad fidem pertinentia docere etiam possunt, non excludantur. Ita etiam alia, quibus homo vti potest, qualia sunt preces, Scriptorum diuino

diuinorum spiritualiumque lectio & auditio, &c. suo loco indicabimus.

§. 824. Sola gratia & misericordia DEI ratio est, cur is salutem homini concedere velit (§. 340.). Ergo quum per fidem salutem habeat homo (§. 816.); gratia & misericordia DEI, *causa*, vt loquuntur *impulsiua* fidei *interna* recte statuitur. Phil. I. 29. Rom. IX. tot. Sed sine Christi merito nulla esset fides (§. 816.); meritum ergo Christi, *externa*. Eph. I. 3-11. Et quia gratia DEI vniuersalis (§. 457.); ad omnes pertinere fides debet. Verum per fidem, Christi apprehendimus meritum (§. 816.). Pro quibus ergo non satisfecit, meritum apprehendere eius non possunt. Ergo non pertinet fides ad Christum; neque ad angelos bonos aut malos; neque ad bruta (§. 657.); ad solos ergo et omnes homines eosque peccatores; qui vel damnati sunt vel beati, vel adhuc in regno gratiae. Damnatorum poena est aeterna, adeoque ad salutem minime pertingunt (§. 276.). Ad hos ergo non pertinet fides. Beati vero salutem iam sunt consequuti (§. 770.). Ergo respectu horum locum habere haud potest, dum opus ea non amplius habent, adeoque tunc cessabit 1. Cor. XIII. 13. Ad solos ergo omnesque in gratiae regno. Act. XVII. 31. Quoniam vero libertate homi-

nes non priuat (§. 121. Th. N.); fidei collationi possunt et reuera etiam proh. dolor resistunt! ex quo cur omnes fide non sint praediti intelligere licet! Rom. X. 16. Neque est vt dicas: in statu etiam fuisse integritatis (§. 205.). Nam quia status hic dudum iam cessauit, praeterea Christus tunc in mundum non venisset (§. 582.), quo ipso fides non extitisset (§. 816.); ad homines in statu integritatis viuentes non pertinuisset fides. Rursus ergo homines remanent peccatores, qui *subiectum quod* recte vocantur. Excitatur vero per verbum euangelii et baptismum (§. 823.). Ergo subiectum hoc non solum homo adultus, verbum audiens aut cognoscens, sed et infantes, quod infra dabimus clarius, esse potest. Matth. XVIII. 6. Marc. IX. 42. X. 14. Denique corpus nostrum adprehendere, quod cogitationes supponit, Christi meritum non potest (§. 164. Psych.); Animam itaque fidei *subiectum quo* esse nemo negabit; et quidem propter assensum, *intellectus*, fiduciaeque respectu *voluntas*. Rom. X. 10.

§. 825. Errant ergo *Pontificii*, qui in diuersis potentiis intellectu scil. & voluntate non esse fidem posse dicunt (§. pr.). Verum ex confusis originem error ducit Philosophiae principiis. Non enim vt diuersae adsumendae sunt

sunt *substantiae*; sed *facultates*, vbi absurdum non est: exempli & instantiae loco sit imago DEI, liberum arbitrium &c. Ita etiam errant, credere si aiunt infantes fide aliena non propria, susceptorum fide, parentum spiritualium, & probant 1) nos non recordari, in baptismo quid crediderimus; sed haec ex natura fluunt humana, dum et aliorum, quae retro abhinc annis fecimus & patrauimus, non recordamur; 2) non habere infantes rationis vsum; sed non semper hic necessarius est vsus rationis *reflexus*, neque in fidei productione ad hunc Sp. S. est alligatus; id quod ex morbis in adultis, et somno patet. Quis vero fidem illos amisisse crederet? 3) bona opera fidem indicantia non facere. Resp. requiritur forte vt bona opera aliis semper sint conspicua? danturne etiam interna? 4) modum credendi ab adultorum esse diuersum Resp. modus non tollit rem. Errant denique *Anabaptistae*, qui infantes per baptismum non regenerari putant; de quibus infra.

§. 826. Per fidem consequimur aeternam vitam (§. 816.). DEVS ergo hoc intendit, adeoque vita illa est finis DEI & fidei (§. 80. Ont. & §. 38 Th. N.). Sed iustificantur homines per fidem, vt infra demonstrabimus; finis hinc fidei quoque est iustificatio, cum

qua coniuncta, vnio cum DEO mystica, adoptio, sanctificatio; quae omnia ergo inter fidei fines referuntur Ioh. XX. vlt. Rom. III. IV. Eph. III. 17. Ioh. I. 15 seq. Act. XV. 9. 1. Pet. I. 9.

§. 827. Fidei finis est aeterna salus (§. pr.) Quum vero cum homine peccatore quam diu peccat, ob sanctitatem sese neque conIungere DEVS neque vitam, quae virtuosis tantum competit, & in coniunctione cum DEO consistit (§. 147. Th. N.) concedere potest (§. 61.); cum fide peccata consistere nequeunt, quia salutem impediunt. Fide ergo praeditus peccata aduersatur, eaque fugit, in primis *voluntaria*, cum peccandi proposito coniuncta (§. 379.) Gal. II. 16. 17. 18. neque est sub dominio peccati (§. 374.). Hinc recte propositionem conuertimus: qui sub dominio est peccati, iisque delectatur, aut *voluntarie* peccat, fide non est instructus. Quamobrem semper bene agendi est cupidus talis, firmumque in posterum non peccandi propositum sentit (ob princ. contr. §. 16. Ont.). Qua propter omnes, quas edit, actiones ad diuinam voluntatem componere studet; tabis vero vocatur virtuosus (§. 103. Ph. pr. Vn.); fides ergo in homine producit actiones virtuosas, quae recte hinc *consequentia* seu *attributa consecutiua* & *propria* fidei statui possunt (§. 54. Log.). Propria vero ad defini-

finitionem essentiamque, ex qua demum consequuntur, non possunt referri (§. 106. Log.); quamuis a re ipsa nequeant separari (§. 54. Log.). Virtutes ergo ex fide ortae adeoque etiam *obedientia*, *charitas*, &c. fidei ideam non ingrediuntur quidem, aut fides ipsa sunt, sed nullo tamen modo a se inuicem separari possunt Gal. V. 6. Rom. V. 3. seq. 1. Thess. I. 3. Iac. I. 2. & II. tot. 2. Pet. I. 5. Hinc recte *Lutherus* in praef. in Epist. ad Rom. *Est fides illa quicquam viuum, efficax, potens; ita vt fieri non possit, quin semper bene operetur. Neque fides quaerit demum, an B. O. sint facienda? sed priusquam de ea re inquiratur, iam multa opera effecit, & semper in agendo est occupata.* Dicimus vero, quod ex sua natura multa producit, *foecundum* seu *fertile*. Inter *proprietates* itaque *fidei* optime refertur *foecunditas* seu *fertilitas*. Quibus obseruatis facile quid *viua fides* sit, quid *mortua* aut *sterilis* intelligitur. Illa enim, quia vita entis in actuositate consistit, si foecunda, seu si ad actiones hominem; haec, si non impellit Iac. II. 14-26. Quoniam vero *vera* fides semper ad actiones bonas impellit (per antec.); mortua fides non esse potest vera. Quum itaque vera tantum fides nos saluos facit (§. 816.); mortuam non saluare constat Iac. II. 14.

§. 828. Fallunt ergo I.) *Pontificii*, *Bellarm.* lib. I. de Iustific. cap. XV. qui fidem veram

a dilectione aliisque virtutibus separari posse putant. Hinc inter fidem *informem*, quae solo assensu absoluitur & *formatam*, quae charitatem adiunctam habet, distinguunt sed male; dum charitas virtutesque ab ea separari non possunt (§. pr.) Iac. II. 15. enim de fide *hypocritica*; 1. Cor. XIII. 2. de *miraculosa*; Ioh. XII. 42. de *historica*, est sermo; Gal. V. 6. vero ἐνεργουμένη est *mediae vocis*, adeoque significationem actiuam habet. Fallunt etiam II.) *Remonstrantes* aliique, quia charitatem ipsam fidem esse docent. *Episcop.* Opp. T. II. *Curcellaeus* Inst. R. C. *obedientiam qui quartam fidei partem* vocare, nihil est veritus. Obiiciunt & probant 1) fidem oportere esse viuam Resp. dist. inter essentiam fidei eiusque proprietates (§. pr.). 2) fidem per Opera perfici Gal. V. 6. Iac. II. 22. Resp. ex contextu vers. 18. patet de *fidei* tantum *demonstratione* sermonem esse. Perficitur & demonstratur itaque fides operibus, non vt per ea fides *sit*, sed vt *viuam*, non mortuam esse adpareat. 3) Controuersiam, esse *Logomachiam*. Negatur, quia de rebus & notionibus, in Sc. S. et ratione fundatis (§. pr.), non de verbis, sermo. Fallunt denique III.) *Fanatici* cum IV.) *Socinianis*, quibus vera fides *obedientia* est mandatorum DEI & Christi, deditioque in voluntatem & operationem

nem **DEI**, circa corda noſtra ſanctificanda occupatam. *Weigel* P. II. Poſtill. p. 316. *Poiret* lib. V. Oeconom. diu. Prob. 1) Ebr. XI. 1. generalem fidem vrgere Paulum & in ea acquieſcere; ſed contra contextum. Nam cum ſatis iam de ſpeciali fidei obiecto vsque ad cap. X. 22. diſſeruiſſet, haec generalis deſcriptio ſubiungitur, quae ſpeciali illi noſtrae non obſtat. 2) Non ſecundum carnem Chriſtum a nobis cognoſcendum eſſe 2. Cor. V. 16. ſed nouam in eo creaturam valere. Reſp. locutio haec non eſt, eum noſſe & in eum confidere tanquam θεανθρωπον noſtrumque in carne redemtorem, ſed cognitio haec carnalis ratione *modi* & *ſcopi* dicitur, quemadmodum Iudaei *carnale regnum* ſomniabant; alias enim Chriſti humana natura neganda, aut minus honorifice, quod *Tremuli* etiam haud pauci faciunt, de ea contra Ebr. X. 20. XII. 2. eſſet ſentiendum. 3) Particularia obiecta magis obeſſe, quam prodeſſe ad fidem tendentibus. Reſp. contrarium docet Chriſtus Ioh. XIV. & Petrus Act. IV; confunditur etiam ab iis fides hic benefica & iuſtifica (§. 816.). 4) Chriſtum ipſum inter prima Chriſtianiſmi fundamenta, abnegationem ſui cum deditione coniunctam ponere Matth. XVI. Sed non hic de *fide eiusque natura*, ſed fructibus effectibusque fidei aut potius de genuini Chriſtianiſmi *exercitiis*,

iustitiae Pharisaeorum hypocriticae oppositis est sermo. 5) Fidem nostro (§. 816.) sensu impedire purificationem internam. Neg. & inuertimus. Promouet enim potius (§. 827.). 6) Niniuitarum fidem fuisse obedientiam Ion. III. 5. Neg. Eorum enim fides ab operum obedientia distingui tur. 7) Si incredulitas est inobedientia, fides erit obedientia. Psal. LXXVIII. 22. Resp. incredulitatis Israelitae arguuntur ab effectibus; inobedientia enim incredulitatis est effectus & indicium. 8) Sine obedientia fides esset mortua. Distinguimus inter *fidem viuam* in *actu primo*, quae hominem impellit quidem ad bonas actiones, quamuis (ob varias rationes) in actum non deducantur; & *in actu secundo*, vbi actiones sequuntur revera.

§. 829. Aliis commoti motiuis aliter homines agunt (§. 139. Psych.). Quodsi ergo appetitus sensitiuus coniungitur cum rationali, fieri facile potest, vt hunc ille vincat (§. 133 Psych.). In auersatione & appetitu sensitiuo ex confusa repraesentatione agimus (§. 101. Psych.). Ex confusa vero repraesentatione oriuntur peccata (§. 9. 10. Diss. prol.); hinc hoc in statu facilis ad peccata *voluntaria* etiam lapsus datur. Cum his consistere fides nequit (§. 827.). Hoc ergo

in

in casu, fidem, qua antea praediti, perdere rursus possumus, quod *amissibilitas fidei* dicitur. Fides ergo est amissibilis. 1. Tim. I. 19. Luc. VIII. 11-13. Matth. XIII. 21. 22. Marc. IV. 16. 17. Opposita vero ratione, si rationalis vincat sensitium (§. 133. Psych.), fides recuperari iterum potest. 2 Sam. XII. 1. seq. Matth. XXVI. 72. Hinc inter fidem *temporariam*, ad mortem vsque hominis temporalem non durantem, & *finalem*, ad extremum vsque vitae huius halitum perseuerantem, distinctio intelligi potest. Quum itaque per fidem saluamur (§. 816.); temporaria autem si tantum praeditisumus in mortis temporalis articulo fidem non habemus (per def.); hinc saluari tantum possumus, si eo momento fide sumus instructi. Temporaria ergo non saluat, sed tantum finalis. Rom. VIII. 1-24. Matth. XXIV. 13. Apoc. II. 10. III. 11. Noli tamen putare ac si ratio fidem amittendi sola esset, appetitus sensitiui in rationalem 1) victoria (per ant.). Nam quia ad fidem pertinet cum generalis tum specialis assensus, certe eum supponit (§. 817.); 2) ob falsa, quae quis fortasse amat aut assumit, principia, ex quibus plurimae (hinc *foecunditatem errorum* intelligis (§. 827.) concludi possunt principiata, quae propositionibus ad fidem pertinentibus contrariantur, has negare iisque assensum de-

negare potest, Ergo etiam 3) fieri per *haereses* potest. Gal. V. 4. 1. Tim. I. 19. III. 8. seq. Ita 4) huius vitae, quae forte obiiciuntur mala declinaturus, aut bona sperans, facile de veritatibus ad fidem pertinentibus dubitare incipit, quo ipso, non amplius fidei veritatibus assentitur. Porro 5) quia ad mala semper hominem impellunt hostes spirituales (§. 424.); facile fieri potest, vt obsequium iis praestet, quo ipso peccata oriuntur voluntaria, quae cum fide consistere nequeunt (§. 827.); adeoque & hac ratione amissibilis. Etsi vero peccata inuoluntaria, peccata sint (§. 379.); non tamen per ea expellitur fides, dum his propositum bene agendi non tollitur, neque vnico vitio aut errore commisso, totus omittitur habitus. Per consensum vero peccatum fit voluntarium (§. 379.). Quodsi ergo peccatum involuntarium commissum fortasse adprobatur; amitti potest fides. Errare ergo *Anabaptistas* & in hoc συμφώνως *Fanaticos, Perfectistas*, claret, qui semel vere credentes Spir. S. amittere posse negant. Probant quidem 1) ex 1. Ioh. III. 9. Verum ob contextum sensus: credens, vt credens non potest malitiose peccata perpetrare. 2) Matth. XXIV. 13. Tit. I. Resp. habere tamen aut amissam rursus recuperare possunt.

§. 830.

§. 830. In notitia, assensu, et fiducia quae fidei partes (§. 817.), ideae occurrunt, iudicia & ratiocinia (§. 818.), quae ad cogitationum pertinent classem (§. 5. III. 123. Log.). Quum vero cogitationum nostrarum conscii sumus (§. 29. Diss. de Philos. in gen.); et fidei nostrae nobis esse conscii possumus. 2. Tim. I. 12. In adperceptione autem seu si conscii nobis sumus, certi reddimur, quod in mente aliquid fiat (§. 5. Log. & Psych.) fidei ergo *nostrae*, certi esse valemus. 2 Cor. XIII. 5. Rom. IV. 18. Ebr. XI. 1. Eph. III. 12. Hinc qui certus de sua reddi aut esse cupit 1) ad se ipsum attendat (id quod *actum reflexum* dicunt) an partes in se fidei deprehendat. 1. Cor. II. 11. 2. Cor. XIII. 5. Quoniam porro inseparabilis fidei datur foecunditas (§. 827.), 2) ex *fructibus effectibusque* fidei *genuinis*, alias mortua (§. 827.) *ipsa* certissime potest concludi. Gal. V. Iac. II. 2. Cor. VIII. 8. Accedit denique 3) testificatio Sp. S. inhabitantis, 1. Ioh. V. 10. Rom. VIII. 16. Etsi ergo *solatium*, animique tranquillitatem in *tentationibus* interdum haud sentiant credentes, non tamen inde fidem ipsos non habere sequitur, dum *fidei* & eorum *quae cum fide connexa*, notiones inter se confundunt. Ipsa enim illa, quam sentiunt, fames sitisque gratiae, atque misericordiae diuinae, veram in illis fidem indicant, Marc. IX. 24.

dum

dum nemo de inexistentia angitur, nisi fidem habeat. Errant ergo *Pontificii*, vllum hominem fidei *suae* certum esse, noua nisi reuelatio (*priuilegiatam* & *specialem* vocant) accedat, negantes. Probant quidem 1) quia nulli in Sc. quod vere credat, est reuelatum. Resp. dist. inter *explicite* & *implicite* seu in propositionibus illis vniuersalibus, sub quibus particulares & indiuiduales & singulares comprehenduntur, reuelatum, 2) a tentationibus, vbi concludunt: Qui fidem non sentit, non est praeditus fide; sed tentatus &c. Sed vid. quae iam annotauimus. Deinde dist. inter fidem *luctantem* vbi quis cum incredulitate seu dubiis, quae contra fidem formantur pugnat & iisdem contristatur; qua credens praeditus; et *vincentem*, vbi dubia illa soluuntur; quae relatio, ob naturam mentis, humanae, non semper adesse debet atque potest. Denique nec *maior*, dum notiones confunduntur (per antec.); nec *minor*, eandem ob rationem rite sese habet. 3) ex Prou. XX. 9. Resp. disting. inter certitudinem fidei, de qua hic non est sermo, & praesumtionem perfectionis omnimodae. 4) Ex Kohel. IX. 1. Resp. est vitium elenchi, dum de eo tantum textus loquitur: an quis ex prosperis aut aduersis concludere possit, sitne alter DEO carus, nec ne? 5) *Petrum*, *Dauidem* aliosque vera fide

fide excidisse, fideique sic certitudine caruisse. Resp. in peccata *prolapsi* nullam habuerunt fidem, adeoque ante peractam poenitentiam, nulla esse fidei in ipsis certitudo potuit. Quaestio denique supereſt, an de *alterius* fide certi esse queamus? Cogitationes quia alterius nemo cognoscit (per exp.); nec de adperceptione eius esse certi possumus, adeoque nec de fide (per pr. h. §.). Et quoniam alter vel ex sola, qua ducitur, pietate philosophica actiones deducit, vel verbis quidem, sed non re ipsa ex merito Christi, qui *hypocrita* dicitur, cuius certitudinem cognoscere nemo potest; ideo de alterius fide *certus* esse nemo potest, etsi summo probabilitatis gradu eam in altero intelligere liceat. *Negative* tamen ex hactenus dictis, certo concludere modo possumus: *Hic caret fide.*

§. 831. A certitudine fidei differt *falsa fidei persuasio*, seu *vana fides*, vbi quis fidem ob aliquales sed *insufficientes*, quas in se deprehendit notas habere putat, contra (§. 827. 830.) Iac. II. 20. 2. Cor. XIII. 5. Hinc recte in *veram*, quae omnia ad fidem pertinentia continet, distinguitur & *spuriam* seu *falsam*, quae non. Ex eadem notarum insufficientia diuidi etiam potest in *dogmaticam*, quae propositionibus in Sc. generalioribus patefactis assensum praebet;

bet; et *historicam*, quae *factis*. Attamen dogmatica, si omnes notae adsunt; & diuina & vera esse potest. Veritatibus vero Script. S. assensum qui praebet, cui tamen meritum Christi nihil prodesse potest, *Daemonum* seu *Diabolicam* habet; quae ergo nec *iustificans*, seu adprehensio meriti Christi, quatenus DEI nobis gratia eo est conciliata; nec *operans seu sanctificans*, quatenus virtutes exercemus. Si fides nihil quam quod in Verbo DEI reuelatum est, recipit, *simplex* dicitur seu *pura*; *impura* vero si aliud quid. Differt simplex haec a *simplici*, quae *directa* etiam appellatur, vbi quis sine exploratione fidei suae in Christum credit e. g. Matth. XVIII. 6. cui opponitur *reflexiua* seu *discursiua*, quae cum exploratione hac est coniuncta. Denique graduum ratione fides esse potest *paruа* seu *infirma*, in qua *fiduciae* gradus deprehenditur inferior, & *firma* seu *robusta* aut *magna* in qua superior. Haec etiam dicitur πληροφορία, illa ολιγοπιστία. Rom. IV. 18. seq. Iac. II. 5. Marc. IX. 34. Definiri etiam haec posset, vbi cum obiectionibus non luctatur homo; in casu oppositо, infirma. Quum vero obiectiones vel a confusa & obscura oriuntur notitia, vel iudicio seu assensu insufficienti, vbi praedicatum in propositione subiecto conuenire vel non, nondum plene perspeximus (§. 20. 14. Log.); ideo infirmam

mam alii ad notitiam & assensum etiam trahunt, quod vero non est necesse, siquidem fidei notionem fiducia constituat (§. 819.). Ex quibus tamen gradus fidei optime perspiciuntur. Hinc *crescere fides* potest, si gradus fidei inferior transit in superiorem, & *minui* si contra. Quodsi tanto superiori fides gradu praedita sit, vt cum obiectionibus minime luctetur, *robur fidei* adpellatur. Coeterum vocabulum *credere*, tribus sumitur modis, ita vt credamus 1) in DEVM, quae adprehensio est meriti Christi & gratiae diuinae. 2) DEO, vbi veritatibus a DEO patefactis praebemus assensum; 3) DEVM, vbi diuini Numinis *existentiam* fide logica admittimus.

CAP. XI.

DE VOCATIONE ET ILLVMINATIONE.

§. 832.

Nonnisi per fidem nos salvari, quam propriis tamen viribus habere non possumus, supra demonstrauimus (§. 817.). Quum vero gratia DEI seria sit atque efficax (§. 464.), Christique nec superflua nec frustanea, qua nos redemit esse possit, satisfactio

factio (§. 455.); DEVM non indicare solum, sed offerre etiam, sine quo indicatio & manifestatio haec nullum habuisset vsum, salutem, per Christi satisfactionem partam debuit. Haec vero manifestatio & oblatio bonorum per Christum acquisitorum dicitur *inuitatio ad salutem:* inuitatio vero ad salutem aeternam, seu si mauis ad acceptanda bona per Christum Redemtorem parta, *vocatio ad salutem, ad regnum Christi, salutaris vocatio ad regnum & gloriam,* 1. Thess. II. 11. *translatio in regnum Filii DEI* Col. I. 13. et *vocatio per excellentiam,* et *simpliciter,* nec non *specialis, directa* et salutaris nominatur. Vocatio ergo est hypothetice necessaria. Quoniam vero sine fide aeternam non habere possumus vitam (§. 816.); ad fidem etiam DEVM vocare hominem debere, patet Rom. X. 17. seq. Phil. III. 11 - 14. 1 Pet. II. 9. 10. Luc. XIV. 16. seq. Quis vero nos non de vocatione ad certum vitae genus (§. 50. J. N.) sed de *vocatione gratiae supernaturalis,* quod synonymum etiam, loqui, perspicere non potest? 1 Cor. VII. 20.

§. 833. Non ergo de vocatione hic loquimur *naturali* (§. pr.), quae et generalis et *paedagogica* vel *inuitamentum externum* dicitur, et in ea consistit inuitatione, qua hominibus, coetum, in quo verus DEI cultus viget, quaerendi occasionem praebet. Sic

1) ho-

1) homines uocat per *rationem*, seu vt aliorum est expressio, per *naturam*, quo non DEI existentiam solum, sed cultum etiam ipsi debitum cognoscunt. Verum cum praeter alia insufficientiam rationis quoque ad salutem intelligant; reuelationis inde, vt ad salutem, quam ex ratione etiam deprehendunt (§. 147. Th. N.) aeternam, necessitatem concludunt. (conf. tot. diss. prolus. & §. 1. seq. Prol.) Act. XVII. 25. seq. Rom. II. 4. 2) per *famam* seu *celebritatem ecclesiae uerae*, cum in V. tum N. T. id quod supra fusius adnotauimus (§. 458. 475.). Rom. I. 8. 1. Thess. I. 8. cuius uocationis continuatio per uarias in omnes ultimasque etiam terrae fines, missiones perspicitur, conf. Hall. Berichte etc. Quoniam uero per uocationem illam naturalem Christus & salus per ipsum parta *immediate* aut *proxime* uocatis, & claris quidem uerbis nondum proponitur, *indirecta* recte potest adpellari, sicut illa §. pr. *directa*, quia proxime & claris quidem expressionibus Christum bonaque per ipsum parta, uocatis repraesentantur.

§. 834. Vocatio directa & generalis quaerendi tantum coetum, in quo uerus DEI cultus uiget, occasionem praebet (§. pr.). Quoniam uero nulla, hodie nisi per Christum salus est aeterna & gratia DEI

(§. 816.), uocatio haec insufficiens est ad salutem. Errat ergo *Poiret*, *Fanaticorumque* alii, qui asserunt: non paucos gentiles cum in prima mundi aetate, tum in reliquis fuisse periodjs, qui licet destituti Verbo DEI *externo*, per inspirationes tamen immediatas ac *uerbum internum*, per generalem item creaturarum uocationem uocati & saluati fuerint. Probant quidem Scripturae exemplis. Sic *Melchisedecum* non per uerbum quoddam *externum*, sed *internum* per instinctum, DEVM coluisse; inspirationes haberi in *Abimelecho*, itemque in *Iobo* & Iethrone. Verum ad haec iam responsionem dedimus (§. 818.). Addimus tamen etiam sequentia. Nam Melchisedecum ad gentilismum pertinere, ante omnia est probandum; contrarium potius in Sac. ostenditur codice. Tam inimicos uero Fanaticos uerbo DEI externo esse eum tantum in finem, ut regulam omnem credendi certam eliminent, & Enthusiasmos pro reuelationibus diuini orbi obtrudere queant. Abimelechi uero, quam non negamus, inspiratio non ad res ad salutem pertinentes spectat, sed ad externa tantum, ne tangeret scilicet vxorem Abrahami; sic Pilati etiam vxor somnium habuit ac reuelationes nocturnas de innocentia & passione Christi, nec tamen de eius uocatione & conuersione *immediata* quic-

quicquam dicit Script. S. Denique consilia tantum *politica*, non ad salutem aeternam pertinentia suppeditauit *Iethro*; vt adeo & hoc, nihil probat exemplum. Conf. *Iaegeri* Comp. Theol. Nonne hoc modo plerique fidei articuli e. g. de SS. Trinitate, Euangelio etc. eorumque inter se nexus, corruent? Absurdum!

§. 835. Etsi uero uocationem per lumen quoddam, quod figmentum (§. pr.), internum reiecimus; non tamen ideo distinctionem reiicimus in *ordinariam* & *extraordinariam*. Nam quoniam hodie DEVS Script. S. tanquam medio vtitur, quam ministri ecclesiae explicant atque proponere solent (§. 823.); ordinaria per ipsam uerbi diuini, ministerii opera, praedicationem existit; extraordinaria ergo erit, si his mediis DEVS in uocatione non vtitur. Sic ipse DEVS interdum homines uocauit, Gen. III. 15. XII. 1. 3. interdum id effecit per miracula. Matth. II. 1. & per alios, quam ecclesiae ministros 2. Reg. V. 2-17. 2. Tim. I. 5. 15. Jac. V. 19. 20. Sic homo Christianorum plebeius Script. cui, quo is conuertatur, proponere potest.

§. 836. Vocatio ad salutem est etiam uocatio ad fidem, sine qua illam habere

nemo potest (§. 832.). Fidei uero excitatio ad DEI opera pertinet ad extra, quae tribus personis communia (§. 824.); ergo & uocatio tribus est personis communis. Ita *Patri* adscribitur, 1. Cor. I. 9. 2. Tim. I. 9. *Christo*, qui in carnis diebus ipse uocauit homines Matth. IV. 17. Rom. I. 6. Et quoniam salutis adplicatio Spir. adscribitur S. qui ministros etiam ecclesiae, per quos uocamur, ordinat atque constituit Act. XX. 28. 1. Pet. I. 12. 15. perque eos loquitur Matth. X. 20. 2. Cor. III. 6. Scripturamque S. per quam uocamur (§. pr.) inspirauit; ideo & Sp. S. competit quoque; cui hac ex ratione *adpropriatiue* tribuitur. Sic ex uirium, quae in spiritualibus homini nullae sunt, defectu (§. 346.), DEVM uocationis caussam esse, perspicere quiuis poterit. Verum libertate, quia hominem non priuat DEVS (§. 121. Th. N.), uocationi uel locum relinquere & acceptare, uel eandem repudiare possunt; in priori casu uocatur *coniuncta* (sc. *cum obsequio*) & *nominalis*, Rom. VIII. 28. 30. Jud. 1. in posteriori, *simplex* & *participialis* Es. LXV. 2. Prou. I. 24. Matth. XX. 16. XXII. 3. XXIII. 37. Et quoniam coniunctam non omnes acceptant (per ant.); non pertinere potest ad omnes omnino homines, adeoque est *particularis* 1. Cor. I. 26. 27. Matth. XXII. 3. quo ipso uero minime

nega-

negamus *vniuersalem*, quae ad O. homines pertingit. Nam quia gratia DEI est vniuersalis (§ 457.), & Christus satisfecit pro omnibus (§. 685.), hunc in finem vt saluentur; uocationem, nisi omnia haec frustranea, vniuersalem quoque esse nemo negare poterit. Quodsi ergo *uerbis* & claris quidem atque distinctis quidam non sint uocati, quod minime affirmamus; uocati tamen sunt per actus illos paedagogicos (§. 833.), ita vt salutis si modo noluissent, participes fieri, salutisque hoc modo uiam cognoscere potuissent. 1. Tim. II. 4. Ezech. XXXIII. 11. 2. Pet. III. 9. Ergo hominum est, non DEI, si uerbo diuino iam destituuntur; dum illam ad salutem uel reiiciunt, uel naturalem negligunt. Errant ergo *Pontificiorum* multi, & alii, qui uocationem vniuersalem negant. Nam 1) Matth. XXII. 14. 16. Iudaei & gentiles h. e. *omnes* uocati dicuntur; ita vt hoc modo uocabulum *multi* explicetur. conf. etiam Rom. V. 12. 18. 2) Act. XIV. 16. XVII. 30. Resp. dist. inter uoluntatem DEI antecedentem, de qua non est sermo, & consequentem, quae ergo hominum culpa. 3) Psalm. XCVII. 19. R. יְהוָה non ita *clare* & *distincte* V. T. gentibus, quam Iudaeis reuelauit; adeoque relatiue tantum ignorantiae tempora dicuntur. 4) Rom. XVI. tacitum uocatur ratione *impletionis*, &

clarioris manifestationis nec non *amplioris promulgationis.* 5) Matth. X. 5. Act. XVI. 7. Distinguitur inter uocationem *denegatam,* & *dilatam.* 6) Ies. uero Cap. LIII. 1. de *salutari uocationis effectu* loquitur. 7) 1. Cor. I. 26. de coniuncta agit, non de simplici. 8) Apostolos ad omnes terras nec peruenisse, nec peruenire potuisse, id quod in China gentes & Iaponia & America suo experimento probant. Resp. dist. inter uocationem denegatam & dilatam. Deinde negamus etiam experimentum, dum uaria religionis uestigia in locis illis deprehendebantur. Vid *Ioh. Ad. Osiandri,* Coll. Syst. p. 212. seqq. cur itaque uocationem neglexerunt? 9) gentilium infantes mortuos non habuisse uocationem. Resp. reiecturos etiam fuisse DEVS praeuidit. Vid. *Meisneri* Anthropol. Disp. VII. adeoque rectissime propter consensum interpretandum puniuntur. Quia itaque & vniuersalis & particularis recte statuitur uocatio (per ant.); ad omnes uel plurimos extenditur, quae *solemnis* dicitur; adeoque reuera existit. Alii *solemnem* per uerbum praedicatum, *minus solemnem* per cognitionem ex scriptura, definiunt.

§. 837. Vocatio diuina hypothetice est necessaria (§. 832.) & Christus reuera pro omnibus est mortuus (§. pr.). Ergo uel DEVS

DEVS hoc intendit siue minus. Si hoc; satisfactio Christi, si *vniuersalitatem* spectes praestita est sine ratione; quod quia a sapiente cogitari non potest (§. 104. Pn.oc.); DEVS satisfactionem Christi pro omnibus intendere debuit omnino. Quod uero ut fiat intendimus, est *serium*; satisfactio, & quae in ea nititur, uocatio DEI etiam seria esse debet. 1. Thess. V. 24. 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. Es. LXV. 2. 2. Cor. V. 19. Ezech. XXXIII. 11. Matth. XXIII. 37. 1. Pet. II. 9. Act. XVII. 31. *Causa* ergo *impulsiua* uocationis *interna* misericordia est DEI erga genus humanum, 2. Tim. I. 9. *externa*, Christus mediator. 2. Cor. V. 19. 20. Ergo si seria (per ant.); media etiam tot tantaque concedere debet DEVS, vt finem suum (ob sapientiam) consequatur (§. 102. Pn.oc.); quae uocantur *efficacia*; & uocatio, quae mediis fit efficacibus, *efficax*; uocatio ergo diuina etiam est efficax. Medium autem, quo in uocatione vtitur DEVS, scriptura sacra est (§. 835.), quae efficax (§. 52. Prol.). Media ergo efficacia negari non possunt. Ioh. VI. 63. Probari etiam & hoc modo nostra thesis potest. Ad salutem aeternam creauit hominem DEVS (§. 42. Ph. Pr. Vn.). Ergo media etiam tanquam sapiens ad finem sufficientia concedat est necesse; quae quia *efficacia* adpellantur; uocationem

diuinam efficacem esse, nemini erit dubium. Non ergo procedit ratiocinium, quia homines non credunt, efficaciter non sunt uocati Ebr. IV. 2. dist. enim inter uocationem efficacem ex parte *causae*, quae efficax, & ex parte effectus. Hinc etiam *sufficiens* est, quia homo per eam ad fidem potest perduci Ies. V. 4. minimeque *insufficiens* (per oppos.). Sed dicis: quia non omnes ad fidem per uocationem pertingunt, ideo uocatio non est *aequalis*, sed *inaequalis*. Tunc enim aequalis est, si vnus aeque ac alter particeps fit uocationis; si non, *inaequalis*. Verum argumentum non rite sese habet. Quoniam enim non omnes vnum habent eundemque malitiae gradum; ideo effectus salutares vt uocatio producat, vnus permittit; quod denegat alter.

§. 838. Vnicum tantum periodos uocationis scilicet, obseruo; id quod & historia, loquitur sacra & profana. Hinc alii tres, sex alii huius annunciationis periodos constituunt. Prima est in ecclesia paradisiaca seu ab Adamo vsque ad Noachum, vbi propter longæuitatem Patriarcharum & uitam eorum piam, facta est annunciatio. Secunda, sec. quosdam ad totum V. T. pertinet, ab aliis uero a Noacho vsque ad Mosis extenditur tempora. In hac non

solum

solum Noach, sed & alii uiri pii fuere, qui eam annunciabant Gen. VI. 2. 2. Petr. II. 5. Iud. 14. v. Tertia est secundum quosdam in N. T. ab aliis uero a Mosis, vsque Salomonis tempora restringitur. Quarta incipit a templo primo vsque ad eius destructionem; quinta a destructione templi primi vsque ad natiuitatem Christi; & sexta denique a tempore Apostolorum vsque ad finem mundi. uid. *Bochartus* in Canaan & Phaleg, nec non *Franzius* in schola sacrificiorum differt. IX. tot.

§. 839. Per quod fidem in homine DEVS producit, per illud etiam uocat. Vocatio enim etiam est ad fidem (§. 836.). DEVS uero illam per baptismum producit & uerbum, quod, vt infra clarius patebit, in legem & *euangelium* seu annunciationem gratiae per Christum partae diuiditur (§. 823.); baptismo ergo & euangelio, tanquam uocationis medio vtitur. Ioh. III. 5. Eph. V. 26. 2. Thess. II. 14. Marc. I. 14. Lex uero agenda tantum quia praescribit (per def.), uocationis medium non esse uidetur; uerum licet per eam non fiat *directe*, si quidem neque impleri, neque de Christo quid tradere; *indirecte* tamen & *occasionaliter* adhiberi potest; dum terrore, quem iniicit, atque maledictione Gal. III. 10.

hominis animum frangit atque ad solatium salutemque, quam in Christo inuenimus (§. 816.) quaerendam impellit. Rom. X. 4. Lex ergo & euangelium ueritates homini ad salutem cognitu necessarias continet.

§. 840. Verum mentis nostrae ita comparata est natura, vt quo certior de re aliqua est facta, eo faciliori eam adsumat, atque efficiat (per princ. Psych.). Quia itaque vt omnes credant, & sic ad salutem pertingant, DEI finis est (§. 816.); omnes etiam de ueritatibus ad salutem cognitu necessariis vt conuincat, est necesse. Talis uero conuictio dicitur *illuminatio*. Illuminationem ergo necessariam quoque esse, quiuis perspicere poterit. Eph. I. 17. 18. III. 8. seqq. Act. XXVI. 18. Dicitur etiam *gratia illuminatrix*, *docens*, Ioh. XIV. 20. *apertio oculorum mentis* Act. XXVI. 18.

§. 841. In omni uero conuictione *actus* deprehenditur, quo de ueritatibus istis certus redditur, & *status*, vbi quis de istis ita est certus, vt adsensum nequeat denegare. Hinc & illuminatio & pro *actu* sumitur & pro *statu*: haec etiam *subiectiua* dicitur, illa *effectiua*. Quodsi uero uerbum DEI quo certus etiam homo redditur, externe proponitur, *obiectiua* dici solet.

§. 842.

§. 842. In illuminatione de ueritatibus ad salutem cognitu necessariis conuincitur homo (§. pr.). Quum uero & lex eiusmodi ueritates sint & euangelium (§. 839.); conuincendus est de ueritatibus legalibus, quae *illuminatio legalis*, & euangelicis, quae *euangelica*. 2. Cor. IV. 4. Rom. VII. 7. *Legalis* ergo ex (§. 839.) etiam conuictio definiri posset, qua homini peccatum, ira DEI, poenaeque manifestantur; *euangelica* uero, qua DEI gratia per Christum parata & uita aeterna docetur. Lex uero & euangelium cum in Script. S. contineantur; per hanc etiam hominem illuminari, recte statuere possumus. 2. Petr. I, 9. Ast quoniam experientia testatur, hominem nullo conuinci, adeoque nec illuminari modo posse, nisi uel lectio uel auditio, aut meditatio Script. S. accedat; ideo & hae necessariae erunt in illuminatione actiones, Ioh. V. 39. Act. XVII. 10. 11. Rom. X. 14. 2. Petr. I. 19. Quae de meditatione, quam hic postulamus, dicta sunt, & ab aliis uerbum in animum transmissum, atque retentum dicitur, simili quodam, a fermento cum massa, aut semine cum agro, uel cibo cum corpore, desumto, illustrare Theologi solent.

§. 843. Homo in spiritualibus nullas habet uires (§. 292.). Ergo in eo illuminationis

tionis ratio sufficiens non est quaerenda (§. 841.). Quum itaque per uerbum DEI illuminetur (§. pr.); quod a DEO; illuminatio etiam a DEO procedit; & quidem quia opus ad extra; tribus est personis communis (§. 140.). Hinc *Patri* adscribitur Gal. I. 16. 2. Cor. IV. 6. *Filio* Ioh. I. 4-9. VIII. 12. IX. 5. Eph. V. 14. & adpropriatiue *Sp. S.* Eph. I. 17. Ioh. XIV. 26. II. 27. 1. Ioh. V. 5. Iac. I. 17. Et quoniam DEVS tanquam sapiens miraculis non vtitur, si mediis iam a se propositis, finem consequi potest; uerbo tantum *hodie*, *mediate* nos illuminat; non *immediate*. Psal. XIX. 8. 9. 2. Pet. I. 19. conf. etiam (§. 16. seqq. Prol.). Fortassis per *rationem*, hominem illuminare atque conuincere (quae *naturalis*, sicut illa per Sc. S. *reuelata*, aut *supernaturalis* dicitur) DEVM, putas. Verum quia de euangelio nullam; de lege uero obscuram atque insufficientem homo cognitionem habet; per solam sibique relictam, uiam ad salutem certe nescientem (§. 48. seqq. diss. Prol.) non illuminari posse rationem, facile concedes. Hinc distinctionem nostro hoc significatu, iamiam propositam, minime, & recte quidem, concedunt Theologi Viri. Quodsi uero de ueritatibus ad DEI cultum pertinentibus conuictionem, illuminationem dicere uelis *naturalem*,

res

res ad Logomachiam quidem rediret; etsi ueritatum nexum introspicere, adeoque ratione sua in illuminatione, quae alias dari non potest, vti omnino debeat homo. Dicis: sed ante Scripturae, quibus nondum data atque composita erat, tempora, immediata necessaria erat illuminatio? Concedo quidem de primis, vbi etiam reuelationes semel iam propositae, per traditionem erant propagatae, id quod ex nostris iam positis principiis omnino sequitur; sed dubii huius ad nostra tempora adplicationem & possibilitatem nego.

§. 844. Quicunque quem de ueritatibus ad salutem cognitu necessariis *conuincit*: illuminat (§. 840.). Ecclesiae ergo ministri recte si conuincunt, illuminant; vt itaque instrumentales causae rite uocari queant; quemadmodum principalis, DEVS. 2. Cor. IV. 6. Eph. III. 8. seq. Act. XXVI. 14-34. Matth. V. 14. Luc. I. 77. Ioh. V. 35. 2. Tim. I. 5. Errant ergo Schwenkfeldiani, Enthusiastae cum Anabaptistis, qui & hodie a DEO homines immediate illuminari statuunt, & 1) ex 2. Cor. III. 3. probant. Sed non excludit ministerium uerbi Apostolus, dicens: *ministrata a nobis*. 2) 1. Ioh. II. 27. Sed ex uers. 14, mediante uerbo fieri, patet; immo non *generaliter* & absque respe-

respectu omni, sed ob falsos, qui alios decipiunt, tunc temporis, & a quibus non edocendi, Doctores haecce profert, dum, noua & a Prophetarum Apostolorumque scriptis diuersa, vt accipiant, non sit necesse. 3) Ioh. VI. 45. Scil. mediante uerbo, non immediate, quod in textu adparet minime, cum non *eodem modo* Θεοδίδακτοι sint omnes. Quod uero & hodie illuminare ecclesiae ministri queant, per principium reductionis (§. 86. Psych.) intelligitur. Iisdem enim vtuntur principiis, quae illuminationem producunt (§. 839. 842.); & quod auditores concernit, eiusdem etiam sunt generis, licet Scr. S. scriptores ex reuelatione *immediata*, hodierni uero ex *mediata* habeant. 1. Thess. IV. 9. 2. Pet. I. 16-18. Interim non uirtute ministris propria, sed *aliena*, diuina sc. illuminant. Matth. III. 11. 1. Tim. IV. vlt.

§. 845. Ergo & per Script. librorumque eam explicantium lectionem & auditionem, meditationem insuper & preces Eph. I. 17. seq. & internam rerum spiritualium experientiam, quam tentationem uocauit *Lutherus*, illuminari homo potest (§. 164. Prol. & pr.) Luc. XI. 13. Psalm. CXIX. 18. 72. Ioh. V. 19. Et quoniam illuminatio immediata hodie est nulla (§. 844.); silentium

tium *Quietistarum* atque *Quakerorum*, qui uerborum, desideriorum & cogitationum statuunt, figmentum est, atque absurdum; nouam quia sed sine ratione sufficiente a DEO (qui sufficiens, Script. scil. medium dedit §. 44. Prol.) suscipiendam exspectant actionem. Ex Iobi enim ll. 13. qui nouam non efflagitarunt reuelationem aut conuictionem, quam de malis, quibus Hiob premebatur, omnino habebant, probare non possunt; neque 2) ex Thren. lll. 26. qui de auxilii diuini cum patientia, exspectatione agit. Neque 3) ex Act. I. 4. ll. 1. vbi ab extraordinariis ad ordinaria N. V. C. Non tamen phrasibus qui vtuntur, e. g. *introuersione in nos, silentio*, in sich gehen, Sabbath halten, stille seyn, &c. statim in Fanaticis aut Quakeris, quia locutiones biblicae sunt, certe numerari haud possunt.

§. 846. Q. ergo, quae §. pr. proposuimus, omittit, nec, quia est conuictio (§. 839.), attentionem, & dispositionem affert, sibi ipsi in illuminatione est obstaculo (§. 203. Log.). Hinc quia praeiudicia, nimisque uiuida rerum sensatio, (qualis est bonorum temporalium cura, aut ex iis percepta uoluptas Luc. VIII. 7. 5-14. quo etiam Diaboli suggestiones pertinent 2. Cor. IV. 4.) attentionem turbant, conuictionemque

que impediunt; omnia haec, hoc in §. illuminationem impedire, quiuis uidet. Matth. IX. 11. XIII. 41-54. Ioh. VII. 15-48. Omnia ergo haec fugienda, vt obstaculis obuiam ire queamus, eaque obseruanda, quae ad conuictionem in homine producendam, produximus (§. 202. Log.). Quis itaque positis hisce, scholasticam, h. e. *scientias*, in scholis vsitatas, illuminationem impedire, dicere auderet? Praeterea etiam falsae Doctorum, quas fouent, sententiae & disciplinae, distinguendae sunt, a *scientiis*, quod nomen ipsis imponi nequit.

§. 847. Praeiudiciis aliisque §. pr. depositis, obstacula quidem remouentur, sed homo tamen nondum semper est illuminatus, quia conuictio requiritur (§. 840.). Ergo nondum de ueritatibus ad salutem cognitu necessariis conuictus, illuminatus dici potest (§. 839.). Ergo uel ante illuminationem homo in mera est ignorantia, uel erroribus circumfusus, quae stylo Scr. *coecitas* dicitur Eph. IV. 18. 1. Cor. II. 14; post illuminationem uero cognitione ueritatum ad salutem cognitu necessariarum est instructus, vbi *lumen salutaris cognitionis habere* dicitur. Rom. III. 20. 2. Cor. IV. 6. Ebr. IX. 1. Hinc *terminus a quo*, coecitas intellectus; ad quem; lumen hoc seu lux recte a Theologis consti-

constituitur. Eph. III. 9. Quoniam vero voluntas, nisi veritas antea sit cognita, vt veritatibus, quas tamen nondum cognouit, conuenienter viuat, non mouetur, dum anima non agit sine motiuis (§. 130. Psych.); *purgationem animae a peccatis, & sanctificationem*, illuminationem praecedere non posse, quiuis concludere poterit.

§. 848. Quum terminus a quo sit ignorantia seu coecitas (§. pr.); veritates vero ad salutem necessariae, plures sunt & variae, quas ob mentis finitam, quae plura vno momento capere non potest, naturam (§. 54. Ont.) introspicere non potest; illuminationem non vno momento, sed successiue & per gradus in homine absolui, patet; id quod ex conuictionis, quae illuminatio (§. 840.), idea quoque claret. Nam quia veritatum salutarium vna semper supponit alteram, quod ex hactenus dictis atque etiam dicendis elucet; vna, respectu alterius, principium est, altera conclusio (§. 135. Log.). Sed conclusiones *intelligi*, nisi principia cognita habemus, non possunt. Ergo principia prius, quam conclusiones, sunt proponenda, quod modo instantaneo fieri nequit; ergo est successiua; id quod etiam in illuminatione discipulorum Christi, quae ipsis contigit, uidere

licet, Ioh. XX. 22. Act. II. 2. seqq. Marc. VIII. 22. seqq. Act. VIII. 27. seqq. X. 22. seqq. Luc. VIII. 18. Nos vero de *ordinaria*, non *extraordinaria*, quam non negamus, Act. XVI. 31. seqq. II. 1. seqq. neque de *infantum* per Baptismum, loqui, satis adparet. Haud dubie vero hoc DEI processu ad tanto penitiorem deducimur cum propriae infirmitatis, tum diuinae benignitatis aestimationem; quae alias in nobis nimis solet esse perfunctoria. vid. *Geieri* Comment. in Dan. p. 817. Hinc etiam illuminationis vocabulum in Sc. *continuationem* eius denotat, Eph. I. 17. 18. Psalm. CXIX. 18. Col. I. 9. Phil. I. 9. Et quia hoc in negotio, libertate hominem non priuat DEVS (§. 121. Th. N.); nec miraculis (si ordine suo semel sapienter constituto per Scr. S. scilicet, peragere quid valet) sine ratione sufficiente vtitur (§. 122. Th. N.); homo illuminationem non solum impedire, sed & resistere ei potest, si eam pro actu sumamus. Gratiae ergo illuminanti iam resisti potest. 2. Cor. III. 14. seqq. IV. 3. 4. 1. Cor. I. 23. Quis vero & hac ratione *illuminationem ordinariam*, actionem instantaneam non esse, non perspicit? Ex quo simul, cur non omnes illuminentur statim elucet.

§. 849. Nam quia omnium vult salutem (§. 457.)

(§. 457.), quae vero sine fide, adeoque sine veritatum ad eam, & salutem pertinentium cognitione, haberi non potest (§. 816. seqq.); velle etiam debet illuminationem *omnium* Ioh. I. 9. Col. I. 28. Tit. II. 11. Conferri tamen & hic, quae de uocatione diximus, certe merentur (§. 836.). Vocati enim tantum illuminantur, & qui dicta (§. 846. 847.) obseruant. Obserues tamen distinctionem etiam, DEI inter voluntatem antecedentem, qua omnium, & consequentem, qua non vult; quo ipso dubia etiam cadunt. Nam 1) Matth. XIII. 11. statim vers. 12. seq. tollit ipse Christus; & 2) Luc. X. 21. ex eadem ratione, quia ob praeiudicia resistebant Iudaei (§. 846.), non procedit; sicut & 3) Ioh. XII. 40. ob contumaciam. Act. VII. 5.

§. 850. Illuminatio est conuictio (§. 840.). Voluntatis vero est adpetere vel auersari (§. 125. seq. Psych.); non ergo ad voluntatem sed intellectum potius illuminatio pertinet 2. Cor. IV. 6. Eph. I. 18. Quoniam vero in intellectu variorum deprehenduntur gradus (per exp.); ideo in illuminatione gradus esse possunt. Ergo vel de omnibus ad salutem necessariis conuictus esse quis potest, vel tantum de quibusdam. In priori casu illuminatio dicitur *sufficiens*

seu *perfecta:* in posteriori *insufficiens* & *imperfecta:* quae tamen, quia ex Scriptura S. originem trahit, mediante qua, homines a DEO illuminantur (§. 843.), a DEO etiam esse debet; adeoque non *mere* est *naturalis.* Matth. XIX. 22. Ex principiis uero h. §. in perfectam mutari posse & debere imperfectam 2. Petr. I. 19. salutem si consequi velit, satis constat. Matth. VII. 22. 23. 1. Ioh. II. 4. Luc. XII. 47, Quoniam vero illuminatio ad salutem tendit (§. 839.), quae sine fide obtineri non potest (§. 816.), illuminatio *sufficiens* cum fide semper est coniuncta 2. Pet. I. 19. insufficiens minime. Qui ergo non credit; vel insufficienter est illuminatus, vel nulla in eo deprehenditur. Quae enim de eruditis Theologis sine fide obiiciuntur, remoram nobis iniiciunt nullam, dum praeiudiciis erroribusque forte quibusdam laborant, adeoque sufficienti non sunt instructi. Num. XXIV. 16. 17. Matth. VII. 22. 23. Phil. I. 16. seqq. Quibus obseruatis intelligi quoque potest Theologorum illuminationis distinctio in *litteralem* seu *paedagogicam* & *spiritualem* seu *salutarem.* Illa enim conuictio est de veritatibus ad salutem cognitu necessariis sed sine fide, adeoque insufficiens; haec, quae cum fide est coniuncta, adeoque sufficiens (per antec.)

§. 851.

§. 851. Illuminatio imperfecta est a DEO (§. pr.). Ergo non est a carne seu peccato originis (§. 340.); neque a Diabolo, qui veritates ad salutem cognitu necessarias in hominibus non producit 2. Cor. IV. 4. Ergo neque *carnalis* est dicenda, neque *diabolica* illuminatio talis. Non autem ex Iac. III. 15, tuam probare poteris opinionem. Nam non de illuminatione, sed de σοφια ανωθεν, quae cum ira & inuidia coniuncta esse non potest vers. 14, loquitur Apostolus. Sic quia illuminatio imperfecta cum Sc. S. conuenit (§. pr.); logice *vera* omnino est dicenda, quia conuenientia cogitationum cum re ipsa, ueritas logica dicitur (§. 174. Log.). Verum quia ex intentione DEI in perfectam est mutanda (§. pr.); hoc respectu si statum contrauersiae formas, vera non est dicenda. Denique conuictio (§. 840.) est proprie & sensu biblico illuminatio. Sed imperfecta est talis; ergo est proprie talis & sensu biblico. Num. XXIV. 16. 17. Matth. VII. 22. 23. Phil. I. 16. seqq. Cui enim competit definitio, competit etiam definitum. Verum dicis: 1) illuminatio imperfecta non datur 2. Cor. IV. 3. adeoque nulla est, nec sensu biblico. Sed distinguendum est inter hominem *totaliter induratum & praefracte contumacem*, & hominem *docilem, lumenque Sc. S. admittentem*, de quo

sermo. 2) Christum Pharisaeos vocare coecos, non illuminatos, cum tamen veritates ad salutem perspectas haberent. Distinguimus vero inter *cognitionem* harum veritatum, & *conuictionem*, quam non admittebant, dum assensum negarunt Ioh. X. 25. 26. qua ex ratione coeci omnino sunt dicendi. Ex oppositione igitur sequitur: qui istis assensum praebet, & conuictus est, illuminatus dici potest. 3) 1. Ioh. II. 9. seqq. Sed distinguimus inter sufficientem, quam, quod concedimus, non habet; insufficiens tamen simul consistere poterit & imperfecta.

§. 852. Denique ob successiuam, quam defendimus, illuminationem (§. 848.), & mutationem imperfectae in perfectam, omnino necessariam (§. pr.); affectiones inter, recte 1) & *continuatio* & 2) *adauctio* Luc. XVII. 5. Rom. XII. 3. nec non quia fides amitti recuperarique potest (§. 824.), 3) *amissibilitas* Ebr. VI. 4. seqq. 2. Pet. II. 20. itemque 4) *reiterabilitas* Apoc. II. 5. referri possunt; quibus, quia nostra de DEO hac in vita cognitio est imperfecta; 5) *imperfectio* ratione subiecti addi potest. 1. Cor. XIII. 12.

CAPVT

CAPVT XII.

DE REGENERATIONE ET CONVERSIONE.

§. 853.

Si DEVS homines per verbum vocat atq[ue] illuminat, hominesque verbo obediunt; excitatur in illis fides, vti per sacramenta (§. 823.). Haec vero excitatio seu donatio fidei, dicitur *regeneratio*; & *regenitus*, qui fide praeditus est; qui non, *irregenitus*. Quia itaque haec excitatio fidei est res spiritualis (§. 285.), in spiritualibus autem homo vires habet nullas (§. 291.); in regeneratione nihil agit homo (§. 55. Ont.), sed passiue tantum sese habet, adeoque est opus solius DEI, & quidem ad extra, tribus personis commune (§. 140.). Rom. I. 4. 5. DEVS ergo est *causa efficiens* regenerationis, & propter oeconomiam, Spiritus Sanctus Ioh. III. 5. Causa autem *organica* sunt verbum & sacramentum baptismi Iac. I. 18. 1. Pet. I. 23. Tit. III. 5. Adplicanda ergo & hic sunt, quae adduximus (§. 846. seqq.). Ergo regenerari non potest per rationem (§. 816.); neque vt Fanatici volunt, per excitationem interni ac natu-

raliter insiti luminis, & scintillulae diuinae in homine quolibet delitescentis. Probant quidem 1) Ioh. I. 9. Sed lumen hoc, quod contextus probat, Christus est, non aliquod homini naturaliter insitum. 2) Etiam irregeniti oculos auresque habere dicuntur, quibus vti possent. Ezech. XII. 2. Resp. dist. inter haec membra naturaliter talia, & nouiter a DEO creanda, de quibus sermo.

§. 854. Quia verbum & sacramentum baptismi adplicant verbi diuini ministri, aliique sinceri doctores; *causae ministeriales* recte dicuntur 1. Cor. IV. 1. Gal. IV. 19.

§. 855. In homine causa sufficiens regenerationis non datur (§. 853.); sola ergo DEI misericordia est *causa impulsiua interna* 1. Pet. I. 3. *externa* autem & *meritoria* est Christus mediator Ioh. I. 12. 13. 17.

§. 856. Homo in regeneratione demum accipit fidem (§. 853.). Ergo ante eam, non habuit; adeoque in statu est peccati. Status autem peccati, vti ex doctrina de peccato originis claret, importat carentiam virium spiritualium ad fidem Eph. II. 15. impotentiamque ad cognoscenda obiecta spiritualia, Eph. V. 8. & prosequendi bona spiri-

ſpiritualia. Rom. VIII. 7. Ab hoc autem ſtatu venit homo ad fidem; ergo hic ſtatus eſt *terminus a quo* regenerationis. In ſtatu vero fidei, vti ex capite de fide conſtat, vires homo habet cognoſcendi, proſequendique bona ſpiritualia Eph. V. 8. 1. Cor. II. 14. in hunc autem ſtatum homo per regenerationem tranſit; hic ergo ſtatus, eſt *terminus ad quem* regenerationis.

§. 857. In regeneratione donatur homini fides (§. 853.); *forma* itaque regenerationis conſiſtit in fidei donatione. Quia autem fides eſt habitus (§. 816.); habitus vero per crebrum ordinarie exercitium & ſucceſſiue exſurgunt; DEVM per praeuios actus ſupernaturales a ſe ipſo excitatos, adeoque *ſucceſſiue* fidem habitualem conferre adultis dicere ſane poſſumus. Quodſi vero de *ipſo fidei ſaluificae actu* ſermo ſit, in inſtanti cum *ſcholaſticis*, ſine errore hominem regenerari affirmamus.

§. 858. Quia in ſtatu peccati DEO placere nemo poteſt, ſed potius poena eſt dignus, nemoque ſine fide intrare poteſt regnum DEI, & ſaluari (§. 816.); *Omnes* autem ex intentione & gratia DEI vniuerſali ad ſalutem aeternam ſunt creati (§. 457.), *omnes* ad quos fides ſpectat (ſpectat vero ad

omnes peccatores, eosque *solos* hac in vita *homines* §. 657.) iique peccatores regenerari debent, si velint saluari, ex quo *necessitas regenerationis* elucet Ioh. III. 5. 6. quoad adultos & infantes. Infantes enim per verbum DEI quod audire aut percipere non possunt, regenerari haud valent. Ergo per sacramentum baptismi (§. 823.).

§. 859. Homo gaudet libertate (§. 145.) adeoque resistere potest, ne regeneretur. Si non resistit, ex parte DEI, quia gratia est efficax (§. 464.), regeneratio sequitur omnino. Phil. I. 6. Luc. VII. 30. seqq. Act. XIII. 14. XVII. 32. XVIII. 6. Ex parte vero hominis defectibilitas adest, quia peccatum originale adhuc in eo conspicitur. 1. Ioh. I. 10. Quum itaque hoc regenitus dicat Iohannes; in regenitis adhuc peccatum esse, omnino concludendum. Constat hoc porro ex Apostoli dicto Gal. V. 17. caro ἀντικειται spiritui. Non ergo sensus est, quod quando caro concupiscat, aduersus spiritum concupiscat, sed de carne, quatenus est in regenitis Galatis loquitur sine limitatione aut discrimine temporis ac personarum. Constat porro ex Paulli de se quaerimonia acerba Rom. VII. 17. seqq. & Iacobi effato I. 14. III. 2. vbi vniuersaliter de omnibus, (ergo & de regenitis) hoc

prae-

praedicat, quemadmodum ex aliis Scripturae dictis etiam elucet. Koh. VII. 21. Prou. XX. 9. 1. Reg. VIII. 46. Male ergo Remonstrantes primo primos motus, quibus nondum adiungitur consensus, non solum peccata esse negant, sed & motus voluntarios, posito quod sub concupiscentiae nomine comprehendantur, peccata dici non posse, docent. Quoniam vero voluntarium (vti ipsorum est ratio) non praecise ad peccati formam pertinet; ideo tota illorum doctrina corruit (§. 379.). Probant quidem 1) scripturam describere hominem, vt totum regenitum; Resp. concedimus *totum hominem* regenitum esse, *sed non totum hominis*, quia adhuc supereſt caro. 2) Vrgent facultates appetendi & intelligendi, homini esse naturales. Resp. ipsae facultates, vti sunt a DEO conditae, non sunt vitiosae, a vitio tamen connato inhaerente ac necessario (non constitutiue aut consecutiue §. 368. 223.), sunt corruptae & pollutae. 3) Sic culpam in DEVM recidere, qui cum possit, non tollat funditus peccatorum causam, fontem atque radicem, & quasi indigere peccato. Verum dist. inter potentiam absolutam, & ordinatam (§. 77.). Quum enim omnes pactum ruperunt (§. 335.), omnes in peccatis sunt, eorumque poenis. Vt ergo homines exercitium haberent poeni-

poenitentiae, sanctitatis & humilitatis, sensionemque odii, quod DEVS erga peccata habet, id non tollit. Hoc enim modo desiderium vitae aeternae, in illis excitatur, itemque actiones bonae e. g. orationes & gratiarum actiones toties, quoties noua adepti sunt incrementa. Et quid multis? DEVS est sapiens; nihil ergo sine ratione facit (§. 54.); quapropter prouidentiam diuinam atque sapientiam exosculamur, quamuis ratio, quare h. l. illud fiat, nobis non sit nota. Non ergo cadit in DEVM culpa. 4) Hoc modo, duas fore in homine regenito contrarias voluntates completas; sed dist. inter voluntatem & procliuitatem. 5) Sententiam hancce pietati noxiam esse, quia peccata grauia & habitum peccandi, cum regenerationis statu consistere, doceremus. Sed distinguimus inter peccata proaeretica & motus subitaneos & non deliberatos, dominium non obtinentes sed affectantes, quod ipsa Scriptura Sacra testatur. 6) Contradictorium esse regenitorum statum, carnem enim crucifixisse & tamen carnalem esse; peccatis mortuum, & tamen viuere. Disting. inter *peccato*, & *in peccatis* mortuum esse; & inter *sensum* & *consensum* peccati. 7) Scripturae Sacrae aduersari Phil. II. 13. Rom. VIII. 2. Gal. V. 24. Verum haec loca non de inhabitatione, sensu & assultu,

assultu, sed de libertate a peccati dominio loquuntur. Renouatio enim nostra hac in vita est imperfecta, quod infra pluribus.

§. 860. Homo ergo qui non resistit, regenerari potest (§. praeced.), qui vero ante regenerationem, in statu est peccati (§. 856.). *Subiectum* ergo *quod*, est homo carens vita spirituali, & non resistens Ioh. III. 3. Tit. II. 5. (§. 858.). Quum ergo illi non solum, qui nunquam spiritualem habuere vitam, vti sunt infantes, & adulti gentiles, ac Iudaei; sed etiam qui per peccata mortalia, hancce vitam fidemque amiserunt (§. 827.), vita spirituali carent, resistere tamen nolunt; omnes illi regenerari possunt. Sed quoniam vt infra patebit Baptismus non iterari & per verbum DEI regeneratio fieri potest (§. 853.), adulti irregeniti, non rursus baptizari, sed per verbum legis & Euangelii regenerari debent.

§. 861. In regeneratione donatur homini fides (§. 853.). Ergo subiectum *quod*, regenerationis est homo peccator (§. 858.); *quo* vero, quia fides magis ad voluntatem pertinet, sicut illuminatio ad intellectum (§. 840.), voluntas. Male ergo Pontificii, Scholasticique intellectum, *subiectum regenerationis*

tionis quo dicunt. Probant quidem 1) voluntatem iam gaudere libertate. Resp. in *naturalibus*, non in spiritualibus, de quibus sermo. 2) Voluntatem sequi intellectum, hincque sufficere, intellectus si modo regenitus sit. Resp. disting. inter illuminationem, quam fides (§. 847.) adeoque etiam regeneratio (§. 853.) sequitur; & regenerationem.

§. 862. Per fidem habemus vitam aeternam (§. 816.), fidem autem accipimus in regeneratione (§. 853.); ergo effectus & finis regenerationis est vita aeterna. Nemo autem vitae aeternae particeps redditur, quod infra clarum erit, quam qui est iustificatus; finis ergo etiam iustificatio est; & ex parte DEI gloria eius, quae finis est totius mundi (§. 36. Theol. Nat.). Eph. I. 3. 6. 1. Pet. I. 3.

§. 863. Denique regeneratio in Sc. S. dicitur etiam *noua creatio* 2. Cor. V. 17. Gal. VI. 15. *viuificatio* Eph. II. 5. Rom. VI. 11. 3. 4. & *spiritualis resuscitatio* Eph. II. 6. III. 1. & aliquando *latiori* sumitur *significatu*, pro tota hominis instauratione spirituali, ita vt conuersionem, iustificationem & renouationem complectatur; aliquando *strictiori*, sola pro iustificatione aut sanctificatione.

Verum

Verum hi significatus non sunt huius loci.

§. 864. Caeterum regeneratio vt synonimum *conuersionis* interdum adduci solet; verum cum aliqua tamen sit differentia, melius est si distinctas nobis formemus ideas. Ne vero errorem committamus, idea ex Sc. S. est haurienda. Describit autem illa conuersionem Ies. I. 16. 18. Ier. XXXI. 18. Ezech. XI. 19. 20. XXXVI. 26. 27. Matth. XI. 18. XVIII. 3. Act. II. 37. XXVI. 18. 20. ex quibus sequens fluit definitio *conuersionis* sc. quod sit actio DEI, qua fides per verbum in adultis producitur. Pleniorem dabimus infra. Quis itaque positis hisce, differentiam iam conuersionem inter & regenerationem non videt. Nam 1) differunt ratione *subiecti*, quod in conuersione est adultus, quia fieri debet per verbum, quod percipere infantes nequeunt, (§. praec.); in regeneratione homo quiuis, etiam infantes (§. 853.); deinde etiam 2) differunt ratione mediorum, quod in conuersione est solum verbum diuinum (§. praeced.), in regeneratione vero est verbum & sacramentum baptismi (§. 853.).

§. 865. Subiectum quod conuersionis est homo adultus (§. pr.), homo adultus vero vel fidem

fidem nunquam habere potuit, quales sunt homines in Iudaismo aut Gentilismo nati & educati, uel iam habuit, quos lapsos aut relapsos vocant; ergo tam hi, quam illi ad conuersionis subiectum *quod* pertinet. Illorum conuersio ideo prima, sicut lapsorum secunda, aut iterata vel iteranda vocatur. Secunda quamuis aliquoties iterata; tamen, quia homo ob libertatem, conuersionem impedire potest (§. 121. Th. N.); ideo subiectum quod conuersionis, & homo peccator adultus non resistens, dici potest.

§. 866. Quia est homo peccator subiectum quod (§. praeced.); fidem nondum habet. Homo autem regenitus fidem iam habet (§. 853.), quamuis peccata habeat, quae quotidie detestari, & fide deprecari debet, quam poenitentiam stantium vocant. 1. Cor. XV. 1. Rom. XI. 20. Poenitentia itaque stantium non proprie dicitur conuersio; nisi vocabulum conuersionis in sensu latiori sumatur.

§. 867. Productio fidei est res spiritualis (§. 285.), adeoque etiam conuersio (§. 863.); quia vero homini in spiritualibus nullae sunt vires (§. 291.), ideo se ipsum conuertere, aut in conuersione tanquam subiectum quod (§. 864.) agere non potest.

Ergo

Ergo pure mereque sese habet *passiue*. Nec est, quod *aliquid* in conuersione hominem efficere posse putes, adeoque *tantum opus* habere *gratia adiutrice*, quae naturam imbecillem auxiliis suis desuper instruendo, ad regenerationem prouehat & promoueat; quae *Pontificior. Semi-Pelagianor.* est, ecclesiaeque *Graecae* & *Ruthenicae* quoque doctrina esse videtur. Conf. *Metrophanes* cap. V. Nam quia conuersio etiam regeneratio (§. 864.), quae illuminationem supponit (§. 861.); se ipsum vero neque illuminare neque regenerare valet (§. 843. 853.); praeterea quantus quantus est *caro* & *carnalis* Ioh. III. 6. Rom. VII. 15. *mortuus* Eph. II. 1. Col. II. 13. *omnisque ad bona ipsi denegatur propensio* Gen. VI. 5. Rom. V. 8. seqq. VIII. 7. & DEO τὸ θελειν καὶ ενεργειν; homini vero *solum repugnare posse* adscribitur 2. Cor. III. 5. Phil. II. 13. 1. 6. Ioh. VI. 29; ideo *nullae* ipsi uires tribuere hoc in negotio possumus. Probant quidem Graeci, & qui ab eorum partibus, 1) nisi homini capacitatem tribuamus gratiam recipiendi per naturalis luminis legitimum vsum; rationem reddi haud posse, quo modo iustas DEVS malis poenas inferat & infligat. Sed resp. non de capacitate *recipiendi*, alias nulla etiam DEI actione produceretur conuersio; sed de *viribus* quas negamus, *propriis*. 2) Sic vim & tyranni-

dem a DEO adhiberi, concedendum. Resp. vis & tyrannis est coactio externa in actione, nolenti potissimum adhibita; quae de DEO affirmari haud possunt, siquidem libertate hominem in conuersione haud priuat. 3) Facultatibus suis animam sic priuari, deiicique infra *brutorum* sortem. Negamus: nam minime tollit libertatem, nec intellectum rationemque caeterasque facultates, ex quibus libertas sequitur (§. 217. Psych.). 4) Ad *Basilii, Chrysostomi, Theodoreti* aliorumque ecclesiae Patrum prouocant consensum. Resp. optimi illi Doctores ante motas a Pelagio lites, paullo *securius* loqui consueuerunt, & tota controuersia non ex hominum, sed Sp. S. verbis sec. 1. Cor. II. 13. est definienda. Distinguendum etiam in genere est, inter *dissensum negatiuum* h. e. *nolle conuerti*; & *consensum positiuum* h. e. *velle sui conuersionem*. Matth. XXIII. 37. conf. *Zeltneri* breu. contra Graec.

§. 868. Ergo, quia conuersionis ratio non est quaerenda in homine (§. pr.); DEVS recte hominem conuertere dicitur, per loca §. 864. citt. adeoque est *causa efficiens principalis* (§. 69. Ont.); & quidem, actio DEI quia est ad extra, tribus personis communis, P. sc. F. & Sp. S. (§. 140.) Ier. XXXI. 18. seqq. Act. XVII. 30. Marc. I. 15. Apoc. III, 20.

III. 20. Ioh. XVI. 8. 9. & seria Ies. LXV. 2. Ezech. XVIII. 21. 22.

§. 869. Quia cum conuersione coincidit regeneratio (§. 853. 864.); eadem statui possunt 1) *media* & *causa organica*, nisi quod baptismus quoad adultos exulet (§. 860.); etsi *praeparationem* (quo beneficia, poenae, variaque calamitatum genera etc. pertinet), extraordinariosque modos, miracula scil. in V. & N. T. nec non adparitiones & visiones Act. X. 3. seqq. IX. 4. 5. (ex quibus *extraordinaria*; quae vero per verbum, *ordinaria*) non negemus. 2) Eadem *causa ministerialis* (§. 854.); 3) eadem *causa impulsiua interna* & *externa* (§. 855.); 4) idem *subiectum quo* (§. 861.), & *quod*, (§. 860.); quo igitur & *excaecati* & *obdurati* omnino pertinent, quia genus species continet (§. 56. Log.); Ezech. XVIII. 21. seqq. XXXIII. 11. Matth. XXIII. 37. 1. Tim. II. 4. seqq. 2. Pet. III. 9. nec non 5) *obiectum* idem (§. 858.), II. iam citt. & *terminus* idem *a quo*, & *ad quem* (§. 856.). Act. XXVI. 18. Quoniam igitur *Pharisaeismus* vitium est, quo quis legem diuinam seruare posse putat, ita vt fide ad salutem in Christum non habeat opus; conuersus vero fide praeditus (§. 864.), sine qua saluari non posse perspicit (§. 816.); conuersio cum Pharisaeismo consistere nequit, qui

itaque per conuersionem tollitur. Ex eadem ratione, quia peccata cum fide consistere nequeunt (§. 827.), conuersio non permittit, vt homo de conuersione minime sollicitus, peccata peccatis augeat, qui status cum sit *Epicureismus*; per conuersionem Epicureismum tolli patet. Sic quia *hypocrita*, fide caret, externisque tantum actionibus fidem habere aliis persuadere curat; hypocrisin per conuersionem tolli, quiuis videt. Vbi denique fides, ibi homo non amplius est sub ira DEI, neque in statu απιστιας (per opp.). Ergo *conuersio* etiam definiri posset: mutatio adulti, qua per verbum DEI ex statu irae (απιστιας) in statum gratiae (fidei) transit. Hinc תשובה & επιστροφη recte dicitur.

§. 870. Ex eadem porro §. pr. ratione, conuersioni, quia libertatem DEVS non tollit (§. 121. Th. N.), potest resistere homo (§. 848.). Sed ante conuersionem illuminandus, est necesse (§. pr.). Quicquid ergo illuminationem impedit; impedit etiam conuersionem. Quapropter verbi diuini neglectus, denegatusque ei consensus, peccata proaeretica & voluntaria, praeiudicia etc. conuersionem impedire possunt (§. 846. seqq.). Quia itaque libertate semper gaudet; semper etiam conuersioni

vsque

vsque ad mortem resistere potest, quae *finalis*; vbi vero non ad mortem vsque, *temporaria*. Ita, quia illuminatio vel *paedagogica* est vel *spiritualis* (§. 850.); resistentia etiam diuidi sic potest. Illa ergo est, si deliberato consensu media paedagogica negligit; haec vero, si consensum in illuminatione denegat. Denique propter P. O. quo omnes laborant, quiuis hominum necessario resistit (§. 344.), adeoque *naturalis* est *necessaria*, & *connata*, & *vniuersalis*; interdum vero in quibusdam circumstantiis resistere non posset, nec deberet, si modo vellet, quae *deliberata, affectata, morosa, voluntaria, pertinax, malitiosa*. Nam in sensationibus homo nihil mutare potest (§. 1. Prol. de Philos. in gen.). Quodsi ergo per verbum DEI primos bonos recipit motus, ita vt ex cogitationibus & iudiciis, statim sensationi aut ideae, ob naturam mentis humanae statim aut successiue (imaginatione praesertim concurrente) succedentibus, de miseria sua homo cogitat: *quae mea est vitae ratio?* cet. homo primis istis motibus, resistere non potest; & hac ratione sunt irresistibiles. Dicis: 1) in conuersione cor tollitur lapideum; gratiae ergo conuertenti resisti non potest. Resp. tollitur, sed secundum ordinem a DEO constitutum, sc. nisi homo resistat. 2) Sicut naturalis generatio,

aut e mortuis resuscitatio, quemadmodum regeneratio vocatur (§. 863.), impediri nequit; ita nec spiritualis. Negatur, nec simile contra Script. & rationem, vltra tertium est extendendum. Conf. *Fecht.* tr. de ordine modoque gratiae in conuersione hominis.

§ 871. Homo ergo dum gratiae conuertenti resistit, conuerti non potest (§. pr.). Ergo quia homo semper libertate gaudet, qua abuti etiam potest, vt tristis loquitur experientia; cur multi non conuertantur, liquet. Nec est, quod DEVM eiusque accusses voluntatem: quia extraordinariam, si ordinariae locum non relinquit, adhibere posset. Sed iniurius es in sapientiam, quae DEO competit, summam; qui ab ordine suo semel constituto, facile recedere non potest; id quod in naturalibus e. g. in conseruatione etiam videmus, Luc. XVI. 24. seqq. Adde etiam DEI praescientiam, scientiamque mediam, qua extraordinariam nihil efficere, uidet. Frustraneam suscipiat actionem postulare poteris? Absurdum! (§. 54.)

§. 872. Verum quia DEI verbum *ordinarie* ad mortem vsque homo habet, idque legere & audire potest (per exp.); ideo & mali-

malitiose resistentibus gratiam conuertentem denegare haud solet. Ies. VI. 8. 9. LXV. 2. 3. Ier. III. 1. seqq. Sed dicis: experientia reclamat. Nonne Iudaeis, aliisque verbi sui contemtoribus subtraxit verbum, atque subtrahere etiam minatus est? Ier. VI. 8. VII. 13. Amos VIII. 5-12. 2. Thess. II. 10. 11. Verum quamuis haec concedam; distinguendum tamen est inter *gradum gratiae conuertentis superiorem*, & *negationem omnis*; ad *quam*, ex *illo*, non valet consequentia. Dantur enim gratiae huius gradus. Nonne etiam vocatio supereſt indirecta (§. 833.)? Quoniam vero post mortem, damnati, participes fidei non possunt reddi (§. 824.); ideo post mortem, conuersio locum habere amplius non potest. Ergo vel in articulo mortis, conuertens gratia cessat; vel iam hac in vita. Posteriorem si quis assumere velit; rursus vel ita tempus, vltra quod conuerti non amplius homo potest, est constituendum, quod *terminus peremtorius* dicitur; vel terminus vltra quem, quidem conuersio, sed *difficulter* tamen est possibilis. Quod ad terminum attinet peremtorium, plura continet, quae & litteris diuinis, & rationi sunt contraria. Nam 1) impugnat vniuersalitatem meriti Christi (§. 661.), quod post terminum illum elapsum, cogitari certe

non potest. 2) Reiicit dicta clarissima Ebr. III. 13. 15. Luc. XVII. 3. 4. Ezech. XXXIII. 11. etc. 3) DEVS hypocritice homines post terminum illum ad poenitentiam vocaret. 4) Tollitur Christi intercessio pro arboribus infrugiferis 5) introducitur desperatio; 6) nec nemo salutis suae certus esse posset. 7) Tollitur regni gratiae, quod tamen ad mortem vsque durat, vsus & fructus. 8) Miseria hominum maior esset, misericordia DEI contra Rom. V. 20. 9) nec adesset obligatio, vt homines ad finem vsque vitae in Christum crederent. 10) Experientiae etiam contradicit; saepissime enim immorigeri, omnemque gratiam reiicientes, haud raro in concionibus aut lectionibus librorum, pulsum Spir. S. sentiunt; sed ob praeiudicia, aliasque rationes, gratiae conuertenti resistunt. Alteram vero quod concernit thesin, terminum scilicet vltra quem conuersio *difficulter* possibilis censetur, mitior quidem, & tantis difficultatibus non obnoxia; iusto tamen caret fundamento. Nam Parabolam de Coena, Luc. XIV. 16. seqq. ex qua nonnulli hanc probare cupiunt sententiam, si consideremus; nihil aliud probat, quam quod tempus quoddam, scilicet regnum gratiae, ad accipiendam fidem sit constitutum; malitioseque repugnantes & resistentes

ſtentes ex iuſto DEI iudicio (vbi etiam ſcientia eius media, qua gratiam non accepturos fuiſſe praeuidit (§. 44.) addi poteſt) participes non reddantur. Loca enim quae adducunt, ratiociniaque quibus fulcire ſententiam adlaborant, certe tempus eiusmodi determinatum non euincunt. Audiamus dubia: 1) DEVS hominem per longum temporis interuallum ad conuerſionem praeparat; ergo adeſt tempus & hora conuerſionis ante finem vitae *determinata*. Sed negatur conſequentia; nihil enim ſequitur aliud, quam *tempus* in genere; quod eſt regnum gratiae. 2) Probant ex omniſcientia & omniſapientia; per haec enim, quae DEO competunt, attributa, optimum cognoſcit ad conuerſionem hominis tempus, quo a praeiudiciis, aliisque, quibus reſiſtit, liber eſt atque ſolutus; hinc optima etiam tunc adplicat media. Sed concedere poſſumus totum argumentum, ſalua theſi noſtra. Non enim ſequitur: alio ergo tempore talia non adplicat; ne dicam: optimum ad relationes pertinere. 3) *Hodie* illud Ebr. III. 6. 7. explicatur l. c. commate 13. 15. ita vt ex illo, hora illa euinci non poſſit. Ita etiam 4) ficus ſterilis contrarium potius, quam horam determinatam indicat. Iuſtitiam enim ſuam demonſtrare voluit DEVS, vti antecedentia declarant,

rationemque Christus addit: a sua, conseruationem prouenire gratia & deprecatione; alias ob iustitiam, eadem digni poena essent. 5) Sensationes, cogitationes & motiua ad conuersionem fortiora, nec horam determinatam indicant; sed maximam tantum DEI actionem 6) ex 2.Cor. VI. 1. seqq. idem nil nisi regnum gratiae sequitur. 7) Luc. XIII. 24. ob resistentiam. Omnes hae, vt in genere adhuc moneam, principii petitione etiam laborant, probationes. Quoniam ergo quamdiu *hodie*, scilicet gratiae regnum adhuc est, conuersio locum habere potest Ebr. III. 15. adeoque verbum DEI omnes ad conuersionem cohortatur; prolapsique in peccata surgere, peccatorumque remissiones petere iubentur; Christus porro plenissime satisfecit; euangeliique promissiones vniuersales; & solum Peccatum in Sp. S. excipitur; Marc. I. 15. Act. XVII. 30. Ezech. XVIII. 27. 2. Pet. III. 4. Ier. VIII. 4. Matth. VI. 12. 1. Ioh. II. 2. Ioh. III. 16, Matth. XII. 31. ideo fieri potest, vt homo renascentiae statu saepius excidat, ast per conuersionem seriam, compluries iteratam, in eundem statum restituatur. Ergo terminus gratiae est finis vitae temporalis; quod & hoc modo iam recte probatur. Vel terminus, de quo loquimur, est, in 1) peremtorio, vel in 2) hora illa determinata;

vel

vel 3) post hanc vitam; vel 4) in termino vitae temporalis. Tria priora membra sunt falsa, nec datur quintum; ergo quartum est verum. Obiiciunt quidem 1) loca ab initio h. §. proposita; sed addimus iam, certitudinem poenarum temporalium etiam indigitare, vitaeque finem peccatori maturandum fore. 2) Exemplum Pharaonis, Iudae etc. nil probant; ad poenitentiam enim, quamdiu in viuis erant, cohortatus fuit DEVS. 3) Seram conuersionem *raro* esse veram. Concedimus; sed non semper, vti experientia quoque probat. Nam quia habitus per crebras actiones in homine oritur (§. 13. Eth.); talis tantusque in homine existere potest in malo, vt gratiae media, omnino respuat, & praeiudiciis suis, vitaeque, quibus continuo teritur, rationibus obrutus, vel conuersionem differat; vel in totum negligat. Et quoniam ob finitudinem nec tempus, nec modum, rationes, circumstantiasque mortis suae certissimae introspicit; hisce omnibus ita impediri potest talis, vt gratiae media, etiamsi velit, vti fruique non possit. Quum itaque per securitatem statumque hominis non conuersi, tot tantaque sibi attrahere potest mala, vt salute aeterna priuatus, sine fine patiatur poenas; homo non solum conuersionem minime differre; sed potius, si ae-

si aeternam consequi velit vitam, quam sine fide, quae per conuersionem in nobis producitur (§. 864.), adipisci non possumus (§. 816.), *necessario* sese conuertere debet. Conf. vener. *Moshemii* heil. Reden Part. III. orat. V.

§. 873. Quoniam itaque gratiae media, ad vitae vsque finem concedere solet DEVS; quae semper efficacia sunt; ideo & seram poenitentiam veram salutaremque esse posse, contra *Remonstrantes* probare adhuc possumus; ita vt cum ipsis ad *gratiam* aliquam & *spem extraordinariam* (ordinaria enim hic media sufficiunt §. 44. Prol.), confugere necesse non habeamus. Nam praeter iam hic, & §. pr. dicta, sine limitatione certi temporis, promissiones vere conuertentibus, factae sunt. Deinde *Latronis* exemplo nostra probatur thesis. Obiiciunt 1) Latronis, nil; sed potius extraordinariam probare gratiam. Negatur; per praedicationem Christi enim, quae ordinaria erat, non miraculum, conuertebatur; nisi extraordinarium sumis, quod ab ordine recedit; tunc concedo; sed & Controuersia est Logomachia. 2) Matth. XIII. 10. Resp. α) Non de moribundis sed sanis locus agit; β) de fructibus a conuersione itaque separandis, vtpote, qui consequens, Christus loqui-

loquitur. Conuersio etiam hic non pro statu, sed pro actu sumitur. 3) Matth. VII. 21. Resp. non de moribundis agit. Sed de hypothesi oretenus, verbis prae se Christianismum ferente, absque sincera animi conuersione, est sermo. 4) Rom. XII. 2. Eph. IV. 22. seqq. Resp. non de moribundis loquitur Apostolus; distinguendumque inter *renouationem* seu *sanctificationem*, cuius essentiale constitutiuum, *bona opera*, & inter *conuersionem*, cuius non. 5) Nullum in Scr. S. locum esse, qui *diserte* promissionem vitaeque aeternae spem contineat. Resp. dist. inter *explicite* & *implicite* tales. In vniuersalibus enim subiectis, etiam species & indiuidua continentur (§. 56. Log.)

§. 874. Datur conuersio iterata (§. 872.); conuertensque sit illuminatus (§. 869.). Quum vero illuminatio, & iterata conuersio non vno actu, sed pluribus peragatur; conuersio ordinario modo fit *successiue*. Ex quo statim distinctionem conuersionis in *transitiuam* & *intransitiuam*, intelligi potest. Illa enim (quia Actus a DEO transit in homines) est, vbi DEVS hominem mutat, vt ex statu ἀπιστιας transeat in statum fidei; haec vero est, vbi homo hoc modo sese mutat. Ita ipsa loquitur Scr. S. Ier. XXXI. 18. Ioel II. 12. Ezech. XVIII. 31.

Luc.

Luc. I. 16. XXII. 32. Transitiua etiam *actiua*; sicut intransitiua, *passiua* a quibusdam vocatur; nec non, *poenitentia*. Quodsi vero homo se ipsum conuertit, agat est necesse. Verum ita contradictio certe adesse videtur, dum supra (§. 867.) solum passiue sese hominem habere, docuimus. Sed salua res est, modo distinguas, inter *naturae vires*, & *vires* a DEO *in transitiua acceptas*; quae per verbum in homine producuntur. Deinde etiam conuersionis *initium* distinguas a *progressione*, vbi viribus acceptis agere potest. Quoniam vero per *datas* homo agit; nec progressio illa homini recte imputari potest; ita vt recte quidem hominem *se ipsum*, non tamen *ex se ipso* conuertere, dicere sane cogamur. Omnis ergo nostra conuersio a DEO est. 1. Cor. II. 14. Phil. II. 13. Ioh. XV. 3. Errant ergo praeter dictos (§. 867.), *Socinus*, & *Synergistae*, quorum prior, hominem suis viribus, accedente diuinarum promissionum cognitione, ad sui conuersionem aptum natum esse; posteriores vero inchoare & perficere suis viribus posse, negant; sed vbi Sp. S. initium fecit conuersionis, voluntatem humanam, naturalibus suis viribus; quodammodo aliquid cooperari posse, affirmant. Probant etiam 1) quia conuersio nobis iniungitur, quod possibilitatem obsequii supponit. Resp. dist.

inter

inter *posse*, & *debere*; hoc, non illud locus indicat. Eodem fere modo thesin suam probat *ecclesia Graeca*, dum repugnantiam esse, dicit, hominem conuerti, & tamen *potentiam* conuersionis non habere, quem etiam toties Sp. S. vt *se* conuertat, iubeat. Distinguendum vero inter potentiam *passiuam*, quam non denegamus (§. 867.), & *actiuam*, & *naturaliter in eo existentem*, quae ex passiua nondum sequitur. Illustrari etiam nostra thesis posset cum mortuis, qui per Christum sunt excitati. Vlterius priores probant 2) Luc. X. 30. Resp. locus non de conuersione, sed de caritate agit erga proximum. 3) Ex 1. Cor. III. 9. disting. inter *Euangelii praecones*, qui Θεῦ συνεργοι, & *homines conuertendos*. 4) Quemlibet habere posse ex auditu fidem. Si ex auditu concipitur fides, conuersio est ex verbo, adeoque ex Sp. S. Actus enim paedagogici, rem non conficiunt.

§. 875. Conuersio intransitiua, *poenitentia* cum dicatur (§. pr.); fidemque contineat (§. 864.); fides tanquam pars poenitentiae recte statui potest. Quoniam vero fides cum peccatis consistere nequit (§. 827.); poenitentiam agens peccata non fugiat solum, sed & peccata commissa eorumque poenam agnoscat. Nam qui in Christum credit

credit; non potest non simul peccata eorumque poenas, vtpote quae Christus pro illo in se suscepit, sibi repraesentare; id quod ex mentis natura sequitur. Quapropter recte concludere possumus: Qui peccata non agnoscit, nec ea curat, in Christum credere, non est dicendus. Quoniam vero peccata, hoc modo tanquam maxima sibi repraesentat mala, quae *taedium* nobis creant, cuius gradus insignis, *tristitia* vocatur (§. 108. Psych.); homo saluandus tristitiam ob peccata commissa in se sentiat, quae si voluntati diuinae conueniens est, *secundum* DEVM; si non, *secundum mundum* adpellatur, 1. Cor. VII. 10. seqq. Quum itaque quae fiunt vsumque habent, DEI finis est & voluntas (§. 37. Th. N.); tristitia vt saluandus quoque moueatur secundum DEVM. Tristitia ob malum, quod patratum a nobis fuisse iudicamus, *poenitentia* est (§. 116. Psych.); homini ergo saluando, vt peccatorum commissorum poeniteat, incumbit. Quia vero haec omnia ex peccatis originem ducere perspicit, quae ob iustitiam DEI, qua punire debet, poenae certissime sequuntur; poenae vero vt mala (§. 52. Ph. Pr. Vn.) taedium creant (§. 93. Psych.); & taedium ex malo imminente ortum, *metus* dicitur (§. 109. Psych.); saluandus metu poenarum diuinarum omnino

est

est tangendus. Sic ex definitione pudoris (§. 116. Psych.), vt peccatorum, vtpote malorum, salutis cupidum pudeat, & facile sequitur. Ita quia tot tantaque, peccata producunt, quae auersamur (§. 128. Psych.) mala; cum peccatis homo saluandus non amplius sese coniungere, sed potius separare studebit; quod cum dicatur odium (§. 113. Psych.); odisse peccata debet. Tale vero odium, cum proposito aliquid nunquam amplius perpetrandi, dicitur *serium*, aut *efficax*: odium ergo peccatorum poenitentiam agentis, non sit *simulatum* aut *simplex*, h. e. vt inclinationem & propositum habeat amplius ea perpetrandi; sed serium & efficax. Denique quia ex seria peccatorum agnitione, morsus conscientiae oriuntur (§. 78. Ph. Pr. Vn.); morsus quam vt sentiat conscientiae, poenitentiam agens, fieri aliter non potest. Hic vero status a nobis iam descriptus, seu detestatio peccatorum, cum dolore agnitorum, *contritio* dicitur; poenitentiam itaque agens conteri debet. Psalm. LI. 18. 19. XXXIV. 10. Ies. LXI. 1. Ier. III. 13. Iac. I. 23. Luc. IV. 18. Matth. XXVI. vlt.

§. 876. Exposita §. pr. de contritione doctrina, qua ratione ad peccatorum agnitionem, atque adeo ad contritionem veniat

& perducatur? facilis intelligitur reſponſio, ſi modo ad medium, quo in conuerſione DEVS vtitur reſpicere velimus. Eſt autem verbum DEI (§. 868.). Quum itaque quicquid contra legem DEI peccatum eſt (§. 109.); ad peccatorum agnitionem per legis diuinae diligentem accuratamque conſiderationem, poenitentiam acturum deduci, patet. Legem vero, vt in omnibus ſeruet homo, eſt neceſſe. Ergo *in genere* ad legem, & *in ſpecie*, quoad interna & externa, (cogitationes, ſenſiones, inclinationes, habitus & actus, quorſum P. etiam O. pertinet) commiſſiones & omiſſiones, gradus etc. eſt reſpiciendum. Ad gradus notiſſimum illud ſuum conferre poteſt: Quis? Quid? Vbi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando? Quodſi DEVM miſericordem & longanimum, omnesque quas in ſe, pro te ſuſcepit Chriſtus actiones addis; contritio inde orta eo facilius fieri poteſt ſalutaris. Ex quo ſtatim, quia ad Euangelium Chriſtus vna cum ſuo merito pertinet, quaeſtio diiudicari poterit? An lex aut euangelium contritionem operetur. Si de contritione per fidem ſalutari, ſermo ſit, *euangelium*; ſi vero de contritione & triſtitia in *ſe* ob peccata, legem operari, eſt dicendum. Perpendas porro rigorem iudicii diuini, damnum hac in vita, (quoad bona *temporalia* & *ſpiri-*

spiritualia, quae rursus pro diuersitate subiecti varia sunt) & in altera; malorum in mundi nexu per peccata nostra, genesin & sequelam. Quoniam vero tam multa, & tam sollicita omnium, quae adduximus, meditatio & indagatio requiritur; mirum non est, si pauciſſimi tantum conterantur & conuertantur; etiamsi illuminentur. Verum DEI misericordia & sapientia summa longius procedit, &, si omnibus his ad se trahere hominem non posse, perspicit, alia adplicat media. Hinc quia bona adpetunt, mala vero aduersantur homines (§. 128. Psych.), bona concedit haud raro plurima, eaque minime nec naturaliter propromerita, Rom. Hinc calamitates non minus publicas, quam priuatas immittit, 2. Chron. XXXII. 10. Ps. CXIX. 7. Dan. IX. 5. seqq. & quidem variis modis, variisque in statibus & familiis, etc. e. g. diuitiae sunt, honores grataeque sensationes, officia cet. ex altera parte bella, malum regimen, ereptio boni principis, tyrannis, annonae difficultas, paupertas, morbi, mors inopinata, & quae sunt alia. Nam quamuis vltima, poenae maxima ex parte dici merentur; media & *praeparationes* sunt tamen *simul*, ad conuersionem, quia vnius rei, praesertim sapientis DEI respectu, plures esse possunt. Indices peccatorum

rum ergo pro omni statu & aetate non male conficerentur. Hinc cur & magno metu, & tremore nostram quaerere iubemur salutem, claret.

§. 877. Etsi vero metum fere ad contritionem summum requisiuimus (§. pr.); non tamen cum illis facere possumus, qui desperationem in conuersionis opere commendant, spiritualem & necessariam, qui error ex confusa, aut potius obscura desperationis notione, ortus esse videtur. Desperationis enim definitio (§. 109. Psych.), minime adplicari potest, dum homo peccator certissimum in Christo e miseria elabendi medium perspicit. In se quidem nihil reperitur homo, quo ad salutem adspirare posset, & hac posita conditione, desperatio sequitur omnino. Verum ita: num recta hac via, medium scilicet in se quaerendi, saluandi incedant, quaero? Nonne hoc modo contra sapientissimum, a DEO constitutum ordinem agunt (§. 816.)? Et quid denique ea perficient? iis vt credo, ipsis consentientibus, nihil; dum nullum in ipsis inueniunt medium, nec salutem hoc modo, quae tantum per fidem obtinetur (§. 816.), sibi acquirere valent. Idem etiam dicendum de vere contritis, quos iam descripsimus (§. pr.). Nam quia quae ad contritio-

tritionem pertinent, cum ex natura mentis consequuntur humanae, tum ex ipso, qui eos premit, peccatorum statu; omnia haec vt agant obseruentque, quam maxime sunt obstricti, adeoque vt meritum ipsis imputari non possunt. Quis vero per contritionem nos salutem non mereri aut consequi posse, facillime non perspiciet? Attamen nullum plane contritionis vsum esse, non affirmabo. Nam quia in se nulla ex miseria sua elabendi media inuenit contritus (per antec.); ex verbo vero, Christum omnis & *solum* salutis sibi repraesentat medium (§. 817.); per contritionem ad Christum fide adprehendendum ducitur; quod, quia vsus rerum fines DEI (§. 38. Th. N.); finis contritionis omnino dici potest. Gal. III. 24. Qui ergo in contritione subsistit, & ad Christum non ducitur; contritio ei ad salutem prosit minime. Matth. XXVII. 3. 4. Recte hinc contritionem, *salutis medium causale & positiuum* esse, negant Theologi Viri, etsi *ordinis, & salutis impedimenta remouens*, rectissime dicant. Errant ergo *Pontificii*, qui contritionem ad *salutem* consequendam necessariam esse, eamque peccatorum remissionem mereri, dicunt & probant: 1) 2. Cor. VII. 10. Resp. tristitia illa, dispositio est ad fidem concipiendam, *quae*, non *illa* aut cum ea demum est salutaris. 2) DEVS respi-

cit ad Cor contritum Es. LXVI. 2. sed non vt meritum, nec exclusa fide. 3) Ezech. XVIII. 27. vbi viuificat; Resp. concedimus sed non sine fide. 4) Psalm. LI. 19. agit tantum locus de subiecto, quod DEO placeet, non de causa fauoris; vbi tamen non sine fide esse potest. Quoniam itaque in contritione non est subsistendum (per ant.) quam primum, quia sapiens ad finem suum medium adplicat (§. 102. Pn. oc.), *vere* contritus, nullum in se medium auxiliumque inuenit, liberari tamen anxie quaerit atque cupit, vno verbo: omnia si in eo, quae in §. 875-880. demonstrauimus, reperiuntur, ad fidem est properandum. Quodsi vero contritionis signa, contritionemque ipsam *vere* talem non monstrat, nec medium emergendi serio quaerit, cum tali de fide nondum est agendum. Vani alias consolatores sunt; veramque in homine excitare poenitentiam frustra student.

§. 878. Quodsi hoc (§. 876. 877.) descripto modo, ad contritionem fidemque peruenieris, non potest non fieri aliter, quam vt, quia fides bonas necessario actiones producit (§. 827.); vt ab omnibus, quae in ipso malis seu peccatis, quantum fieri potest, abstineat. Sunt vero diuersi generis. Deprehenditur enim 1) P. O. quod, quia funditus

hac

hac in vita exstirpari nequit (§. 370.), ad tantas redigendum incitas, vt nunquam amplius dominetur, sed potius quotidie debilitetur. Ergo omnes, quae forte oriri possunt, sensationes, (& occasiones hinc etiam) sollicite omnique adhibita cura fugiat. Ergo & inclinationes praeuas & habitus serio deponat; actionesque omnes ita dirigat, vt nullo modo legi repugnent diuinae. Qua ex ratione quaestionem hodie motam: an laesor rem alterius iniuste detentam, calumniatorque famam laeso restituere teneatur? affirmare facile poteris. Quoniam enim omnia, & sic etiam praeterita tanquam non facta reddere, eaque detestari obligamur, quia alias amorem erga peccata, quae potius odio prosequenda (§. 876.) ostenderemus; ideo his de quaestionibus, aliisque, ex principiis hisce resolubilibus facile iudicari potest. Ezech. XVIII. 30. Ier. XVIII. 8. XXV. 5. 1. Reg. VIII. 35.

§. 879. Ita ex §. pr. diiudicari quaestio potest, an *res* seu *realiter existentia*, quae ante conuersionem, peccandi occasionem dederunt, tollenda sint omnino, atque destruenda? e. g. idola, argentum, vestimenta, scortum etc. Quaedam, vt homines etc. destrui salua conscientia non pos-

sunt; quaedam possunt. Verum *necessaria* non est eorum destructio; sufficit si certo modo, at toto animo fugiamus; dum poenitentia propositum tantum non amplius peccandi, requirat (§. pr.). Quodsi ergo quis non ipse sit securus, vt potius se facile rursus in irae statum peruenire his rebus posse, aliosque, scandalum inde occasionemque peccandi arripere, putet; *melius* est, si res & obiecta illa peccatorum destruat. Luc. XX. 15. Act. XIX. 19. XXVI. 18. 1. Thess. I. 9. Quoniam itaque poenitentia a 1) *rebus* seu obiectis, quibus ad peccata abusus est (per antec.); cum ab 2) *ipsis peccatis* & malis toto animo discedit (§. pr.); duo haec *terminum* conuersionis *a quo* constituunt; qui ergo in *formalem*, seu peccata omnia; & *obiectiuum*, seu *res* illas, subdiuidi rursus potest. 1. Thess. I. 9.

§. 880. Verum fides quia actiones bonas producit (§. 827.), vt a peccatis non tantum abstineat (§. 878. 879.); sed bonas etiam faciat poenitens atque conuersus, est necesse. Hinc omni ratione legem implere, actionesque suas secundum eam componere debet; quod cum virtuosi sit (§. 103.); vere poenitens in posterum virtutibus studeat, quae vel naturales sunt vel Christianae, vel intellectuales, morales vel poli-

politicae (§. 59. Eth.). Ergo quia naturalis iam homo vt in omnibus suis quas edit, actionibus gloriam DEI promoueat, est obstrictus (§. 29. Ph. Pr. Vn.); multo magis id incumbit poenitenti, vt in DEI, Christique, qui causa principalis & meritoria, salutis suae honorem viuat. 1. Cor. X. 31. 2. Cor. V. 15. Col. III. 17. Actiones vero conuersi (moraliter) bonae, dicuntur *noua obedientia*; quae ergo in conuersione exulare non potest. Verum quia ex fide, tanquam effectus, demum sequitur (§. 827.); ad ipsam poenitentiam, tanquam partem, eam referre non valemus, quod Scr. etiam confirmat, in qua vt fructus describitur. Matth. III. 8. Act. XXVI. 20. Errant ergo *Sociniani*, N. qui O. partem putant, & probant: 1) μετανοια dicitur poenitentia, adeoque mutatio. Resp. sed mutatio fit per contritionem & fidem; ergo totum concedere possumus. 2) Conuersio per virtutis studium describitur Psal. XXXIV. 15. Ez. XVIII. 27. Resp. sunt hae partes poenitentiae? nonne potius de renouatione sermo? 3) Apolog. Aug. Conf. N. O. vt partem adducit. Resp. Neg. *fructum*, non partem nominat.

§. 881. Ad poenitentiam requiritur fides (§. 875.). Homo ergo poenitens ad DEVM

ducitur, & Christum, per quem, propitiatorem accessus ad DEVM & gratia recuperari debet; qui ergo recte, *terminum ad quem*, & quidem *obiectiuum conuersionis* constituunt. Act. IX. 11. XI. 21. XXVI. 16. 1. Pet. II. 25. Quoniam vero per conuersionem peccata abolentur (§. 869.); *terminus ad quem formalis quo* peccatorum, est abolitio, quae fit per poenitentiam. Sed poenitentia N. includit etiam O. (§. pr.); *terminus* ergo *ad quem formalis qui*, est *noua* vita & *indoles*, nouusque homo Psalm. LI. 12. Ezech. XXXVI. 26. 1. Cor. II. vlt. 2. Pet. I. 3. 1. Ioh. V. 20. Non ergo *noua* producitur *substantia*, ita vt secundum quosdam diuinam consequamur naturam (*ethice* pro indole Iac. III. 7. sed non *metaphysice*), quae & corpus mutet (qua *vsum* concedo, non qua *substantiam*), ita vt simus caro de carne Christi. Quodsi haec de vnione dicuntur mystica, facile concedam, non vero si de *substantiali* Christi carne sit sermo.

§. 882. Quum itaque duo sint poenitentiae termini, a quo scilicet & ad quem (§. 879. 881.); praeterea status, in quo hic relatione DEI homo consideratur, vel ἀπιστίας est, vel fidei; *duae* etiam *tantum* partes statui possunt poenitentiae; *contritio* scilicet & *fides*. Noua enim obedientia ad essentiam

tiam eius non pertinet (§. 880.), & *agnitio peccatorum*, quam aliqui tertiam partem constituunt, sub contritione iam continetur. Interim etiam obseruandum, poenitentiae vocem vel *generaliter* sumi, pro quacumque antegressorum retractione 2. Cor. VII. 8. Ebr. XII. 17. vel *specialiter* prouti iam descripsimus, scilicet pro conuersione intransitiua hominis ad DEVM; quo sensu (speciali) rursus vel *totaliter* ὁλικῶς, pro tota hominis conuersione Matth. III. 8. vel *partialiter* μερικῶς, pro contritione *tantum*. Marc. I. 15. Quibus obseruatis *Pontificiorum* & *Arminianorum*, facile refutare poteris errores, quorum posteriores correctionem tantum vitae, poenitentiam dicunt; priores vero tres eius partes statuunt, *contritionem cordis, confessionem oris*, & *satisfactionem operis*. Nam ad satisfactionem hanc quod attinet, certe superflua, dum Christus ex asse iam DEO fecit satis (§. 672.), est dicenda, neque a DEO sapienti, qui frustra nil iniungit hominibus, exspectanda (§. 54.). Si vero dicendum, quod res est, satisfactio non ad alium inuenta est finem, quam vt homines, mala haec auersantes, pecuniae summa, quod praxi ecclesiae Romanae conuenit, & operibus ipsius supererogationis, ab iis sese liberarent. Quoniam vero confessio oris, de qua mox loquuturi sumus,

propter

propter satisfactionem (quo scilicet ecclesiae minister peccata inter & satisfactionem, iustam determinare relationem & proportionem possit); cessante & euersa satisfactione, tollitur etiam sine dubio confessio ipsa. Obiiciunt 1) confessionem semper in ecclesia necessariam fuisse. Resp. fuit, sed non vt pars constitutiua poenitentiae. 2) Satisfactiones a poenitentibus semper fuisse requisitas. Resp. scilicet (*ecclesiastae* seu *canonicae*, vbi poenitentes pro totius ecclesiae facie grauius, quod commiserunt delictum, confitebantur & deprecabantur, hoc enim significatu poenitentia etiam sumitur) pro seruanda disciplina; adeoque erant signa poenitentiae, & praestabantur, poenitentia iam peracta. Luc. XIX. 8. 3) Nunquam in posterum mala committere, optimam esse poenitentiam. Resp. *consecutiue*, non constitutiue spectata. Signum esse, non poenitentiam ipsam. 4) Fides poenitentiae antecedit; ergo non pars Ion. III. 5. Dist. inter fidem *historicam* & *saluificam*. 5) Fidem in poenitentia, non esse fiduciam, quam nos tamen requirimus (§. 817.). Sed disting. inter *credere remissionem culpae*, Ion. III. 9. & *condonationem poenae temporalis*. 6) Poenitentia vi vocis est punientia apud *Lombardum Sent.* Lib. IV. dist. 14. Sed ex rebus ipsis & non ex etym. dedu-

deducendae definitiones (§. 102. Log.). 7) Satisfactiones poenitentibus pro poenis temporalibus imponuntur. Sed superfluum, quia post culpam remissam, τιμωρια, seu poena proprie dicta, conuersis (etsi παιδεια castigatio paterna, & medicinalis afflictio) non maneat. Vbi enim nulla culpa, ibi nulla poena Matth. XVIII. 32. Rom. VIII. 1. Ne de poenis, quas Christus in se suscepit Es. LIII. 5. iam dicam. Referunt autem ad satisfactiones, Pontificii tria; *orationem* scilicet *ieiunium*, & *eleemosynas*, & probant 2. Sam. XII. 14. sed distinguendum inter *poenam* & *castigationem*. Verba autem Danielis Cap. IV, 24. in Ebraico Cod. sic vertenda: *vt peccata tua in iustitiam abrumpas* (*mutes*) פרק. Tobiae liber vero, quia Apocryphus (§. 36. Prol.), nil probat.

§. 883. Manet ergo fides pars poenitentiae (§. pr.). Sed sine fide salutem consequi aeternam potest nemo (§. 816.); ergo nec sine poenitentia. Hinc necessitas poenitentiae elucet. Rom. V. VIII. tot. Act. II. 37. XVI. 30. Ebr. XII. Ob hanc itaque necessitatem, etiam ex parte DEI summe *efficax* est conuersio; ergo Apostatae, si non conuertatur & saluetur, non DEO est adscribendum. Rom. XI. 29. Ioh. X. 29. Sed dicis: DEO, qui causa est efficiens (§. 868.), non

non homini, qui nullas habet vires, est imputandum. Libere enim agere non potest; quo in casu nulla locum habet imputatio (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Sed salua res est, modo ad definitiones attendas. Nonne homo vel resistere potest, (de progressionis loquimur tempore) vel gratiae pulsus admittere (§. 867.)? Ex duobus ergo, quod maxime ipsi arridet, dum eligit, sponte agit, adeoque & libere, dum auctor est suarum actionum & passionum, quod essentia libertatis (§. 145. Psych.). Instas: si libere agit homo; non est miraculum conuersio. Sed consequentia negatur. Deinde etiam concedi posset propositio, si sermo & status ponitur controuersiae, de *gratiae* nos *regno* loqui. Nam quia in mundo omnia inter se sunt connexa (§. 9. Cosm.), ita vt DEO nullum perpetrandum sit miraculum, mediis si, quae posuit, ordinariis aliquid consequi possit; in gratiae regno nec miraculo conceditur locus, si per media (quae verbum & sacramenta §. 853.), ordinaria efficere quid potest. Quis ergo conuersionem in gratiae regno miraculum dicere audebit? Deinde si esset miraculum nullus hominum potentissimo, qui hic agit, resistere DEO posset; sic conuersio fieri absolute deberet; quod cum non fiat; in saluo rursus nostram esse thesin, quiuis videt.

Immo

Immo & experientiae haec theſis repugnat. Quiuis enim in conuerſionis negotio conſtitutus, *luctam* in ſe animaduertet, hic maiorem, ille minorem. Nonne porro hoc modo DEVS ſine ratione & ex ſolo tantum Eius beneplacito *hunc* conuerteret; *illum* reiiceret atque damnaret? Quae cum ita ſint, conuerſionem rurſus miraculum non eſſe, eſt clariſſimum. Quodſi vero *regnum* tibi *naturae* ponis; in hoc, quia nec per ordinem naturae, nec per vires hominis naturales abſolui poteſt conuerſio, miraculum omnino eſt dicenda. Immo & in regno gratiae, quia ex miraculo tamen ſequitur, ratione *medii*, non vero ratione modi conſequendi, miraculum, ſeu vt alii, conſequens aut corollarium miraculi, adpellari poſſet.

§. 884. Quae de lucta quam §. pr. per experientiam adſumſimus, dicta ſunt, iam ex aliis probare poſſumus rationibus. Nam hoſtes noſtros ſpirituales, noſtram omni ratione impedire conuerſionem, ſuperiora qui perpendit (§. 426.), non poterit negare. Dum ergo varia nobis ad peccandum proferunt motiua, quae haud raro in poenitentiae conuerſionisque via iam conſtituti ſequuntur, eamque deſerunt (§. 872.); ſuperare ea niti decet, ne voluptate eorum capti, poenitentiam abrumpamus. Quoniam

niam vero, qui nobis in re quadam auersatur, nobiscum *luctatur*; poenitentiae luctam dari claret. Sic DEI viribus in conuersione acceptis (non ergo propriis poenitentia viribus & victoria peragitur) sufficientia nobis quae subministrant, arma, hostibus illis obuiam ire, obstaculaque, quae in medium producunt, remouere ob conuersionis necessitatem (§. pr.), potest & debet homo. Quae obstaculorum remotio in poenitentia, vt conuerti queamus, dicitur *poenitentiae victoria*. Dari ergo & luctam victoriamque poenitentiae quis negabit? Non ergo omnis in homine σαρκοπνευματομαχία ad solam pertinet renouationem, vt nulla plane sit in conuersionis opere. Gal. V. 17. Rom. VIII. 13. VII. tot. inprimis comm. 15. 23. Ioh. III. 6. *Initium* ergo huius luctae fit in conuersione, perpetua vero duratio in renouatione. Neque est vt dicas, hanc poenitentiae luctam, rationis pugnam esse & affectuum, quae, quod scio, saepius a quibusdam confunduntur. Alia enim hic sunt media, aliaque obiecta & subiecta.

§. 885. Nihil aliud iam supereſt, quam vt de signis poenitentiae pauca dicamus, optime quae ex definitione deducuntur. Quoniam vero duabus constat partibus, contri-

contritione sc. & fide (§. 882.); ex contritionis quaedam, quaedam ex fidei notione consequuntur. Fidei supra adnotauimus (§. 830.); ergo contritionis tantum sunt concludenda. Si itaque est detestatio peccatorum cum dolore agnitorum (§. 875.), dolores vero & mala a nobis depellere curamus (§. 128. Psych.); desiderium mediorum h. e. quaerendi Christum, nec non propositum amplius non peccandi, inter signa recte referuntur. Quo etiam merito ex eadem ratione, quae (§. 878. 879.) adduximus, (ex proposito enim sequuntur) pertinere videntur, nec non gestus corporis, & vestimentorum relationes ac mutationes, a poenitentibus susceptae, (ex quibus, non ex *sympathia* aliqua, quae inter conuersos intercedit, vt vnus alterum ignoti etiam inter se agnoscant, est deducendum 1. Ioh. IV. 1.) quales Scr. S. varias indicat e. g. Ex. XXXIII. 4. seqq. Nehem. IX. 1. I. 4. 2. Chron. XX. 3. Dan. X. 3. Ioël II. 12. 13. Ion. III. 4. 5. 6. 2. Sam. XII. 16. XIII. 19. III. 31. Psal. VI. 7. CII. 6. seqq. Matth. XXVI. 75. Gen. XXXVII. 34. Luc. VII. 39. XVIII. 13. Referunt etiam, quia verba, cogitationum signa sunt (§. 80. Log.), ad poenitentiae signa, *confessionem peccatorum*, quae sermo est, per quem nos peccatorum effectuumque eorum reos esse indicamus.

Ergo de confessione tantum sermo est *externa*. Quaeritur vero cui sint confitenda? In contritione, quod experientia confirmat, harmoniaque mentem inter atque corpus docet (§. 159. Psych.), saepe homines angoribus affectibusque molestis agitati in verba erumpunt: *O Domine peccaui! Ah me miserum!* etc. Quum itaque hominis ita comparata sit natura, quae a DEO (§. 160.), per naturam suam, homo ad confitenda DEO peccata ducitur, & quidem maximam cum in se hoc in casu humilitatem sentit, humillimo corporis sermonisque statu. Psalm. XXXII. 3. seqq. Luc. XVIII. 13. Ex eadem, quia eaedem respectu laesionis proximi circumstantiae occurrunt, confitenda est (dum & felicitas eius sit promouenda §. 80. I.N.), laesio, laeso. Num. V. 6. seqq. Matth. V. 24. Iac. V. 16. Verum cum haec ratio respectu ecclesiae, eiusque ministri non habeat locum, nec ea necessaria esse videtur. Verum quia scandalum nemini dandum (§. 387.); abolendum est, (ne exemplo nostro latius serpat vitium) per confessionem. 1. Tim. I. 13. Quodsi ergo per peccatum nullum fuit scandalum datum; nulla etiam necessaria est ecclesiae confessio; imprimis etiam quia societas est ecclesia (quae & *ipsa* profiteri peccata potest DEO, quae publica dicitur XVI. 21.), cuius & totius est

pro-

promouenda felicitas, peccata omnia si profiterentur; docerentur potius, quo ipso redderentur infelicissimi. Quodsi vero ob conscientiae sanationem, necessariam confessionem putes; adhibenda est, apud ecclesiae ministrum. Quae tamen vti hoc, ita nec alio casu omnino necessaria. Quoniam vero multa inde proueniunt commoda, dum ministro hoc modo copia facta est, pro *cuiusque statu*, necessaria quaedam proferendi, adque S. Coenam poenitentes praeparandi, ne indigni facile admittantur; alii vero ad imitationem sollicitentur, vt poenitentiam agant; ideo recte in ecclesia retinetur. Idem & ex Scr. Vet. Leu. IV. V. 5. VI. Num. V. 6. seqq. 2. Sam. XII. 13. & N. T. Matth. III. 5. XVIII. 15. quod in loco de *Ministerio Ecclesiastico* uberius deducemus, probatur. Non tamen ideo singulorum cum suis, cum perpetrata fuerunt, circumstantiis, enumerationem peccatorum ecclesiae Ministro factam, quia alias remitti non possent, quamque *confessionem auricularem*, vocant, defendimus, vt potius omnino reiiciamus. Nam 1) inter impossibilia recte refertur Psalm. XIX. 13. dum memoria non solum labilis, sed & ad plurimas distincte semper, vnde repraesentatio & adperceptio cessat (§. 164. Psych.), peccator non attendit circumstantias. Deinde

nec ex 2) ratione, nec 3) Scr. S. duci argumentum potest; vt potius, si ob varias non recensere volunt circumstantias, ad maximum 4) desperationis gradum perducantur peccatores. Ne dicam, 5) & statui politicae, dum arcana principum sic & priuatorum expiscantur; & ecclesiae, quasi meritoria *esset*, inimicum esse. Probant quidem, suam, in quo tamen errant, *Pontificii* sententiam 1) Matth. VIII. 4. sed vbi confessio singulorum? 2) Ioh. XX. 23. Resp. ministri non sunt peccatorum iudices, sed DEVS. 3) 1. Ioh. I. 9. Sed de ea erga DEVM, locus agit; certe non de singulorum. 4) Iac. V. 16. Verum non de ea, ecclesiae Ministro, sed *laeso*, facta. 5) Act. XIX. 18. Sed atrociora tantum vid. vers. 19. ergo non omnia cum circumstantiis omnibus. Etsi vero nostra, quae *confessio generalis*, quia in genere tantum se homo vt peccatorem sistit, rationi omnino conuenit; impugnatur tamen a *Weigelianis*, *Anabaptistis*, *Socinianis*, aliisque hodie quamplurimis: 1) quia disciplinam ecclesiasticam eneruet absolutio priuata. Negatur, vt potius gradus hoc modo ecclesiasticae obseruentur censurae. 2) Quia reliquiae sunt Papatus. Verum ex definitionum collatione confessionis nostrae, & auricularis, contrarium omnino elucet. 3) Ex incom-

incommodis, dum a) quis in famae vitaeque discrimen ducatur, si atrocius a se commissum indicat delictum. Sed Confessionarii necessarium est silentium, neque opus est, vt tale, nisi ipse velit, confiteatur; b) *inuidia* ob maiorem confitentium adplausum excitatur. Resp. inuidia in *vero* ecclesiae Ministro non esse potest, adeoque id fit iniuste, & *per accidens*; sicut quae alias c) de auaritia nummi poenitentialis seu confessionalis proferuntur; id quod vero verum non tollit *vsum*. Quodsi enim alia prospiciatur vitae, conseruationique ecclesiae Ministrorum ratione, vtpote qui nummos istos tanquam partem accipiunt Salarii; lubentiori certissime animo, nummos istos negligerent, prouti iam in quibusdam abrogati sunt locis. Signa denique haec in *interna* vbi ex mentis, & *externa*, vbi ex corporis actionibus poenitentia concluditur; nec non in *certa* & probabilia (§. 175. 176. Log.) diuidi, adnotari meretur. Quaenam autem ad classes hasce ex superioribus pertineant; ex dictis concludi facile potest.

§. 886. Inter nonnullos denique agitabatur quaestio: *an homo conuersionis suae tempus indicare semper possit; & an, qui non valeret, non conuersus aut regenitus esset?* Ad priorem quod

attinet, quia maxima per conuersionem in homine existit mutatio, in actiones etiam maxime influens; non potest non tanquam sensatio illa, vtpote a prioribus maximopere *diuersa*, percipi, conuersio. Distincte enim perceptorum facilis est recordatio & memoria (§. 9. Psych.). Num vero hora, dies, aut temporis aliquod *punctum*, quo conuersio facta est, indicari posset, quia successiue existit (§. 874.), affirmare non sustinerem; praesertim, quia memoria labilis, errorque facile admitti in tempore posset. Ad minimum ergo circumstantias quasdam, & sic etiam tempus *in genere* etiam, si vere facta est conuersio, omnino adducere talis valet. Quibus obseruatis, quomodo altera soluenda est quaestio, facile iam patet. Quodsi ergo *nullum*, neque in genere aliquod conuersionis suae determinare tempus potest: nullam egisse poenitentiam, admodum est *probabile*; non tamen illius est reiicienda statim, qui *diem, horamque* determinare non potest; quod ex sensatione, mutationeque adducta facile claret.

§. 887. Denique motiua, ad maturam iuuentutis conuersionem pertinentia, eiusque impedimenta, scholii quasi loco adponam. Quod ad motiua attinet, sunt: 1) conuersio vera est sapientia; non conuersio, stul-

ſtultitia 2) habitus peccandi, illam reddit difficiliorem. 3) Chriſtianorum ſtatus pugna eſt atque victoria, quae eo citius obtinetur, quo magis properata inſtituitur conuerſio; 4) maior in bono gradus. 5) Salutaris ad officia futura praeparatio. 6) Taedium ex peccatis iuuentutis aliquando certiſſimum; 7) cadit hypocriſeos ſuſpicio; 8) manuductio ad exercitationes hodie in Chriſtianiſmo ſeria; 9) lapſus ex foedere baptiſmali; 10) aemulatio & imitatio puerorum vere conuerſorum; 11) vſus conuerſionis in ſtudiis pertractandis. Ad impedimenta 1) praeiudicium referuntur, ac ſi in conuerſionis iam ſtatu iuuenes deprehendantur; 2) ignorantia iuuentutis in rebus ad ſalutem pertinentibus. 3) Honeſtatis externae, veraeque pietatis inter ſe confuſio. 4) Inaduertentia & attentionis in rebus ad ſalutem pertinentibus, neglectus. 5) Praua in omni hominum ordine & ſtatu exemplorum copia 6) prauae ſocietates; 7) caſtitatis neglectus; 8) nimius & immoderatus in ſtudiorum progreſſu adpetitus; 9) difficilis reſpectu iuuentutis, falſa conuerſionis perſuaſio; & reliqua; quae paterno affectu, vberiorique calamo expoſuit Vir optimus *Ioh. Adam Fleſſa*, in ſcriptis, quibus rubrum: Einige Bewegungsgründe &: Hinderniſſe etc.

CAPVT XIII.

DE IVSTIFICATIONE.

§. 888.

In quo hominis consistat iustitia, annotauimus (§. 245. Eth.). Hinc quia leges DEI seruandae sunt omnes (§. 1. Diss. Prol.), Matth. XXII. 37. *iustus* reuera dici non potest, nisi qui *perfecte* seruat leges. Hinc qui pro iusto habetur (seu vt *Augustinus* loquitur: iustus deputatur) *iustificatus* non ex communi loquendi modo solum, sed ipsa etiam Script. consentiente, dicitur. Gen. XLIV. 16. Deut. XXV. 1. 2. Sam. XV. 4. Prou. VII. XVII. 15. vt loca N.T. e.g. Matth. XII. 37. Rom. VIII. 24. 28. 33. 34. etc. innumera omittamus; ergo 1) propter vsum Ebr. הצדיק & Gr. *δικαιον* constantem, in sensu forensi sumatur iustificatio. Quodsi 2) circumstantias addis forenses, e. g. a) *accusationis Mosis* seu legis per Mosen datae Rom. III. 9. VIII. 33. Ioh. V. 45. cum *Satana* Apoc. XII. 10. b) *testis*, conscientiae Ioh. VIII. 9. Rom. VII. 15. c) *Chirographi*, legis praesertim Leuiticae Col. II. 14. d) *rei*, peccatoris Rom. III. 19. e) *Satisfactionis* 1. Tim. II. 6. Rom. V. 10. 16. f) *Mediatoris* & *Aduocati*, Christi, 1. Tim. II. 5. 1. Ioh. II. 1. g) *Iudicii* Psalm. CXLIII. 2. h) *iudicis*, DEI, Gen. XVIII. 25. i) non imputationis peccati, & sententiae absolutoriae 2. Cor. V. 19. Matth.

Matth. IX. 2. Act. X. 43. nec non 3) oppositum, *condemnationem*, quae de insitione aut infusione malitiae & peccati intelligi non potest; Rom. VIII. 33. Deut. XXVII. 26. de *forensi* significatu amplius dubitare non poteris; id quod 4) iustificationis synonyma, Ioh. III. 18. XX. 23. Rom. III. 25. IV. 3. 5. 2. Cor. V. 19. probant. Errant ergo 1) *Pontificii*, quibus *iustificare* est, habitum iustitiae infundere; 2) *Anabaptistae*, *Weigeliani*, & *Schwenckfeldiani*, qui per *iustificare* intelligunt, hominem per renouationem facere iustum & probum. Probant quidem 1) physicam illam ex etymologia, cuiusmodi & alia e. g. *sanctificatio*, (non tamen sanctificamus nomen DEI, sanctum faciendo, sed sanctitatem eius aestimando) etc. occurrunt; ita vt *Iesuitae Colonienses*, ad Grammaticam & Lexica, olim nostros ablegarint. Verum haec, ad definitiones non est via (§. 102. Log.), dum principium Theologiae, Scr. S. (§. 46. Prol.). 2) Ies. LIII. 16. Sed Messias nos non iustificat scientia *sua*, sed *sui*; vbi scientia Messiae *obiectiue* spectandi, fides est in Christum. 3) Dan. XII. 3. Sed non de iustificatione agitur hic coram DEO, sed de *doctrina iustitiae*, adeoque est ignoratio elenchi. 4) Apoc. XXII. 11. Resp. Partic. ἔτι non *augmentum* iustitiae, sed iustificationis continuationem

denotat. 5) 1. Cor. VI. 11. vbi iustificatio, sanctificationem sequitur; Resp. in verbis, sed non re ipsa. Instantiam vide 2. Cor. XIII. 13.

§. 889. Cum creatura mala seu peccatore DEVS se non coniungit (§. 61.). Ergo qui vitam consequi aeternam cupit, a peccatis esse debet liber, seu *iustus* (§. pr.). Quia vero aeternam, leges obseruantibus promisit DEVS vitam (§. 298.); iustus vitae aeternae particeps fit omnino. Sed vitam illam concedere, *nisi* DEVS, potest *nemo:* ergo nec *iustificare* in opere, de quo hic sermo, salutis. Non ergo hic de iustificatione DEI coram hominibus; nec de hominis, coram hominibus; sed hominis coram DEO, est sermo. DEVM ergo vt iudicem (§. pr.), causam efficientem principalem esse, & quidem, quia actio est intellectus diuini, tribus personis competens (§. 139.), Trinunum, facile patet (§. 59. Ont.) Marc. II. 7. Rom. VIII. 33. Es. LIII. 11. 1. Cor. VI. 11. Rom. III. 30. Matth. IX. 3. P. vero O. laborat hodie homo, vt & non connatis (§. 354. 371.). Ergo DEVS hominem *hodie* non ob *iustitiam inhaerentem,* ac si *per* & *in* se iustus sit, iustificare potest. Deut. XXVII. 26. Ies. LXIV. 5. Rom. X. 3. Philip. III. 9. Rom. III. 20. Gal. III. 10. II. 21. Quodsi vero iustificationem

par-

partialem ſtatuis, quia aliqua tamen ex legis tenore ab homine fiunt (ne de virtutibus dicas naturalibus); fingis, quod perfectiſſimi DEI reſpectu, habere locum non poteſt. Iac. II. 10. Si ergo homo nihilominus iuſtificetur, fieri ob *iuſtitiam imputatam* debet, vbi aeſtimatione morali pro iuſto habetur. Nonne inhaerens eſt imperfecta, inchoata, immunda? Pſ. CXXX. 3. Errant ergo *Pontificii, Anabaptiſtae, & Sociniani, Böhmiſtae, Quakeri, Fanatici & Democritus;* itemque *Oſiandriſtae,* qui per iuſtitiam Chriſti & DEI eſſentialem, quatenus in nobis habitet, iuſtificari dicunt, quique ob inhaerentem, iuſtificari hominem putant. Probant quidem 1) Pſalm. VII. 9. Sed Reſp. diſting. inter iuſtitiam *cauſae & perſonae.* 2) Eſ. XXXVIII. 3. Sed de liberatione ex morbo, non de iuſtificatione locus agit, 3) 1. Ioh. III. 7. Reſp. non de *cauſa* iuſtificationis *formali* agit, ſed de eo, qui eſt iuſtus. 4) Iuſtitiam Chriſti, iuſtificationis noſtrae cauſſam efficientem, non formalem eſſe. Sed non loquimur de forma iuſti hominis, ſed iuſtificationis. 5) 2. Cor. VI. 14. Sed prohibet communionem tantum cum hominibus iniuſtis Paullus, non vero actuum diuinorum ordinem explanat. 6) Rom. VIII. 29. ſeqq. Tit. III. 5. 6. 7. Sed ita vocatio ſanctificationi etiam eſſet poſtponenda. 7) Matth. XXV. 35. ſeqq.

vbi

vbi sanctitas vitae adducitur. Resp. γαρ non est causale, neque reliqua vt causae adducuntur, sed vt signa fidei. 8) Matth. VII. 21. Resp. *qui* facit, non *quia* facit. Conf. Ioh. VI. 40. 9) Gal. VI. 15. De *iustificatis iam* loquitur Apostolus; per fidem enim noua creatura reddimur.

§ 890. Per imputatam itaque si iustificamur (§. pr.), vel per hominis, vel alius creaturae, vel DEI aut Christi essentialem, vel per meritum Christi eiusque ἱλασμον, adeoque per fidem. Quum O. peccatis laboret homo (§. 354. 371.); per principium reductionis in eodem nobiscum statu sunt omnes; per quos nulla nobis nasci potest iustificatio (§. pr.). Alia, etiamsi sanctissima, quia ad DEI leges seruandas pro se iam est obstricta, nihil mereri, adeoque nec eius iustitia imputari nobis potest (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Si per DEI aut Christi *essentialem*, quae ipsi scilicet vt DEO, tanquam attributum competit; incarnatio Christi non solum minus necessaria, sed & superflua dicenda esset omnino, quod absurdum (§. 581.). Remanet ergo sola Christi *acquisita*, seu meritum eiusque ἱλασμος. Sed cum haec, iustitia sit aliena, non nostra; nostra fieri debet; quod quum fiat per fidem (§. 816.); hominem per *fidem* iustificari patet.

Act.

Act. XIII. 38. seqq. Rom. III. 26. seqq. IV. tot. 1. Cor. I. 30. Gal. II. 16. III. 11. 24. Phil. III. 9. Verum vel *sola* fides iustificat hominem; vel legis opera vna cum fide; vel contritio vel poenitentia; vel bona opera. Non haec; quia non solum imperfecta (§. pr.); sed & in ipsa iustificatione superflua, siquidem Christus ex asse iam DEO fecit satis, obedientia etiam, quam fide apprehendimus, actiua (§. 685.). Si poenitentia ad iustificationem faciat; fidem intelligis vna cum contritione (§. 882.). Verum quia iustitia Christi nobis propria fieri non potest, nisi per fidem (§. 816.); contritio vero a fide est diuersa (§. 875.); neque per poenitentiam; neque per contritionem iustificari homo potest. Et quum nostra legis opera, satisfactioni actiuae a Christo praestitae robur sic adderent atque pondus; adeoque nec sufficiens esset, quae tamen admitti nullo possunt modo (§. 672.); legis (de operum lege loquimur) opera vna cum fide nos iustificare, concedi non potest. Ergo iustificamur *sola* fide; quo itaque particulae illae EX, PER, ἐπὶ fide etc. pertinent. Rom. III. 23-28. IV. 5. Phil. III. 9. Gal. II. 36. (εἰ μὴ) Eph. II. 8. 16. Remotis ergo omnibus, quae fingi etiam possunt, membris & exclusis; particula illa exclusiua ex indole linguae addi omni iure

potest,

poteſt, ita vt nec *Luthero*, qui, etſi in Graeco non occurrat, verſioni ſuae adiecit; nec nobis (qui itaque nomen *Solifidianorum* inane & irriſum non meremur) vitio verti poterit. Sed ita gratiae DEI affectiuae & ordinatae, a qua omnis noſtra ſalus adeoque & iuſtificatio pendet Rom. III. 24. Eph. II. 4. ſeqq. Tit. III. 4. nos contradicere dicis. Reſpondemus autem negando; ſi modo diſtinguas, inter *cauſam impulſiuam internam*, quae gratia illa DEI; & *externam*, eamque *principalem*, quae Meritum Chriſti eiusque ἱλασμος Rom. III. 23. ſeqq. 2. Cor. V. vlt. Ieſ. XLV. 24. Ier. XXIII. 6. 1. Cor. I. 20. & *minus principalem*, quae etiam *inſtrumentalis moralis* dici poſſet, & *ſola*, ex *noſtra parte* (non excluſis gratia DEI & Euangelii Organo adplicante) *fides*. Omnia vero haec his inſigniri nominibus poſſe, cum quae iam declarauimus, tum ipſae veritates Ontologicae, quae & ſimul probant medium eſſe fidem ληπτικον Ioh. I. 12. Act. X. 43. Rom. V. 17. Gal. III. 14. Media vero δοτικα, ſunt Verbum Euangelii & Sacramenta, de quibus infra 2. Cor. V. 19. Gal. III. 27. Errant ergo 1) *Pontificii*, qui a) *gratiam infuſam* & qualitatis inſtar nobis *inhaerentem*, non vero gratuitum DEI extra nos fauorem, iuſtificantem gratiam eſſe affirmant, & probant: 1) Eph. IV. 7. Reſp. non de

de *iustificatione*, sed de donis Sp. S. sanctificantibus & ministrantibus est sermo. 2) Rom. V. 5. beneuolentia enim in DEO est, non in cordibus. Resp. dist. inter *infusam* & *diffusam*, largissime scilicet declaratam. b) Si iustificare fidem per modum instrumenti aut medii, negant. Probant quidem 1) si instrumentaliter iustificat; iustificat vt opus. Sed disting. inter instrumentum *actiuum*, quod non est; & *receptiuum*. 2) Adprehensio meriti Christi, est *actio*, non passio. Verum disting. inter actum actiuum & receptiv.; vnde recte cum manu mendici eleemosynam, ore aegroti medicamentum, cum speculo, imaginem *passiue* recipiente, illustrant Theologi. c) Si fidem *solam* vt medium Christi meritum apprehendens, negant, & probant 1) exemplo Abrahami, qui & *operibus* & *fide* est iustificatus. Iac. II. 21. Sed disting. inter iustificationem coram DEO, & inter ostensionem fidei coram hominibus; dum Apostolus commat. 14. de externa fidei professione loquitur. 2) Solam fidem rem esse mortuam. Negatur (§. 827.). 3) Quia fides nunquam est sola. Sed disting. inter fidei existentiam, & officium seu ἐνεργειαν & vim iustificam. 4) Gal. V. 6. ergo non est sola. Sed dist. inter fidem in iustificatione, & sanctificatione, de qua Apostolus, spectatam. 5) Quia fides

fides est virtus, adeoque bonum opus. Verum fides, absolute & per se vt virtus non iustificat, sed propter Christum, vid. similia sub b) 2). 6) poenitentia iustificat, Act. III. 19. quae tamen non sola fides (§. 882.). Sed contritio est necessaria, non necessitate medii, sed ordinis (§. 877.). 7) 1. Ioh. III. 7. Sed disting. inter *subiectum* iustificationis, & *causam impulsiuam minus principalem*, de qua hic non sermo. Vid. *Luther.* vom Dollmatschen T. V. Ien. p. 140. seqq. Ita enim & Patres ecclesiae sunt loquuti e. g. *Ambrosius, Iustinus Martyr, Clem. Alex. Athanasius, Basilius.* Vid. *Hebenstreit* Syst. Part. III. p. 1158. Errat etiam II) *ecclesia Graeca*, quae per poenitentiam, nobis iustificationem obtingere, & non sine operibus, putat (conf. *Metrophanes* C. VI. & *Iavorskius*) & probat 1) quia in peccatis perseuerantibus venia non est promissa; sed tantum virtuti studentibus. Sed dist. inter *statum personae iustificandae*, & *causam* ipsius iustificationis *genuinam*. 2) Per poenitentiam nos accedere ad Christum, vt iustificemur. Sed concedimus totum. De impietate, cui latam nos aperire portam, quod *Iavorskius* & *Pontificii* vrgent, infra sumus dicturi. Errant etiam III) *Sociniani*, qui *intern.* tantum *caus. impuls.* admittunt, *externam* vero reiiciunt, nullamque Christi iustitiam ac satis-

satisfactionem necessariam putant. *Catech. Rac.* C. XI. Q. II. seqq. Probant 1) DEVM ad solam resipiscentiam respicere. Neg. vid. Ebr. IX. 22. Matth. XXVI. 28. 2) Abelem, Henochum aliosque ante legem iustos fuisse citra *satisfactionem Christi*. Resp. Neg. aderant enim Proteuangelium, & sacrificiorum typi. 3) Luc. I. 77. 78. Sed misericordia DEI in Christi merito fundatur. Eph. II. 5. 7. 4) Matth. XVIII. 27. vbi remissio sine satisfactione. Resp. *rem*, non rei *modum* parabola docet. Errant denique IV) & *Remonstrantes*, qui opera *simul* includunt. *Epis. Opp.* f. 166. b. & probant 1) DEVM, in iustificatione fidem, non vt *mortuam*, sed *viuam*, spectare. Dist. inter vitam fidei *essentialem* & *consecutiuam*. 2) Incredulitatem damnare vt opus; ergo fidem etiam vt opus saluare Ioh. III. 19. Resp. damnat non vt *opus*, sed vt *obstaculum* 3) in iudicio extremo secundum opera administratum iri iustitiam. Matth. XXV. 35. Rom. II. 3. seqq. 2. Cor. V. 10. Dist. inter *secundum* opera sententiam ferre, & *propter* opera; seu inter *respectum causalem & normalem*. 4) Quod fidei tribuitur, idem Gal. IV. 14. 1. Cor. VII. 19. nouae creaturae atque obseruationi praeceptorum DEI adscribi. Resp. *iisdem* quidem *verbis*, sed non *eodem scopo*: de diuerso enim argumento loquitur Apostolus.

§. 891. Fidem ergo si §. pr. iustificare dicimus, quae adprehensio est meriti Christi (§. 816.), veram, a qua opera bona separari non possunt (§. 827.) intelligimus; dum mortua & spuria Christum non adprehendit (§. 831.). Recte ergo, fidem, *quae* cum studio bonorum Operum coniuncta & *viua* est, iustificare, S. Scr. consentiente, statuunt Theologi Viri. Gal. V. 6. Quoniam vero bona opera in iustificatione excluduntur (§. pr.); fidem, *quatenus* cum bonis operibus est coniuncta, & *viua*, non iustificare patet. Hinc quaestionem, an bona opera in iustificatione sint praesentia, *efficaciter*; an *nude*? facile intelligere poteris. *Efficaciter* scilicet *adsunt*, si DEVM, vt hominem iustificet, mouent; *nuda* vero eorum in iustificatione *praesentia* adest, si adsunt quidem, sed DEVM non mouent. Efficacem, qui, quae §. pr. & iam dicta, considerabit, adsumere poterit nemo. Nudam vero, quia fides vera, quae in iustificatione attenditur (per ant. h. §.), bona opera necessario producit (§. 827.), de *statu*, si tibi sit sermo, negare certe non poteris. Alia vero quaestio, an etiam, si pro *actu* iustificatio sumatur, nuda adsit eorum praesentia? moueri solet. Ad hanc vt respondeamus, naturam fidei considerabimus. Fides sc. B. O. producit, quae adeo essentialia sunt fidei consecutiua (§. 827.),

adeo-

adeoque nec a fide diuelli possunt (§. 54. Log.); sed necessario cum ea sunt coniuncta. Quoniam vero per fidem iustificamur (§. pr.); quam primum homo fide praeditus est; existit etiam iustificatio. Facile igitur fieri potest, vt *externa* in ipso iustificationis actu & momento peragere, ob loci occasionisque defectum, non possit. *Interna* ergo, dilectio DEI e. g. & proximi, & *actualiter*, & si mauis, *potentialiter*, si alia fortassis in mente simul oritur cogitatio, adesse possunt; quibus distinctionibus tota solui quaestio posse videtur; praecipue si aliam addis, inter *actum* iustificationis, aut *primam* scil., qua homo peccator, sed iam fide praeditus iustus a DEO declaratur, & secundam, seu *continuatam* seu *statum*, quae conseruatio est hominis in iustificationis relatione. Apoc. XXII. 11. Ex Rom. III. 28. & IV. 5. praesentia illa negari non potest, siquidem in priori, *legis opus* ad praedicatum refert; in posteriori vero de operibus ante fidem, loquitur Apostolus. Quum itaque veram viuamque necessario in iustificatione requiramus fidem (per ant.); imputata Christi iustitia ad pietatem omnis fuci expertem ducit, vt hac ratione *Iavorskii*, aliorumque de lata peccatorum porta §. pr. dubium tollatur. Rom. VI. 1. seqq. Act. XV. 5. seqq. 2. Cor. V. 14. seqq.

§. 892. Homo ergo iustificatus per fidem (§. 890. seqq.), & passiuam & actiuam Christi satisfactionem & obedientiam, suam facit (§. 888.), & a DEO pro iusto deputatur (§. 889.). Ergo *iustitia* praeditus est *imputata* quidem (§. 889.), sed coram DEO tamen valente. Fides autem cum ad Euangelium pertineat; *euangelica* recte dici potest; vnde status gratiae, vi *pacti* diuini resultat (§. 455.). *Terminus* ergo iustificationis *ad quem*, est iustitia illa, Christi sanguine & vita parta. Rom. V. 9. 15. 19. 2. Cor. V. 21. Rom. IX. 30. X. 3. Psalm. XXII. vlt. Gal. III. 18. Et quum iustus nec vlla poena dignus (quae relatio *reatus* dicitur), nec ea adficiendus est (§. 288.); per iustificationem a *poena*, damnationis etiam, liberatur; cui statui ante iustificationem est subiectus, & *irae* nominatur; status ergo, Reatus irae (culpae & poenae) peccatoris, iam ab eo (peccatore) per iudicem benignum tollendus, *terminus a quo* adpellari potest. Eph. II. 3. 2. Sam. XII. 57. Rom. III. 22. seqq. Col. II. 13. Psalm. XXXII. 2. seqq. Homo ergo viator, peccator, sed *conuersus*, atque Christi particeps factus, *subiectum*, seu *obiectum personale* iustificationis, dici meretur. Rom. IV. 4. VIII. 1. Act. XXVI. 18. Ebr. III. 14. 1. Cor. I. 9. 30. Etsi vero homo *beate mortuus* a peccato iustificatus dicatur, & in

& in extremo iudicio, quam *tertiam iuſtificationem* alii dicunt Matth. XXV. abſoluatur Rom. VI. 7; ſenſu tamen id fit laxiori. Hinc quia in V. T. viuentes, eandem nobiscum reſpectu ſtatus irae & gratiae relationem habuerunt; & illi hoc modo ſubiectum iuſtificationis, adduci poſſunt. Errant ergo 1. *Cocceiani*, qui inter peccatorum παρεσιν ſub V. T. & peccatorum αφεσιν ſub N. T. diſtinguunt. Rom. III. 25. IV. 7. Errant etiam II. *Sociniani*, qui ſub V. T. homines absque fide in Chriſtum venturum, nec ex foedere Euangelico, fuiſſe iuſtificatos; ſed & in altera vita demum fore homines proprie iuſtificandos dicunt. Act. X. 43. XV. 11. Probant quidem 1) ſatisfactio Chriſti in V. T. nondum fuit praeſtita; ſed praeſtita *quoad valorem vniuerſalem* non ſolum; ſed etiam Patribus praedicta Gen. III. 15. Act. III. 20. 2) Rom. III. 21. Gal. III. 23. quae ſupra confutauimus.

§. 893. Per iuſtificationem homo liber eſt a poena, etiam damnationis (§. pr.). Ergo DEVS peccata, quae in ſtatu irae ipſi iure imputantur, non imputare poteſt ad poenam. Haec vero non-imputatio peccatorum ad poenam, *remiſſio peccatorum* audit. DEVS ergo per iuſtificationem remittit peccata. *Forma* ergo ſeu *cauſſa formalis*

iustificationis recte remissio peccatorum statuitur. Hinc *non-imputatio* dicitur Ps. XXXII. 1. seqq. CIII. 12. Mich. VII. 49. Es. XXXVIII. 17. Ez. XVIII. 22. ΑΦΕΣΙΣ *plena* O. Peccatorum, tam *Originalis* ergo, quam non-connatorum, Col. II. 13. 1. Ioh. I. 7. 9. *Absolutio*, cum *fundamento*, *imputatione Iustitiae Christi* (tam vera, quam nostra peccata Christo imputata 2. Cor. V. vlt.) natura priori, & forma h. m. iusti, in progressu toto iustificationis euangelicae indiuulso nexu coniuncta, Rom. III. 23. seqq. IV. 5. seqq. VIII. 33. vbi condemnationi opponitur Act. XIII. 39. Luc. I. 29. Quia enim pro iustis declarari non possumus, nisi nobis iustitia Christi imputatur (§. 890.); ideo imputationem hancce recte *fundamentum* iustificationis diximus (§. 58. Ont.). Hinc etiam est videre, cur duos alii iustificationis actus statuant; *priuatiuum* scil. remissionem peccatorum; & *positiuum*, imputationem iustitiae Christi. Hi enim de *toto iustificationis actu* loquuntur, non praecise de ipsius forma; aliud etiam est *forma hominis iusti*; aliud *iustificationis*.

§. 894. Forma itaque cum in remissione peccatorum consistit (§. pr.); in iustificatione reatus culpae & poenae quidem, sed non stirps Peccatorum P. scilicet O. quod fun-

funditus tolli nequit (§. 368.), exstirpatur. 1. Ioh. I. 8. Matth. VI. 12. Non enim 1) per iustificationem *in genere* peccata exstirpari (§. pr.); sed tantum non-imputationem ad *poenam*, diximus. Quodsi porro omnia hoc in statu cessarent; 2) nullus hominum iustificatum se dicere posset, dum 3) omnes, quod experientia probat, peccata committunt quotidie. Male ergo *Pontificii*, Peccatorum exstirpationem defendunt, ducti ex male intellectis locis. Ps. LI. 4. Es. XLIV. 22. Ezech. XXXVI. 25. Mutatio ergo, quia ad poenam est non-imputatio (§. pr.); *extrinseca* est, ratione *status* in homine iustificato, sed non *interna*, quae per conuersionem fit *ante* iustificationem, & *post* eam in sanctificatione seu renouatione continuatur, quod ex Act. XXVI. 18. & Cap. de *Renouat.* claret. Nihil enim *in* homine realiter producitur, sed noua eaque a priori diuersa, quae adeo in re ipsa tanquam entia realia non existunt (§. 61. Log.), *relatione*, DEI respectu, censetur dignus.

§. 895. Iustificato ergo cum iam remissa sint peccata (§. 893.); non opus est, vt specialis declaratio seu annunciatio iustificationis ad iustificatum accedat; quae *absolutio* dicitur. Quoniam vero exempla

absolutionis in codice S. occurrunt; 2. Sam. XII. 13. Matth. IX. 2. Luc. VII. 48. & de hac re paucis est agendum. Ex definitione autem, neminem nisi iustificatum absolui posse, patet. Frustra enim, quia falsa alias (§. 174. Log.), annunciatur, nec eam sibi talis adplicari potest. Quodsi absolutio procedit auctoritate propria, *principalis*; si aliena, *ministerialis* vocatur. DEVS ergo & *Christus* (§. 100.), qui causa iustificationis efficiens (§. 889.), principaliter & *solus* absoluit Iac. IV. 12. Homines vero ministerialiter. Sed DEVS hodie, quia miraculis saepius iteratis non vtitur (§. 122. Th. N.), vel neminem; vel si absoluit, medium adhibet. Quodsi itaque Script. euoluamus; in ea, variis modis propositiones deprehendimus vniuersales, huius tenoris: *Q. credit in Christum, ei remissa sunt peccata,* adeoque *est iustificatus* (§. 893.). Hinc si vere credens subsumit: *tu credis in Christum;* conclusio: ergo *es iustificatus,* verbum DEI est (§. 92. Prol.), DEVMque *hoc modo* hominem absoluere, claret. Ministris autem hoc in negotio quoque vti, & vti posse, ex definitione non absolutionis tantum, sed ex Dan. XII. 3. vbi verbi diuini Ministri מצדיקי הרבים vocantur, quoque patet; de qua tamen infra. Hoc solum hic adnoto: ecclesiae ministros non nisi

hypo-

hypothetice, seu conditione adiecta: *si credat homo*, absoluere posse; minime vero *absolute*, seu sine illa. Quoniam enim homines, & sic etiam ecclesiae ministri, ob finitudinem non sunt omniscii; de vera alterius in Christum fide certi esse non possunt; adeoque non absoluta, horum respectu, sed hypothetica, locum absolutio habet; etsi, vt expressis semper *conditio* verbis ob conscientiae, quae facile inde oriri possunt, dubia, addatur, non sit necesse; quae tamen in publico coetu, quia bonis mixti mali sunt, ad conscientiae terrorem excitandum, salutariter retineri potest. Contra quia DEVS & Christus omniscius est (§. 43. 100.); adeoque qui vere credit, certissime cognoscit; absolute absoluere posse, non est dubium. Quamuis vero hypothetice tantum ecclesiae ministros absoluere docuerimus; non tamen eorum absolutionem, cum ex parte DEI, tum hominis, qui absoluitur, efficacem negamus. DEVM enim hominem reuera iustificare, abunde iam demonstrauimus. Hominis ergo absolutio in iudicio diuino, quia cum re ipsa conuenit, adeoque vera est (§. 174. Log.), quoque valet, eamque adprobat, quae ideo *efficax ex parte* DEI nominari recte potest. Ioh. XX. 23. Matth. XVI. 19. *Ex parte* vero *hominis*, qui absoluitur, quia status gratiae,

terminus iustificationis ad quem est (§. 893.), *efficax* dici meretur, si gratiae effectus, in se sentiat.

§. 896. Absolutioni §. pr. descriptae opponitur Ioh. XX. 23. *retentio peccatorum*, quae annunciatio seu declaratio specialis est de non-remissione ad non credentes. Quae ergo de absolutione diximus, mutatis per oppositionem mutandis, de retentione peccatorum valent; vt adeo aliquid in specie de ea addere, non sit necesse.

§. 897. Vere in Christum credens, iustificatur (§. 893.); adeoque aeternae iam particeps fit salutis (§. 288.). Rom. V. 9. VIII. 30. Quum itaque hoc ex iustificatione tanquam effectus sequatur (§. 1. Ont.); recte ad finem, fructus & consequentia iustificationis pertinere censetur. Verum ob fidem homo iustificatur (§. 890.). Ergo quia fidei suae certus esse potest (§. 830.); certus etiam fieri valet de sua iustificatione & salute. Sed non potest esse, nisi mediante syllogismo (§. 895.) proposito, cuius maior est Spiritus S. qui adeo, posita de fide propria conuictione, per testimonium suum, promissionumque certitudinem, certum hominem quoque reddit. Vt de confirmatione per Sacramenta, singulis

vere

vere credentibus, diuerso licet gradu facta, effectuumque sensatione (§. 895.), nihil dicam. Zach. III. 9. seqq. Rom. V. 1. VIII. 10. 28. 2. Cor. XIII. 5. 1. Ioh. III. 14. Errant ergo *Pontificii*, qui: *Nullus scire valet, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam* DEI *esse consecutum*, Sess. VI. *Concil. Trident.* decernere non erubescunt. Probant quidem 1) Ecclesiast. IX. 1. 2. Resp. disting. inter ignorantiam amoris & odii *absolutam*, de qua non sermo, & respectiuam, ex euentibus scilicet externis. 2) Prou. XX. 9. Sed dist. inter munditiem inhaerentem, & imputatam. 3) Ps. XIX. 13. 1. Cor. IV. 4. Iac. IV. 20. Disting. vero inter imperfectionem iustitiae inhaerentis & imputatae. 4) Ioel II. 4. Ion. III. 9. Dan. IV. 24. Dist. inter remissionem peccatorum & castigationis temporalis ablationem. 5) Phil. II. 14. Sed dist. inter timorem seruilem & filialem. 6) Iactata nostra est fiducia, paritque superbiam. Neg. praefidentia autem, si qua est, non est vera fides; contrariumque ex (§. 893.) elucet. 7) Infirmitas nostra obstat iustificationis certitudini. Resp. neg. fiduciam enim non quaerimus ex lege, sed fide in Christum; nec eam habemus in nobis, sed in DEO.

§. 898. Homo igitur si de salute iustificatio-

cationeque sua certus est (§. pr.); se non amplius sub *condemnatione*, quo in statu pro iniusto a DEO deputatur, esse, certissime perspicit. Rom. VIII. 1. Cessant ergo in eo, morsus angoresque conscientiae, ex peccatis eorumque poenarum repraesentatione & metu in poenitentia orti (§. 875.). 1. Ioh. III. 19. 20. Cessatio vero angorum conscientiae, vocatur illius *quies*; per iustificationem ergo conscientiae quies restituitur. Rom. XIV. 17. Quum vero status, quo quis alterius felicitatem promouere, *amicitia*; &, quo nemo alterum imperfectum reddere studet, *pax* dicatur; per iustificationem *conscientiae* non solum, sed & inter DEVM & hominem, pacem oriri, clarissime sic euincitur. Rom. V. 1. XIV. 17. & loc. §. pr. citt. Ergo conscientiae pax, & quae DEVM inter & hominem nascitur, inter fructus, consequentiaque iustificationis seu effectus, haberi potest (§. 1. Ont.); quae quia fide nititur, haec vero satisfactione actiua Christi & passiua (§. 816.); pacem conscientiae, quamque cum DEO colimus, nisi in Christum credat, obtinere posse neminem, Christumque nobis eam acquisiuisse, patet. Eph. II. 14. Col. I. 10. 11. Sed acquisiuit nobis eam ob foedus, quod pepigit, gratiae (§. 433.); recte hinc illud, *foedus pacis* (§. 433.), & DEVS Pater, qui primus

primus est ordine etiam in operando, foederis etiam huius respectu (§. 128.), DEVS & *Dominus pacis* adpellatur. Rom. XV. 33. 1.Cor.XIV.33. Phil. IV. 7. 9. 1.Thess. V. 23. Quum vero ratio sibi relicta, neque de foedere illo, neque de iustificatione, & fide, qua illa nititur (§. 890.), neque de effectibus, gratisque ex pace illa ortis sensationibus, neque de vita altera, quae vltimus est pacis illius effectus, scite & accurate cognitionem instituere potest 1. Cor. II. 9; pacem illam ratione *sola intelligere* non valemus. Phil. IV. 7. Ex amicitiae porro, quam dedimus, collata simul iustificationis notione, *amicitiam* etiam ex iustificatione resultantem, cognoscere licebit. Nam quia DEVS bonus, immo optimus, non amplius, quo minus se cum iustificato coniungat, impeditur (§. 61.); hinc perfectiones illi, quotquot pro suo statu sunt possibiles, concedat, est necesse (§. 150. Th. N.); iustificatus vero, ob fidei vitam, DEI gloriam promouere conatur (§. 827.). Quis vero amicitiam DEVM inter atque hominem intercedere, effectuumque iustificationis esse (§. 1. Ont.), hac ratione negabit? Iac. II. 20. Gen. XV. 6. Iesa. XLI. 8. 2. Chron. XX. 7. Ex qua nostra, cum DEO amicitia, efficitur quoque, vt non fiduciam solum in eius auxilio collocare, sed &

omnia

omnia bona ab ipso exspectare, rationesque nostras omnes commendare; &, quia amicus preces nostras exaudit; precum exauditionem certissimam sperare queamus, & quae sunt alia, quae ex amicitiae notione deduci possent (§. 232. seqq. Eth.). Nonne vero & haec inter fructus iustificationis sunt referenda (§. 1. Ont.)? Eph. III. 2. 1. Ioh. III. 21. seqq. 1. Pet. V. 7.

§. 899. Referunt etiam ad effecta, & fructus iustificationis, adoptionem in filios DEI, praeeunte Sc. S. Gal. IV. 5. Eph. I. 5. Equidem iam per creationem filii sumus DEI (§. 184.), nec non per regenerationem Ioh. I. 12. Nam vitam spiritualem in regeneratione, hominibus concedit DEVS, mediante semine, verbo diuino. 1. Pet. I. 23. Qui vero hoc facit, *Pater* alterius, adeoque & DEVS, (vt caussa regenerationis efficiens §. 853.), statui Pater potest spiritualis. Pater vero & filius sunt correlata (§. 58. Log.); ergo per regenerationem erimus DEI filii. 2. Cor. VI. 17. 18. Gal. III. 26. Et quia omnes regeniti eodem gaudent Patre; qui *fratres* vel *sorores* dicuntur; cognatio datur regenitorum, minime neganda. Rom. I. 13. VII. 1. 4. XIV. 10-21. Nihilominus tamen hoc quidam negare videntur. Ita enim *Danhauerus* in Hodosoph. p. 924.

p. 924. *Ante iustificationem nemo dicitur filius* DEI, *sed in ipsa iustificatione ad tantam sortem homo assurgit.* Sic *Hollazius* in Exam: per regenerationem conceditur ἐξουσια ius & potestas, vt fiamus filii DEI Ioh. I. 12. sed mediante iustificatione, actu sumus filii DEI. Et *Baierus* in comp: vi regenerationis nascimur filii DEI; renati autem, & remissis peccatis adoptamur *in filios* DEI, *aut ius filiorum* DEI *adoptione consequimur. Quod est* την υιοθεσιαν λαβειν Gal. IV. 5. Ex quo filios, in *natos*, & adoptatos distinguere possumus, ita vt triplicem in DEO paternitatem statuere queamus, per *creationem, regenerationem, & adoptionem.* Adoptati certe negari non possunt, dum ll. citt. filios, iam seruis, ex Romanorum consuetudine & more opponit Apostolus; id quod sine ratione non ponit Scriptura. Miserrimum enim ex comparatione seruorum cum Romanorum, tum Graecorum, nostrum describere, nobisque ante oculos ponere statum, sanctus intendit Spiritus. Illi enim nec caput habebant, nec personae habebantur. Nihil habebant proprii, rebusque tantum, quae in nostra potestate liberrima, aequiparabantur. Contra quot quantisque bonis beneficiisque mactatur iustificatus? Filius enim, quia iustificatio, declaratio est (§. 880.), per iustificationem, tantum filius est decla-

declaratus, adeoque adoptatus. Est enim *adoptio*, actio, qua homini, filio non nostro, iura filii concedimus. Recte ergo per iustificationem filius quis DEI fieri dicitur; sed *declaratus*, sed *adoptatus*. Qui vero per regenerationem accipit υιοθεσιαν, *renatus* dici posset filius, aut si mauis, *naturalis*, quo ipso Theologorum supra adductorum dissensus, tolli omnino potest. Deinde ex ipsa etiam adoptionis notione, & apud Romanos vsu, filiationem in regeneratione, qua liberi, qui *tantum* adoptari potuerunt, efficimur, praecedere debere, patet. Lib. I. Tit. XI. Init. de Adopt. §. 12. Vt adeo adoptio in filios DEI sit: actus DEI gratiosus, quo homini iustificato iura filii concedit. Ioh. I. 12. 13. Rom. VIII. 14-16. Gal. IV. 5. 6. 1. Ioh. III. 1. Sed est actio ad extra; tribus ergo personis est communis. Hinc *Patri* 1. Ioh. III. 1. *Filio*, qui causa etiam & recte quidem dici potest meritoria, (hinc caussae adoptionis impulsiuae eaedem sunt, quam iustficationis) (§. 890.) Gal. IV. 5. Eph. I. 5. Ioh. I. 12. & Sp. S. qui pignus & signaculum vocatur, Rom. VIII. 15. 16. Eph. IV. 30. adscribitur. Quoniam vero DEVS, noster est Pater; patris vero est liberos protegere & defendere, alere, curam gerere, castigare, ex angustiis liberare, seque iis manifestare (§. 304. seq. I. N.); ita

ita hoc & competit DEO. Gen. XV. 1. Es. XLI. 10. Luc. XI. 11. 13. Eph. I. 2. 3. Gen. XXXIV. 3. Iob. X. 8. seqq. Ps. I. 3. 6. XXXVII. 5. LV. 23. Matth. VI. 26. seqq. X. 30. 31. Ioh. X. Ebr. XII. 5. 6. 7. Ps. CIII. 13. Ephes. III. 12. Et quia filii adoptiui etiam haeredes sunt bonorum paternorum (Tit. eod.); ita etiam haeredes facit DEVS aeternae beatitudinis. Matth. XIX. 28. 29. XXV. 34. Rom. VIII. 17. Gal. III. 29. IV. 7. 30. Col. I. 12. III. 24. Ergo & *spes vitae aeternae* ad iustificationis fructus pertinet. Rom. V. 12. VIII. 17-25. Quodsi porro Sp. S. signaculum est adoptionis (per pr.); *donatio* Sp. S. quae hinc sequitur, etiam inter effecta, fructusque iustificationis referri potest; Gal. IV. 6. 7. 1. Cor. III. 16. nec non *rectio* ipsius: patris enim est, vt filios regat (§. 304. I. N.). Ps. LI. 13. 14. CXLIII. 10. Ioh. XIV. 26. XV. 26. Rom. VIII. 13-26. Gal. V. 16-25. Eph. IV. 30. Denique quia filius sequitur iura Patris (Tit. eod.); DEVS vero sit ens liberrimum, nemoque nisi homo liber adoptari potest (Tit. eod.); filiis etiam adoptatis libertatem concedere debet. Rom. VIII. 21. 2. Cor. III. 17. Gal. V. 1. Rom. VI. 18-22. Dicitur vero *libertas* haec spiritualis (§. 285.), *Christiana*. Sumus vero ante iustificationem & adoptionem, (qua, liberi, seruorum ceremonias legesque, dum

ſub nullius, niſi patris poteſtate erant, ſeruare non cogebantur) ſub poteſtate Satanae, & foedere operum, ſub quo & leges caeremoniales, & maledictio legis (§. 283.), nos premunt. Hinc *libertas Chriſtiana* eſt relatio, qua DEVS filios ſuos adoptatos, 1) a Dominio peccati, 2) maledictione legis, & 3) ſeruitute caeremoniarum liberat. Si vero a Dominio peccati liberi ſumus; liberati etiam ſumus a *poteſtate Satanae*, qui hanc, propter dominium peccati exercebat Luc. I. 74. Col. I. 13. Ebr. II. 14. 15. 1. Ioh. V. 18. immo & a *prauo & vano mundi Schemate* 2. Cor. VI. 14. 1. Petr. IV. 2. 3. 2. Petr. II. 19. 20. & a *mala conſcientia*. Ebr. IX. 13. 14. X. 22. Si vero liberati ſumus a maledictione legis; liberati etiam ſumus ab *ira* DEI & *condemnatione* Rom. V. 9. VIII. 1. 1. Theſſ. I. 10. & *ab aeterna morte* Hoſ. XIII. 14. Ioh. VIII. 51. 52. Ebr. II. 9. 2. Tim. I. 10. Denique ſi liberati ſumus a ſeruitute caeremoniarum; liberati etiam ſumus ab *autoritatis humanae iugo* VII. 15. Eph. V. 6. 1. Theſſ. V. 21. quo etiam pertinet *libertas in vſu rerum indifferentium* 1. Cor. III. 21. 22. Liberatio autem fit per Chriſtum; Chriſtus ergo eſt liberator. Ioh. VIII. 36. Attamen quia nemini ſcandalum eſt praebendum (§. 387.) ideo prudentia ſuadet, ne ſemper libertate noſtra vtamur, ſed cum Paulo

1. Cor.

1. Cor. X. 23. dicamus: *Omnia mihi licent, sed non omnia* respectu aliorum, in quorum damnum cedere possunt, *expediunt*. Rom. XIV. 15. 1. Cor. VIII. 11. 12. 13. Et hoc quidem fieri debet propter infirmos fratres, vti ll.cc. Apostolus dicit. Si autem sunt pertinaces, aut superstitiosi, & ingenia pharisaica; illis minime est cedendum, ne christiana libertas pessundetur Act. XVI. 3. Gal. II. 3. seqq. Porro quod antea fuit libertatis, fit per leges, *necessitatis* (per definit. legis). Ergo si ecclesiae minister, aut magistratus politicus quid praecipit, quod non est contra leges; libertas nostra cessat, obedientiaque est praestanda, 1. Cor. XIV. 40. Ebr. XIII. 17. Rom. XIII. 5. Differt ergo libertas christiana, a libertate *politica*, quae saepe a tyrannis opprimitur. Differt etiam a *licentia libertinorum*, quae mere est carnalis. Gal. V. 13. 1. Petr. II. 16. 2. Petr. II. 19.

§. 900. Iustificatus, praeditus est fide (§. 980.). Per fidem vero DEVS in homine peculiari operatur modo (§. 817.), adeoque etiam in iustificatione; quod non solum ex conscientiae quiete, pacis, amicitiaeque cum DEO sensu, & filiatione; sed ex eo etiam claret, si de iustificatione coram DEO hominem reddit certiorem, Sp. S. (§. pr.).

Vbi vero quis operatur, ibi etiam praesens est (§. 87.). DEVS ergo in homine iustificato, & quidem, quia non est compositum (§. 29.), *totus*, & *qua substantiam* praesens sit, necesse est. Haec vero operatio DEI & praesentia peculiaris, quoad substantiam suam in fidelibus, dicitur *vnio mystica* Ioh. XIV. 17-23. Hos. II. 19. Matth. XXVI. 1. seqq. 30. Ioh. VI. 37-48. seqq. cuius ergo existentia negari nequit. Duo ergo ad vnionem mysticam, *praesentia* & *operatio* requiruntur. DEVS vero est omnipraesens (§. 87.); ergo cum omnibus est vnitus, adeoque vnio adest (§. 56. Ont.), quae *generalis* dici potest. Act. XVII. 28. Ita etiam beatis in statu gloriae, aliquando quoad substantiam, praesens erit DEVS (§. 87.); adeoque vnio aderit (§. 56. Ont.) quae *gloriosa* nominatur. 1. Cor. XV. 28. Denique est etiam in statu gratiae in fidelibus praesens hac in vita, quae *gratiosa* seu *mystica* vocatur, nec sine ratione. Nullus enim de vnione hac in altero, esse potest certus (§. 830.), sed potius est occulta; ne de modo quid dicam occulto, omnibusque operationibus. Eph. V. 32. Quia vero ad vnionem mysticam pertinet operatio diuina; est actio DEI ad extra, tribus personis communis (§. 140.). Eph. I. 17. 22. 23. Ioh. XV. 5. 1. Cor. VI. 19. *Causa efficiens* ergo

est DEVS trinunus; ergo ob uirium defectum non est homo. Verum & diuina natura, cum Christi humana inseparabiliter est vnita (§. 622.), ideo etiam humana Christi natura, ad vnionem pertinet mysticam. *Forma* ergo consistit in reali coniunctione Trinitatis, & H. N. Christi, cum substantia fidelis. *Extrema* itaque seu *termini* vnionis huius sunt, ex vna parte, S.S. Trinitas 2. Petr. I. 4. itemque humana Christi natura Ioh. XV. 1. 2. 4. 1. Cor. VI. 15. 17. Eph. V. 30. ex altera autem parte, homo *iustificatus* seu *fidelis*, & quidem ob commercium mentem inter & corpus, corpore & anima, 1. Cor. VI. 15. 19. Eph. V. 30; qui sine fide iustificationem consequi non potest (§. 890.); hinc fides, *medium* huius *vnionis*, ex parte hominis recte statuitur, Ioh. VI. 5. 6. XIV. 23. Gal. II. 20. III. 26. seqq. Eph. III. 17. 1. Ioh. IV. 15. Et cum fides per verbum & sacramenta producatur (§. 853.); quae instrumenta sunt (si media adpellare velis non repugno); *causae instrumentales* sunt verbum Euangelium, & sacramenta Eph. V. 26. Gal. III. 27. 1. Cor. X. 16. 17. 2. Petr. I. 3. 4. quorum dispensatores ordinarie sunt verbi diuini ministri (§. 854.), hi ergo sunt *causae administrae* Eph. IV. 11. 13. 2. Cor. XI. 2. *meritoria* vero iustificationis causa est Christus (§. 890.). Ergo

etiam vnionis huius Eph. II. 20. II. 15. Quodsi ergo fides vnionis medium est; vnio mystica fit, quamprimum in homine fides producitur. Ergo statim incipit cum regeneratione, conuersione & iustificatione. Nostro tamen concipiendi modo, hae actiones priores sunt, vnio vero posterior.

§. 901. Quodsi itaque vnio mystica in reali coniunctione consistit (§. pr.); non in nuda operatione est quaerenda; aut in sensu inclinationum, quae *moralis*; neque in transubstantiatione, vt ex duabus rebus fit tertia; neque in coalitione vnitorum in vnam personam; & per consequens exulant propositiones personales, quae locum habebant in persona Christi (§. 632. seqq.) fidelis ergo dicere non potest: Ego *sum Christus*, vel *Christificatus*. Quia tam arcta reperitur quoad substantiam vnio (§. pr.), ab aliis vnio substantialis, quoniam extrema sunt substantiae, ab aliis spiritualis, quia a DEO tanquam spiritu procedit, vocatur. Hinc etiam scriptura: agglutinationem 1. Cor. VI. 17. Mansionem Christi in nobis Ioh. XIV. 23. Incorporationem Eph. III. 6. Inhabitationem Christi in cordibus nostris Eph. III. 17. vnionem membrorum & corporis, 1. Cor. XII. 12. 17. Rom. XII. 5. Col. I. 18. palmitis & vitis Ioh. XV. 5. adoptiui arboris & sur-

& surculi Rom. VI. 5. panis ex multis granis cocti 1. Cor. X. 17. lapidis angularis & aedificii Eph. II. 20-22. desponsationem fidelium; commestionem & bibitionem spiritualem Ioh. VI. 11-63. inuitionem Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. cum Christo Hos. II. 19-20. Coniugium ecclesiae & Christi mysticum. Eph. V. 24-25. Templum, 1. Cor. III. 16. 17. vocat. Quia DEVS in vnione hac operatur in homine (§. pr.); homo operationes hasce sentit (§. 10. Psych.). Per sensionem vero oritur & augetur experientia (§. 9. Log.) DEVS ergo auget hoc modo experientiam spiritualem in fide; adeoque fides hoc modo confirmatur Rom. VIII. 10. 11. 16. 26. 35. Ioh. VI. 14. 26. seqq. Experientia hominem alicuius rei certum reddit (§. 9. Log.), ergo vnio mystica, fidei, certum reddit. Porro in vnione mystica DEVS hominem amat, & homo DEVM vicissim, quia fidem habet (§. pr.). Qui alterum amat, ex eius felicitate, voluptatem, sicut ex infelicitate eius, dolorem percipit; quem adeo impedit, illam promouet (§. 128. Psych.). DEVS ergo & Christus cum hominibus, omnia sua beneficia communicat; contra, quae fidelibus obtingunt, Christus sibi tribuit. Zach. II. 8. Matth. X. 40. XXV. 35. seqq. 42. seqq. Luc. X. 16. Ioh. XIII. 10. Act. IX. 4. Col. I. 24. 1. Thess. IV. 8. Quia porro vnio

mystica non est in vno homine, sed in omnibus fidelibus (§. 899.) apud omnes augetur fides (§. pr.). Fides vero non est otiosa, sed per caritatem efficax. Vbi vero amor, ibi manet vnio (§. 113. Psych.) hinc etiam vnio fidelium inter se in fide & amore seu caritate oritur. Ioh. XVII. 20-33. Eph. IV. 11. seqq. Quia itaque, quae per vnionem mysticam producuntur in homine, bona sunt (§. pr.) bona autem voluptatem pariunt (§. 89. Psych.); vnio mystica cum voluptate est coniuncta. Iesa. LXI. 9. Ebr. VI. 5. Et quidem, quia sequitur fidem (§. pr.), vbi fides deficit; ibi esse non potest vnio mystica. Fides autem omittitur per peccata proaeretica (§. 829.), ergo vnio illa hoc casu desinit. Sed fides rursus produci in homine potest (§. 829.), ergo etiam vnio illa.

§. 902. Vnio mystica cum voluptate est coniuncta (§. pr.), quae *laetitia spiritualis* dicitur. Datur ergo laetitia spiritualis Neh. VIII. 10. Ps. II. 11. IV. 8. LI. 10. 14. Matth. V. 12. Luc. I. 47. II. 10. Ioh. XV. 11. XVI. 20-22. Act. V. 41. XVI. 34. Rom. XIV. 17. XV. 13. 2. Cor. VI. 10. XIII. 11. Gal. V. 22. In laetitia est voluptatum praedominium insigne, ita vt bona illa sentiamus (§. 10. Psych.). Ergo & in laetitia spiri-

ſpirituali. Hinc in laetitia hac, ſenſus atque guſtus eſt bonorum ſpiritualium (§. 143. Prol.) Rom. V. 5. Ebr. VI. 4. 1. Petr. II. 3.

§. 903. Quodſi ergo ex vnione hac, gaudium oritur (§. pr.); modo id oriri non poteſt alio, quam, quia DEVM cognoſcit Patrem iam (§. 898.) atque amicum (§. 899.) quem ea propter diligit ardentiſſime (§. 113. Pſych.). Quum vero in vita aliquando aeterna, eadem ſentiat homo (§. 147. ſeqq. Th. N.); ante iam, quam ipſa beatitudine fruitur, ſalutis aeternae bona percipit; quae cum *vitae aeternae praeguſtus*, ex ipſa vocabulorum notione, dicatur perceptio; praeguſtum negare hunc poterit nemo. Ebr. VI. 4. 5. Nititur ergo de quo hic loquimur praeguſtus, vnione myſtica (§. pr.); cuius ratio, eſt fides (§. 900.). Praeguſtus ergo huius eadem media, cauſa impulſiua, & efficiens eadem, quam fidei, recte ſtatuuntur. Fides vero in regenito deprehenditur, & iuſtificato (§. 788. 890.). Praeguſtum ergo, niſi regenitus & iuſtificatus, qui ergo, *ſubiectum*, ſentire poterit nemo, Ebr. VI. 4.

§. 904. Vitae ergo praeguſtus aeternae, neceſſario cum regeneratione & iuſtificatione eſt coniunctus, adeoque *ordinarius*, recte dici

potest. Quodsi vero quibusdam contingeret talis praegustus alio modo, *extraordinarium* vocare valemus; qualem 2. Cor. XII. 4. Act. VII. 55. 56. Matth. XVII. 1. seqq. deprehendimus; qui, quia immediate a DEO excitabatur, ab eo, qui per facultatem fingendi (§. 20. Psych.), in mente, quorum exempla adducuntur nonnulla, oritur, est diuersus. Si enim dicendum, quod res est, ex variis illorum, quae ex diuinis de vita aeterna, singularibus, didicere paginis, mediante illa facultate, anima componit, minime tamen, ex scriptura quia originem trahunt, damnanda. Num vero beatificam habuerint illi DEI visionem, quia ex immediata cum DEO relatione oritur (§. 148. Th. N.), certe affirmare non possumus. 1. Cor. XIII. 10. 12. 1. Ioh. III. 2.

§. 905. Etsi vero tot tantaque instificatis concedat beneficia DEVS (§. 897-905.); non tamen ab omnibus, etiam *physicis* liberare eos studet, quod experientia quoque probat, malis. Nam quia impiis etiam septi sunt quam plurimis, omni qui modo pios infectantur, quos iniustis, quibus possent, non depellunt mediis; aliter certe fieri nequit, quam vt illorum machinationes sentire atque pati cogantur. Et quia P. etiam adhuc, quamdiu huius vitae vestigia pre-

premunt O. laborant (§. 370.), ex quo tanquam fonte, peccata propullulare solent non-connata (§. 375.), variis, in bono, ipsis, remoram iniicientia modis; peccata illa, concupiscentiamque supprimere laborat DEVS, Psal. CXIX. 67-75. 1. Petr. IV. 1-6. Quoniam vero bona opera necessario producit fides (§. 827.); non virtutes eorum solum hoc modo euadunt clariores, & fides & vita spiritualis 1. Petr. I. 6. 7. V. 6. 7. Rom. V. 3. 4. Iac. I. 3. 4. 2. Cor. IV. 9. seqq. sed &, dum in virtutibus hoc modo crescunt Ebr. XII. 10. 11. & ipsorum 1. Petr. IV. 12. seqq. & DEI gloria iisdem promouetur (§. 29. Ph. Pr. Vn.). 1. Petr. I. 6. 7. Interim cum nulla iustificati poena sunt afficiendi (§. 894.); omnia illa, quae DEO permittente ipsis infliguntur, mala physica, ad poenarum non pertinent classem; sed *crucis* nomine, Script. praeeunte, venire solent. Matth. X. 38. XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. IX. 23. Cruce ergo adficiendus, nisi regenitus, dici potest nemo; in irregenitis enim sunt mala illa, *poenae*. Et quia cruce, ad iustificatorum gloriam perfectionemque vtitur DEVS (per antec.); mala vero physica, ad perfectionem cui immissa, *castigationes*, quia Patris est, qui DEVS est iustificatis (§. 899.) dicuntur *paternae*; crux nil aliud, quam castigatio est paterna. Qui alterum perfectum serio red-

reddere ſtudet, eum amat (§. 113. Pſych.). Crux ergo amoris diuini eſt ſignum; adeoque bonum, non malum aut tantum adparens (§. 90. Pſych.). Bonum excitat in nobis voluptatem, atque gaudium (§. 89. Pſych.); crux hinc iuſtificatis, Apoſtolorum exemplo, eſt gaudio. Matth. V. 10. ſeqq. Luc. VI. 22. 23. Rom. V. 2. ſeqq. Iac. I. 2-12. Ebr. XII. 5. Et quia ipſe, ad ſummam, per paſſiones, euectus eſt gloriam, Chriſtus Phil. II. 7-11. Ebr. II. 9. ſeqq. per crucem, iuſtificatus, Chriſto redditur ſimillimus. Quo maior ergo crux; eo maior Chriſtum inter & iuſtificatum eſt ſimilitudo, omni modo, vt ſumma, adpetenda. 1. Petr. IV. 13. Denique quia nullum malum phyſicum, iuſtificatis poena eſt (per antec.); mortem, quia ſalutis certi aeternae (§. 894.), vt medium ſeu cauſam ſine qua non (§. 80. Ont.) ad beatitudinem, conſiderare poſſunt, adeoque vt bonum, quod appetunt, omnique laetitia exſpectant. Phil. I. 21. 23. (§. 128. Pſych.)

§. 906. Plura quidem ex iuſtificatione quae ſequuntur, adduci h.l. poſſent; verum commodiori, ob principia iam ſtatim ponenda, intelliguntur modo, ſi de renouationis, quae & ipſa, ad iuſtificationis effectus pertinet, materiam pertractemus. Hinc agit

CAPVT

CAPVT XIV.

DE RENOVATIONE ET BONIS OPERIBVS.

§. 907.

Renouationem, si vocem spectes, actionem denotat, qua corrupta in integrum fere restituuntur. Hinc non male in sensu sumitur, & *latiori*, pro tota hominis ex lapsu spirituali restitutione, vt in Art. Smalcald. & Declar. Form. Concord. occurrit; 2. Cor. IV. 17 & *strictiori*. *Sanctitas* enim *hominis* in harmonia actionum cum lege consistit. Quoniam vero harmonia haec esse & cogitari sine fide nequit (§. 827.); fidem habeat homo sanctus veram atque viuam; per quam salutem aeternam consequi potest (§. cit.). Fides viua in operatione consistit (§. cit.); adeoque homo sanctus, vita praeditus est spirituali (§. 286.). Hinc quia vlterior in sanctificatione gradus requiritur; renouatio in sensu strictiori, est: incrementum vitae spiritualis continuum. *Sanctificatio* ergo; itemque *Noui Hominis continua induitio* Eph. IV. 24. Rom. XIII. 12. rectissime etiam vocatur. Quum itaque vitam homo spiritualem in regeneratione accipiat, cum qua

qua statim coniuncta iustificatio est (§. 900.); sanctificationem, & regenerationem & iustificationem supponere, patet.

§. 908. Continuum itaque quia renouatio est vitae spir. incrementum; maiori semper propensiorique affectu, legi diuinae conuenienter, suas instituere adlaborabit actiones. Per crebras vero actiones oritur habitus (§. 13. Ethic.). In sanctificatione ergo continuo in bono, maior existit habitus. Vbi maior in bono habitus, eo maiori fortiorique malis resistimus modo, adeoque etiam Peccatis, cum originali, tum nonconnatis; hinc *Peccata*, Originalisque dominium etiam, magis magisque in renouatione supprimuntur. Col. III. Rom. VI. 11. 6. Gal. V. 24. Quia itaque homo irregenitus ratione *intellectus*, caligine laborat in veritatibus spiritualibus; *voluntatis* vero respectu, languore ad prosequenda spiritualia; & *adpetitus sensitiui* intuitu, procliuitate magna, ad carni grata, quae caligo, languor & procliuitas vno nomine *Vetus Homo* dicuntur; per renouationem vetus homo superstes, porro est destruendus. Eph. IV. 22. V. 14. Marc. IX. 24. Col. III. 9. 10. Contra, vbi caligo intellectus depellitur, & continuum in vita spirituali incrementum deprehenditur; ibi vi oppositionis (§. 64. Log.), esse

esse aut fieri aliter non potest, quam vt maior in eo oriatur *illuminatio*, quae lucis spiritualis nomine venit; itemque *alacrior* in voluntate ad bonum *propensio*; nec non in adpetitu sensitiuo, *obsequium promtius* & sanctificatum; quae stylo biblico, novi hominis verbo exprimuntur; N. ergo H. in renouatione paullatim alacrior est reddendus. l. c. 2. Cor. IV. 16. Rom. VI. 12. Ioh. XIV. 21. 1. Thess. IV. 1. *Terminus* ergo *a quo*, est *vetustas carnis* seu reliquiae peccati; Gal. V. 24. Rom. VI. 6. seqq. ad quem vero, *nouitas spiritus*, seu viuacitas maior spiritualis. Rom. VII. 6.

§. 909. In renouatione iam bonas legique diuinae conuenientes, homo actiones producit (§. pr.). Quum vero actiones sine vi produci nequeunt (§. 55. Ont.); in renouatione nouas hominem vires accipere spirituales, palam est; quibus etiam adfectus, qui vehementiores adpetitus sunt (§. 103. Psych.), ita iam dirigit, atque dirigere potest, vt *adpetitum spiritualem* qui nil, nisi quae ad vitam spectant aeternam, consequi intendit, non oppugnent; sed potius hominem alacriorem reddant, bona perpetrandi. Tit. II. 14. Et quum hoc modo adfectus etiam voluntati legibusque diuinis non contrariantur; sanctificantur certe &

hi

hi quoque. Hinc *spirituales affectus* sunt, qui hominem ad vitam spiritualem impellunt, quae, quia fide nititur (§. 907.), etiam definiri possunt: affectus ex fide, quae opus redemtionis supponit (§. 816.), seu opere redemtionis, orti. Absit ergo, vt adfectuum depositionem vrgeat Script. vt potius eosdem, sed sanctificatos, commendet. Phil. II. 12. IV. 4. 2. Cor. VII. 10. 1. Ioh. IV. 11-20.

§. 910. Reliquias peccatorum (§. 908.), renouationis terminum a quo diximus. Iam vero quaeritur: an concupiscentiae in regenitis residui motus, qui per experientiam negari non possunt, peccata sint, nec ne? quod *Remonstrantes* negant; nos vero & definitione peccati, & litteris adducti diuinis, affirmare non erubescimus. Nam ex 1) ipsius peccati *Genialis*, seu originis, non solum natura semper actuosa Rom. VI. 7. Ebr. XII. 1. sed etiam 2) ex vniuersali assertione Gal. V. 15. quae impossibilem P. O. in regenitis etiam, quales Galatae erant, depositionem commonstrant, itemque 3) ex Pauli de se quaerimonia Rom. VII. 17. seqq. aliisque 4) locis plurimis nostra thesis probatur. 1. Reg. VIII. 46. Iob. IX. 2. Prou. XX. 9. Etsi ergo omnem in renouatis concupiscentiam exstingui credant, & morbi instar sed non vt peccata considerent Remonstrantes;

non

non tamen probationibus, quas proferunt, noſtrum ipſis extorquere poſſunt aſſenſum. Nam 1) ſi ſcripturam, hominem, vt totum regenitum, qua omnes facultates deſcribere, dicunt; diſtinguimus inter *torum hominem*, & totum hominis. 2) Sic in DEVM recidere culpam, qui, cum poſſit, non tollat funditus peccatorum cauſſam. Reſp. etſi *abſoluta* hoc DEVS potentia poſſit; non tamen *ordinata* poſſe, dicendum. Exularet enim hoc modo mors hominum fide praeditorum, quo ipſo vero totus mundi nexus, comminatioque diuina Gen. II. 17. corrueret. Ne de exercitio poenitentiae humilitatisque dicam. 3) Duas fore ſic in homine regenito contrarias voluntates completas. Negatur (§. 113. Pſych.) 4) noſtram, pietati noxiam eſſe ſententiam tunc concederem, ſi de peccatis *proaereticis* ſermo nobis eſſet; cum tamen de habitu dominium quidem *affectante*, ſed non *obtinente* loquamur 5) contradictionem eſſe: *carnem crucifixiſſe*, & tamen *carnalem eſſe*. Reſp. qua *ſenſum*, non qua conſenſum, praeunte Script. carnalis dici poteſt regenitus, Rom. VIII. 9. VII. 14.

§. 911. Per ſanctificationem non intellectus ſolum, ſed voluntas etiam & adpetitus ſenſitiuus magis magisque excolitur (§. 908.). Ergo ob harmoniam, mentem inter

& corpus, huius etiam membra ad bonas actiones facilius peragendas, exercentur. Quum vero intellectus & voluntas, quae ad facultatis cognoscitiuae & adpetitiuae partem superiorem; adpetitus vero sensitiuus, qui ex parte facultatis cognoscitiuae inferiori oritur, & ipse ad partem illam adpetitiuae pertinet (§. 101. Psych.), animam nostram; quae vna cum corpore, hominem constituit: per sanctificationem totum mutari hominem constat. 1. Thess. V. 23. Et quia continuo per sanctificationem in bono crescit homo (§. 908.); non imago solum diuina vlterius in homine instauratur Eph. IV. 24. Col. III. 10. sed & Christo similior redditur. 2. Cor. III. 18. Quo ipso vero fides nostra & commonstratur, DEIque gloria promouetur (§. 827. & 29. Ph. Pr. Vn.); quae vero, quia DEVS in homine intendit, vna cum N. H. elaboratione vlteriori, *finis* sanctificationis recte statuitur (§. 80. Ont.). Gal. V. Matth. V. Iac. I. & II. Phil. I. 11.

§. 912. Et regenerationem & iustificationem supponit sanctificatio (§. 907.). Quum vero haec a DEO (§. 868. 895.); & sanctificationem, viresque per eam acceptae, sunt a DEO, qui itaque *caussa efficiens principalis*, recte dici potest 1. Thess. V. 23. & quidem,

quidem, quia opus ad extra, Trinunus (§. 140.), per appropriationem autem Sp. S. (§. 141.) 2. Pet. I. Psal. XCIX. 4. Ebr. XIII, 20. 21. Eph. V. 25. 26. 1. Cor. III. 16. Rom. VIII. 14. Haec vero incrementi vitae spiritualis a DEO concessio, *sanctificatio* dicitur *transitiua*; quatenus vero ipse eam in se homo auget, *intransitiua*; quae, quia vires a DEO accepit (per antec.), (non ergo naturalibus per opp.) quibus actiones producuntur (§. 55. Ont.), iisque crebrioribus, denique habitus (§. 13. Eth.); negari certe non potest. Ebr. XII. 14. 2. Cor. VII. 1.

§. 913. Ex eadem §. pr. ratione sanctificatus, nisi *regenitus* & *iustificatus* nunc cooperans (§. pr.), esse potest nullus, qui adeo *subiectum quod*, & quidem anima & corpore (§. 911.), *secundario* vt instrumento, arma iustitiae praebente, dici meretur, Rom. VI. 13. Eph. IV. 24. Col. III. 9. seq. quae *subiectum quo*, ontologico stylo dicere possumus (§. 25. Ont.).

§. 914. Sanctificationis caussa efficiens DEVS est (§. 912.), ob sapientiam qui non sine ratione agit. Quoniam vero *auctio gratiae* & continuationem prioris, & dationem maioris gratiae continet; ideo auctionis & dationis rationes *mouentes* sunt eaedem.

Mouit autem ad gratiae conceſſionem, DEVM, gratia eius & miſericordia, quae *interna*, nec non Chriſti meritum, quae *externa* (§. 889.); ideo *cauſſa impulſiua* dici poteſt. Tit. II. 13. III. 5. Et quidem quia DEVS miraculis non vtitur, mediis ſi quid conſequi poteſt ordinariis (§. 122. Th. N.), quae vero, vt ſaepius iam probauimus in ordine ſalutis verbum ſunt & ſacramenta; per haec, hominem ſanctificare, claret. Et *lex* quidem adeſt, vt ſubigat atque vt regula dirigat; *euangelium* vero vt fidem firmet, & motiuis ad fructus nouos exſtimulet; *baptiſmus*, vt fidem accenſam, vel memoria repetitus, roboret; *S. Coena*, vt fidem viresque ſpirituales augeat. 1. Pet. II. 1. ſeq. 2. Cor. III. 8. Gal. III. 3. coll. Col. II. vlt. Recte ergo verbum & ſacramenta, *cauſſae inſtrumentales*; ſicut eccleſiae miniſtri, & doctores ſinceri, *miniſteriales* dicuntur. Eph. IV. 11. ſeqq. Hinc per diligentem attentamque verbi diuini lectionem & auditionem, nec non per crebrum bonarum actionum exercitium homo ipſe ſanctificationem ſuam promouere poteſt. Ebr. XII. 14. 2. Cor. VII. 1. Et quia cruce ad perfectionem ſanctificationis vtitur DEVS (§. 905.); crux 1. Pet. IV. 1. 2. nec non tentationes animae, tanquam ſpecies crucis, *adminicula* renouationis ex parte DEI, ſunt ſtatuenda; dum diaboli,

diaboli, mundi atque carnis tentationibus homo sanctus, quod ipsi incumbit, repugnat (§. 908.). Ex parte vero hominis, *poenitentia quotidiana*, quae & *stantium* dicitur, huc referri potest, quae est poenitentia a sanctificato continuo acta. Nam quia & hic peccata committit, inuoluntaria quidem, attamen damnatione digna (§. 910.); non potest inde voluptatem, sed taedium percipere; & remissionem eorum per fidem impetrandam, quaerere, itemque vt iis sibi cauere queat, reiteratum in dies bonum capiat propositum atque constans, est necesse. Quoniam itaque partes hae sunt poenitentiae (§. 882.); quotidianam agat sanctus poenitentiam, est obstrictus. Adminiculum vero etiam poenitentiam quotidianam hinc videbis.

§. 915. Ex mediis vero adminiculisque sanctificationis (§. pr.), eam in homine non vna vice, sed succesiue fieri, patet. 2. Cor. III. 18. IV. 16. Rom. VI. 5. 6. VIII. 13. Hinc varii etiam *comparatiue* gradus sanctificationis recte statuuntur, ita vt alii dicantur *infantes*, incipientes; alii *adolescentes*, proiectiores; *viri* alii, adulti, hoc sensu, vbi Catechumenis opponuntur, *perfecti* seu *perfectiores*. 1. Ioh. II. 12. 13. 1. Cor. II. Ebr. V. 14. Phil. III. 15. Col. IV. 12. Ex quibus locis.

sanctificationem nostram *perfectam* esse elucet, scilicet *respectu* DEI, i. e. *transitiua*; dum vt sanctissimus non potest non 1) omnem legis particulam & 2) boni gradum obseruandum iniungere (ex opposito intelligitur *imperfecta*), & *respectu etiam hominis sanctificati*, i. e. intransitiua. Si enim legem ex intentione DEI, seruare recusset; qua ratione regenitus, & renouatus esse possit? concipere haud possum. Verum quia 1) P. O. deponi hac in vita non potest, adeoque ob actuositatem facile ad malum impellit hominem, 2) qui per negligentiam, ignorantiam, inaduertentiam, vel partem legis, vel gradum boni non obseruat, & 3) experientia teste, cum olim sanctissimi, tum hodie, de peccatis queri opus habent, quod Mosis, Aaronis, Noachi, Davidis, Petri etc. exempla probant; *absolute perfectam* hominis hac in vita sanctificationem dicere, erubescimus. *Imperfecta* ergo est respectu recipientis. 1. Reg. VIII. 46. Eccles. VII. 20. 2. Cor. VII. 1. Rom. VII. 14. seqq. Iac. III. 1. coll. 2. Cor. XII. 7. seqq. 1. Ioh. I. 8. Nonne vero & 4) renatos quotidie remissionem peccatorum quaerere, Christus iubet? Matth. VI. 12. conf. Psal. XXXII. 5. 6. Et cur 5) pro toto populo & pro ipso Pontifice, praeter quotidianas alias, annua & solemnis fiebat expiatio? Ebr. VII. 27. Leu. XVI. 6. 34. seqq.

34. seqq. Errant ergo *Pontificii*, cum *Socinianis*, *Anabaptistis*, *Schvvenkfeldianis*, & *Perfectistis* illis, qui sanctitatis inhaesiuae perfectionem statuunt. Obiiciunt quidem 1) DEI praecepta posse seuari; quod posita nostra definitione & limitatione, negatur. 2) ex 1. Ioh. III. 9. Sed disting. inter peccata proaeretica, quae sanctus, *qua sanctus*, non facit, & venialia. 3) ex 1. Ioh. V. 3. Resp. non sunt, respectu *promtitudinis fidelium*; quamuis grauia respectu *perfectionis bene operantium*. 4) Matth. V. 48. sed non *absolute*; dum particula *sicut*, non *aequalitatem*, sed similitudinem exprimit, praeterea *finis* tantum, *quo tendere oporteat*, non possibilitas assequendi iniungitur. 5) Rom. VI. 2. Sed mortui sunt peccato, *vt non regnet*, non, vt non sit. 6) 2. Cor. V. 17. Sed noua creatura est relatio. 7) Sp. S. operatio, qualis renouatio, est perfecta; quod concedimus respectu DEI; negamus vero respectu *recipientis*. 8) Dari perfectionem *partium*, si non *graduum*. Resp. eo ipso vero est imperfecta, per antec. h. §. Dicitur autem *perfectio partium*, si homo *omnem* legis particulam seruat; *graduum* vero *perfectio*, si homo omnem actionum bonarum gradum, ratione scilicet promptitudinis & motiuorum ex opere redemtionis desumtorum praestantiae consequitur. Quoniam vero peccata saepe committit

inuoluntaria, & partem legis de non concupiscendo, concupiscentia etiam *originali*, seruare non potest, neque partium dari perfectionem liquet. Iac. I. 14. Et quia ob P. O. infirmitas quaedam oritur, qua non semper, ea, quae requiritur, mentis alacritate, & motiuorum praestantia, homo agat; ideo & graduum perfectio hac in vita non est speranda; adeoque sanctificatio nostra hac in vita est *imperfecta*. Ex quo statim videre est, *Socinianos*, qui homines ita iustos depraedicant, vt nulla ipsis poenitentia quotidiana sit necessaria, contra (§. pr.) errare. Obluctantur quidem nobis, Luc. XV. 17. Matth. IX. 13. Verum loca de poenitentia lapsorum agunt. 2) Marc. IX. 23. Phil. IV. 13. Sed cum limitatione propositio intelligenda, ex connexione desumenda; sc. auxilium a DEO impetrare. 3) 1. Ioh. III. 8. Resp. aliud est *peccatum facere* proaeretice, quod distinguitur ab altero, scil. *peccatum habere*.

§. 916. Sanctificatio nostra etiam intransitiua sit perfecta (§. pr.). Homini ergo semper in sanctificatione est crescendum. Ergo omnem legis particulam seruare, adeoque a peccatis voluntariis abstinere, & ab inuoluntariis magis magisque sibi cauere; maiorem sibi alacritatem, &, vt

motiuis

motiuis ex praestantioribus agat, acquirere debet (§. pr.). Eph. IV. 15. Hinc nullo modo Diabolo, carni & mundo in tentationibus, vtpote hostibus spiritualibus (§.) consensum dare poterit; vt potius ipsum illis omni ratione denegare est obstrictus; id quod *contra eosdem pugnare* dicitur. Matth. IV. 3. seqq. 2. Tim. II. 3. IV. 7. Hinc semper motiuis, aliter enim voluntas ad appetendum non mouetur (§. 130. Psych.), quae obiiciunt, fortiora sunt opponenda, bonaque vera & adparentia consideranda Eph. VI. 10. seqq. vt hoc modo eos *vincamus*, h. e. tamdiu illis resistamus donec cessent. 2. Tim. 5. IV. 7. 8. Apoc. III. 5-12. 21. Hinc, quia fides per voluntaria peccata perdi potest, quod *labi*, sicut qui fide praeditus, *stare* dicitur; vt semper in fide stet atque persistat, curandum, neque in peccata voluntaria consentiendum; quod cum sine sollicitudine non labendi, quae *vigilantia spiritualis* audit, fieri nequit; spiritualiter etiam vt vigilet homo, est necesse. 1. Pet. V. 8. 9. Apoc. XVI. 15. Matth. XXIV. 42. seqq. Absit ergo omnis vigilantiae spiritualis defectus, quae *incuria*, *tepor*, & *acedia spiritualis* vocatur. Apoc. III. 15. 16. Quae omnia, vt fines cum considerari possunt, qui per media obtinentur (§. 80. Ont.), impetrare mediis (§. 914.) adhibitis, faciliori

via possumus. Hinc vt certi reddamur, an in tali nos statu simus, siue minus, comparatio nostri status cum verbo diuino est instituenda, quae δοκιμασια dicitur *spiritualis*; & quidem ratione *dogmatum*, ex quibus, si falsa, non possunt non malae in vita actiones prouenire; & *actionum*. 1. Ioh. IV. 1. 1. Thess. V. 21. 2. Cor. XIII. 5. Gal. VI. 3. 4. Hinc *admonitioni fraternae*, seu amicae erroris aut peccati correctioni, locus est concedendus, Gal. VI. 1. Ebr. III. 13. vt eo firmiori modo *aedificemur* h. e. in sanctitate faciamus profectus. Eph. II. 20-22. IV. 29. 1. Cor. II. 5. III. 16. 17.

§. 917. Facile ex his *renouationis proprietates* concludi possunt, quarum 1) *necessitas*, non fundamentalis quidem, quia *sola* fides iustificat atque saluat (§. 890.); sed *ordinalis*, in oeconomia gratiae a DEO constituta. Nam quia sine progressu in sanctificatione, facile oriri potest lapsus, omni modo cauendus (§. pr.); hinc continuum vitae spiritualis incrementum (quae sanctificatio §. 907.) necessarium esse, quiuis videt. Act. XXVI. 18. Quoniam vero fides requiritur non spuria, sed vera (§. 875.); hinc 2) *sinceritatem* a Pseudo-virtutibus *laruatis* & hypocrisi puram, requiri patet. Ast varia sunt in sanctificatione obseruanda, carni vero caeteris nostris

noſtris ſpiritualibus hoſtibus, maxime ingrata (§. pr.); quo ipſo vero remoram ſemper nobis obiiciunt, atque impedimenta. Impedimentorum vero remotio difficultatem parit. Recte ergo 3) *difficultas*, inter proprietates referri poteſt. Et quia ex iuſtificatione, adeoque & ſanctificatione (§. 907.), amicitia cum DEO oritur, aliaque plurima temporalis & ſpiritualis felicitatis bona (§. 898. ſeq.); per continuum vitae ſpiritualis incrementum, ſeu ſanctificationem (§. 907.), amicitia cum DEO, exercitia haec adprobante, oritur firmior, & varia benedictionis genera Ioh.XV.14. Iac.II.23. Pſal. LXI.8. 1.Tim.IV.8. Quis vero, ita 4) *vtilitatem*, inter ſanctificationis proprietates referre erubeſceret? De 5) *imperfectione* eius iam egimus (§. 915.).

§.918. Renouatus omnem legis particulam, praeſtantiaeque modum obſeruat (§. 915.), & quidem ita vt continuo hac in re creſcat (§. 907. 916.). Ergo non ſolum *actiones*, legi (diuinae & humanae) conuenienter dirigit; ſed &, dum per crebrum exercitium habitus oritur (§. 13. Eth.), *habitum* eiusmodi ſibi acquirere ſtudet. Actiones illae dicuntur *bona opera*; vt adeo *bona opera theologice talia* ſeu *Chriſtiana*, & bona opera *ſimpliciter*, ſint actiones renouati liberae ſecun-

secundum legem, viribus gratiae (§. 912.) factae; vel, quia anima non agit sine motiuis (§. 130. Psych.), sunt actiones per motiua ex fide sumpta, factae. Habitus ergo faciendi bona opera Christiana; *virtus* vocari potest *theologice talis*, aut *Christiana* (§. 103. Ph. Pr. Vn.). Distinguuntur ergo ab his *bona opera philosophica*, aut *naturalia*, quae actiones sunt, per motiua ex sola ratione desumta, seu viribus naturalibus factae; & virtus *naturalis* seu *philosophica*, quae habitus est bona opera naturalia perpetrandi. Quis vero, renouatum & bonis operibus Christianis, & virtutibus theologice talibus studere, inde non perspicit? quamuis, quia omnem legem & sic etiam naturales praestare studet (per princ. h. §.), & naturalia O.B. & virtutes philosophicas, non negligat. *Studium* vero, est cura habitum alicuius rei sibi acquirendi; & studium virtutum *sanctitas* audit *in genere*. Ergo & sanctitatis naturalis, & Christianae praecipue est studiosissimus. Quoniam vero B. O. Christiana ex fide proueniunt (per antec.); neminem nisi regenitum & renouatum (§. 865.), talia praestare posse, patet; etsi ideo hominem sibi relictum, & irregenitum B. O. philosophica, virtutesque naturales praestare, non negemus. Quae si faciunt, *bona* omnino sunt dicenda, neque hoc respectu, *peccata* (§. 109.

(§. 109. Ph. Pr. Vn.) Matth. V. 20. Verum quia sola fides iustificat atque saluat (§. 890.); *hoc respectu*, dum irregenitus fidei legem transgreditur (per def.), B. etiam eius O. *peccata*, & quidem, quia specie virtutis gaudent, *splendida* vocari possunt. Phil. I. 11.

§. 919. Ex collatione porro definitionum §. pr. elucet: B. O. viribus non posse praestari naturalibus. Ergo quia oriuntur ex fide, & a regenitis tantum fiunt (§. pr.), qui nouas gratiae vires acceperunt (§. 909.) per vires tantum gratiae praestantur, adeoque a DEO acceptas 2. Petr. I. 3. cui omne B. O. est adscribendum. DEVS ergo, & quidem; quia opus ad extra, Trinunus *caussa efficiens principalis* est; homo vero, qui viribus, a DEO tamen acceptis, eadem producit, *ministerialis* nominari potest (§. 140.), & adpropriatiue Sp. S. eiusque gratia inhabitans, cuius & fructus dicuntur. Gal. V. 22. Rom. VI. 14. Ioh. XV. 2. Eph. II. 10. Ioh. XV. 5.

§. 920. B. O. legi conuenienter sunt dirigenda (§. 918.). Norma ergo eorum est *lex*. Lex vero, & motus bonos, talesque cogitationes postulat (§. 915.); nec non actiones, quae ab aliis perspici possunt. Haec B. O. dicuntur *externa*; illa *interna*.

Et

Et quia mala omittenda; bona vero peragenda praecipit; hinc B. etiam opera in *Commissionis* & *Omissionis* diuiduntur. Sic cum lex nobis quaedam erga DEVM, nosmet ipsos, & alios obseruanda praescribat; obiecti etiam respectu ita diuidi possunt, quae alias vno nomine officia dicuntur, in Th. Mor. distinctius explicanda. Tit. II. 12. *Caussa* ergo *materialis* res sunt & actiones lege propositae, non a nobis excogitatae ἐθελοθρησκιαι, seu *opera electitia*, quae sub religionis specie *praeter legem* pro hominum arbitrio praestantur; & quae adeo B. O. vocari non possunt. e. g. Luc. XVIII. 12. Matth. XXIII. 13. Nam quia fide oriantur est necesse, vt DEO placeant, quae adeo *caussa formalis* vocatur, sola ἐννομια qualiscunque rem non conficit; sed ἐπιεικεια opus est. 1. Pet. II. 5. Ebr. III. 16. Es. XXX. vlt. Quis vero opera electitia, B. O. non esse, non videt? Matth. XV. 2. 9. 20. Iac. I. 12. Col. II. 18. seqq. Quoniam itaque *auctoritas*, quam magnopere commendant, *praeceptorum ecclesiae*, *ieiunia* illa *varia* & *diuersa*, nec non *Monachatus* etc. in lege diuina non continentur, adeoque B. O. non sunt; errant non *Pontificii* solum, sed & *ecclesia Graeca*, qui haec defendunt. Graeci enim B. O. nimium quantum adscribunt; immo *Iavorskius*, aliique, nostris, quod ea prohibeant falso impu-

imputant. Praeterea opera quoque sancta, ad *praecepta ecclesiae*, cuiusmodi praecipue *nouem* omnino numerant, reuocare solent. Verum *adoratio* DEI *cum contritione*, & *cultus singulis diebus Dominicis supremo Numini exhibitus* huc non pertinent, vtpote lege iam praescripta. Praecipue vero vrgent *ieiunia*, & *vitae monasticae genus*. Ita etiam *ne legantur haereticorum libri*, & vt *quater singulis annis delicta nostra Sacerdoti confiteamur*, volunt. Hinc ecclesiae leges, nequaquam vt humanas, sed tanquam diuinas recipiunt; cum in ecclesiam vt credamus, seu omnibus synodicis decretis habendum esse fidem docent. conf. *Metrophanes*. Ad *ieiunia* quod attinet, *quadragesimale* ante Pascha commendant; porro diei *quarti* & *sexti* omnium hebdomadum; nec non *a decimo quinto Mensis Decembris*, *ante natiuitatem Christi*; itemque *Sanctorum Apostolorum* ieiunium, post *exactam Pentecosten* vsque ad diem Petri & Paulli. Celebre est etiam illud ante *diem assumtionis Mariae*, cuius initium Calendis Augusti finemque ei d. 15. eiusdem mens. imponunt; vt alia e. g. d. 14. Septemb. & 29. Augusti taceam. Quod ad *modum ieiunandi* attinet, consistit is in quadragesima, in abstinentia a carnibus, lacte, butyro, caseo, ouis, quin etiam piscibus; adeoque praeter fructus autumnales, legumina, & olera modico condita oleo,

assu-

assumunt. Monachi vero haec fugientes, sola fere Xerophagia, cum oleo, melle & oleribus tantum vtuntur. *Monasticam vitam* magnopere laudant; quae multis ieiuniis rigidissimis e. g. more cubandi super assere, parciori somno, vestimento vili, precibus nocturnis & diurnis, & statis quidem, similibusque continetur. Porro iis temporibus alios laborare, alios studere, egenos adiuuare, praesertim peregrinos, neque de meritis, vti fit apud Romanenses, tantopere gloriari, non est praetereundum. *Votis* vero & ipsi sunt constricti, scil. *temperantiae, paupertatis, obedientiae* ac *tolerantiae*. *Coelibatum* & abstinentiam a *carnibus perpetuam*, ex consuetudine magis, quam voto seruant, quae tamen vim paene legis induit. Monachos praestantiores in monte Athos reperiri, nec dignitatibus ecclesiast. praeficiendos desumi notum est. Plura vide in constitutionibus *Petri I.* cui rubrum geistl. Regiment. Quod 1) ad auctoritatem ecclesiae attinet, cui non solum Gal. V. 1. seq. 1. Cor. VII. 23 35. repugnant; sed &, quod in *huiusmodi rebus* vix alia in Sc. N. T. quam *generalia* legantur. Hinc in ecclesiis diuersis, nunquam non obseruata sunt instituta mirum in modum distincta, salua tamen earum concordia. Probant quidem 1) Act. IV. 32. sed diuinis praeceptis non sunt aequiparanda; immo prorsus

prorsus a tota ecclesia abrogari possunt; & a communione, ad leges, quae conscientias vinculo obstringunt, non V. C. Act. V. 4. 2) Ioh. XVI. 13. coll. 2. Pet. I. 21. 1. Thess. II. 13. sed de constitutionibus ecclesiasticis ne γεν quidem legitur; sed de Apostolis & Prophetis, verba loquuntur. 3) Matth. XVIII. 17. non de *legibus ferendis* sermo, sed de *conciliatione laesorum atque laedentium.* II) Contra *ieiunia* vt praecepta B. O. monemus 1) deesse praeceptum N. T. 2) 1. Tim. IV. 8. 3) Rom. XIV. 17. 1. Cor. VIII. 8. Col. II. 16. 21. 4) non omnibus promiscue congruere ieiunia. Gal. V. 23. Rom. XIII. 14. Tit. II. 11. 12. 5) contrarium probare Patres, *Eusebium* H. E. L. V. cap. 24. *Tertull.* L. de Ieiun. cap. I. II. *Epiphanium* Haeres. L. XI. *Theodoret.* Fab. Haeret. L. V. *Socratem* & *Sozomen.* H. E. Probant 1) ex consuetudine eccles. antiq. sed vide probationem nostram, & disting. inter *adminicula* & *praecepta.* 2) Exemplo Christi. Sed pertinuit ad Christi officium sacerdot. & prophet. & miracula Christi imitari, non est nostri. 3) Luc. VI. 21. 25. 1. Cor. VII. 5. Disting. inter subsidia & praecepta. 4) Leu. XVI. 31. Sed sunt iudaica, & vide Rom. XIV. 17. Col. II. 16. seq. Ebr. IX. 10. inprimis 1. Tim. IV. 3. seq. 5) 2. Cor. IV. 16. Sed de *aerumnis* & *calamitatibus*, non de sponte impositis sermo est

(§. 57. I. N.) Col. II. vlt. 6) ex Canon. Concil. Laodiceni quinquages. prouocant, vbi δει oportet. Sed non est Conc. Oecum. neque Sc. S. aequiualet; immo neque simpliciter iniungitur *omnibus*. III) aduersus *Monasticam vitam* pugnant 1) Silentium Sc. S. 2) affinitas ἐθελοθρησκιας Col. II. 23. 3) 2. Thess. III. 11. 1. Pet. IV. 20. 1. Cor. VI. 26. Eph. IV. 16. 4) 1. Cor. VII. 35. Deut. VI. 16. Matth. IV. 7. 5) Matth. XX. 26. 6) affectatio Sanctimoniae in tonsura capitis, vestibus singularis formae, ficta paupertate. Probant 1) ex antiquitate ecclesiae & Iohannis Baptistae consuetudine. Sed falsum; & Iohannis vita non erat monastica. 2) quia ornamentum esset ingens totius Eccles. Sed 1) Script. hoc ornamentum ignorat adeoque 2) est status electitius, adeoque dedecus potius. 3) Incommoda etiam inde oriuntur Reipubl. eccles. & Oeconom. Scholae vero, quae adeo ad Monachatum non alligantur, exstrui vbique possunt. Eodem etiam modo *Pontificii* cultum pro arbitratu electum, probant 1) Gen. IV. 4. *Abel.* Gen. VIII. 20. *Noachus*, aliique sine mandato diuino obtulerunt sacrificia. Sed Resp. verbis *Bellarmini* ex L. I. de missa C. II. DEVS primum sine dubio inspirauit Abeli, & aliis sanctis viris vsum sacrificiorum; deinde etiam facta sunt ex fide Ebr. XI. 4.

alias

alias non placent Ies. I. 12. 2) Ordinationes Conciliorum & Episcoporum, etiam sine DEI mandato sunt seruandae. Luc. X. 16. Ebr. XIII. 16. Sed limitatam Discipulorum potestatem vide Matth. XXVIII. 19. Gal. I. 8. & distinguendum inter adiaphora, & inter necessaria cultus diuini requisita. 3) Bona intentione ad bonum finem directa, adeoque & actus electitii e. g. peregrinatio ad sepulchrum Christi etc. sunt O. B. DEO placentia; verum nec *maior* rite sese habet (§. pr.), nec minor, si meritum sit, quo DEI gratia & iustitia acquiratur. 4) Virorum sanctorum facta, sequi debemus. Atqui Opera electitia Ierem. XXXV. 5. Act. XV. 20. sed limitanda maior; Q. fecerunt Viri sancti, *ad verbi diuini praescriptum*, illud est imitabile; ita minor tantum adminicula secundaria continet; & abstinentia a sanguine & suffocato, non est B. O. *morale*, sed harmoniam tantum ecclesiae efficiens. conf. *Zeltneri* Breu. cum Eccles. Gr. & *Hollaz.*

§. 921. Verum non *lex* solum B. O. norma (§. pr.), sed *conscientia* etiam, quia sine ea, nec, vtrum bona sit actio, an mala iudicare possumus (§. 64. Ph. Pr. Vn.) est constituenda. 1. Tim. I. 5. Ast *normata*: lex vero *normans* (§. 58. Ont.). Quoniam vero triplex est B. O. obiectum (§. pr.); inque omnibus

nostris actionibus gloria DEI promouenda (§. 29. Ph. Pr. Vn.); B. O. *finis*, recte *gloria* DEI, tanquam auctoris in Christo gratiae, nec non proximi & nostri aedificatio, tanquam *secundarius*, sicut ille *primarius*, recte statuitur. Hinc vllae vix actiones in *concreto* indifferentes reperias. 1. Cor. X. 31. IV. 4. Et quia fidem tantum firmat, ad fructusque nouos exstimulat (§. pr.); euangelium non est norma seu principium B. O. *directiuum*; sed tantum *collatiuum* & *productiuum*.

§. 922. Quemadmodum vero sanctificatio nostra imperfecta (§. 915.); ita & B. O. Rom. VII. 15. Iac. II. III. 2. Psalm. CXLIII. 2. Kohel. VII. Gal. V. Errant ergo *Pontificii* cum *Socinianis*, aliisque *perfectionem* B. O. asserentium. Probant quidem 1), quia bona dicuntur Tit. III. 8. sed disting. inter *absolute* & *secundum quid* bona. 2) Renouatus, est bona arbor, a qua non mali fructus Psal. XCI. 13. Limitamus maiorem: scil. *perfecte*, seu *quatenus* bona. 3) Comparantur auro etc. 1. Cor. III. 12. 13. adeoque *perfecta*; sed locus non de renouatorum operibus, sed de doctoribus eorumque doctrina agit. 4) Quia imperfecta DEO non placent; renouatorum vero placent. Sed non placent *legaliter* (§. 915.), sed *euangelice*, propter Christum.

Ergo

Ergo quia imperfecta (per antec.); nec supererogationis opera statui possunt; contra *Pontificios* Matth. XXII. 37. 1. Reg. VIII. 46. qui probant 1. Cor. IX. 15. Sed hoc fecit, ne quisquam offendatur; & ad Luc. X. 35. respondemus: in fonte ita: quodcunque interim insumseris, ego, quando reuersus fuero, restituam tibi. Quoniam vero actiones imputari non possunt, nisi fiant libere (§. 25. Ph. Pr. Vn.); B. O. renouatorum sunt *actiones liberae.* Ergo non per comminationem sunt extortae; sed a renatis fiunt per Sp. S. a seruitute peccati liberatis; quod *libertas* est *a coactione legis.* Rom. VII. 6. Psal. CX. 3. Philem. 14. Denique quia B. O. ex fide proueniunt (§. 918.), fides vero semper & necessario B. O. producit (§. 827.); bona O. etiam necessaria sunt dicenda, ratione *consequentiae formalis ad iustificationem & fidem.* Tit. III. 8. Gal. V. 6. 1. Thess. IV. 9. seqq. & quia hunc DEVS constituit ordinem (§. 827.); necessaria etiam sunt ratione *ordinis* Rom. VI. 22. & *mandati diuini*, Ies. I. 17. Leu. XIX. 2. 2. Pet. I. 3-7. & *debiti*, si sc. creationem Act. XVII. 24. redemtionem, Ebr. II. 15. vocationem 2. Tim. I. 9. regenerationem Eph. II. 9. 10. iustificationemque Rom. V. 1. VIII. 1. consideremus. Quoniam vero B. O. ex sanctificatione proueniunt (§. 915.), quae iustificationem

ſupponit (cap. pr.), ad *iuſtificationem* non neceſſaria eſſe, quiuis videt Rom. III. 28. Phil. I. 11. Ergo neceſſaria quidem ſunt ſaluandis, iis ſcil. qui ſunt ſaluandi; ſed non *quatenus* ſaluandi; quia ſola fides iuſtificat atque ſaluat (§. 890.); adeoque *non neceſſaria ſunt ad ſalutem;* neque ratione medii (§. 80. Ont.); neque neceſſitate *meriti* (§. 25. Ph. Pr. Vn.), adeoque non ſunt meritoria ſec. verſ. Et *tua* ſint, & quae *non debes, proportio & adſit;* non aliter meritum dixeris eſſe tuum. Ioh. XV. 6. Luc. VII. 10. Rom. VIII. 18. VI. 23. XI. 6. Gal. III. 18. Ergo nec intuitu mercedis B. O. facere licet. 1. Tim. IV. 8. Ebr. XI. 26. contra *Pontificios;* qui 1) obiiciunt Gal. VI. 8. 9. 1. Cor. XI. 24. Matth. VI. 33; non vero ex iure, ſed gratia. 2) Ebr. XI. 26. Phil. III. 14. Reſp. eodem §. pr. modo. Hinc quia phraſis: B. O. *neceſſaria ſunt ad ſalutem,* contra Script. nec vſurpanda, nec defendenda eſt. Quaeſtio vero etiam a *Calixto* mota eſt: an B. Opus *conditio eſt ſalutis ſine qua non?* Recte ſi rem conſideremus, nec ea admitti poteſt. Salus enim quia per ſolam fidem (§. 890.), quam DEVS ex libertate donat, a *conditione* operum, ſuſpenſa eſſe non poteſt. Eph. II. 8. Errant ergo *Pontificii, Sociniani, Arminiani* & *Anabaptiſtae,* qui ad obtinendam ſalutem, neceſſaria aſſerunt B. O. Confligunt quidem nobis-

nobiscum 1) Ebr. XII. 14. Sed sanctificatio, saluandi hominis requisitum est *respectiuum*, vbi argumentum conceditur, non *absolutum*, vbi negatur. Simili enim modo argumentamur: Sine grauitate, aqua baptismalis non regenerabit; ergo grauitas aquae ad regenerationem est necessaria. An quia pomo degustando necessarius est color, color ad degustationem pomi est necessarius. 2) Patientia, vt B. O. necessaria est ad salutem. Ebr. X. 36. Sed distinguimus, inter ὑπομονὴν *lucis* seu perseuerantem fidem, (quod in textu) & *crucis*, seu patientiam. 3) Mortificatio carnis, vt B. O. ad salutem est necessaria. Rom. VIII. 13. Disting. inter requisitum iustificatorum absolutum, & respectiuum, quod non est causa effectum hunc producens. 4) Confessio, ore, vt B. O. fit ad vitam. Rom. X. 20. Disting. inter *fieri*, & *necessarium esse* ad salutem. 5) Salutem operantur renouati cum timore & tremore, adeoque vt B. O. Phil. II. 12. Sed non ita vt tremor, positiuum & efficacem habeat influxum. 6) Ad quod, dicunt, requiritur fides, ad id requiruntur B. O. E. ad salutem; sed disting. inter requisitum subiecti absolutum & respectiuum. Non enim omnia in subiecti absolute existentia, eundem respiciunt finem; sicut aures non ad videndum. 7) B. O. finis est vita aeterna

Rom. VI. 22. E. necessaria ad salutem. Sed finis hic intelligitur terminationis, seu *exitus*; non vero finis intentionis, seu intentio; adeoque ita est distinguendum. 8) Si fides necessaria ad salutem; ergo & B. O. Verum B. O. non sunt necessaria ad fidem habendam, sed declarandam & ostendendam Iac. II. 8. Quemadmodum vero hanc *Maioristicam* etc. damnat; ita & *Amsdorfianam*; B. O. pernicioſa sunt ad salutem. Quoniam enim ex fide proueniunt, quae DEO placet, quamque iniungit ad salutem (cap. de fide); non possunt non esse vtilissima. 1. Tim. IV. 8. ergo non *pernicioſa*; quamuis non desint, qui, Nic. Amsdorfium B. O. per accidens pernicioſa dixisse, velint, (*suspecta* tamen est) si sc. in iis *fiducia* collocetur; quae in B. O. ad salutem nullo modo defendi possunt. Sunt enim non imperfecta solum, sed & minime meritoria (per antec.). Quomodo vero hac ratione certitudo boni, fiducia oriri potest (§. 817.)? Ergo quia misericordia DEI, & Christus Mediator causae efficientes sunt, nunquam fallaces, in iis, & minime in B. O. fiducia salutis iustitiaeque est collocanda. Rom. IV. 6. Dan. IX. 18. 1. Ioh. II. 1. 2. Errant ergo *Pontificii*, suorum operum meritis confidentes; quod defendunt 1) Ps. VII. 9. Sed distinguendum inter *iustitiam causae*, contra Saulem; & *personae*.

2) Ies.

2) Iesaiae XXXVIII. 3. Sed commemorat, vt testimonia fidei, non vero vt fiduciae fundamenta. Deinde temporalia non aeterna, B. O. consequi intendit. Ex quibus *tres* B. O. *affectiones* concludi possunt: scil. vt sint imperfecta, voluntaria, & necessaria saluando (§. 6. Ont.).

§. 923. Hac occasione, cum B. O. meritoria negamus (§. pr.), de merito *Pontificiorum Congrui*, vel *de Congruo*, & *Condigni* quaedam dicamus. Nam quia hominem viribus liberi arbitrii gaudere (§. 351.), adeoque iustificationem posse promereri statuunt; ideo *congruum* esse, h. e. decere DEVM, homini operanti secundum virtutem suam, primam gratiam iustificationis conferre; quod tamen ipsi Pontificiorum nonnulli reiiciunt. *Meritum* vero *condigni*, opus vocant, ex gratia Sp. S. procedens, qua iustificatus vitam aeternam meretur. Idem ferme & *Arminiani* defendunt, supra refutati (§. 890.). Probant quidem 1) Sirac. XVI. 14. Ebr. XIII. 16. Quod ad Sirac. attinet, verba fundenda: *vnusquisque enim secundum opera inueniet*; adeoque disting. inter opera inuenire *secundum* & *propter* opera. Ebr. XIII. 6. Locus, ita in fonte sonat: talibus enim sacrificiis delectatur DEVS. 2) Q. sunt digni vita aeterna, illam merentur Luc. X. 7. Atque iustificati,

etc. Luc. XX. 35. 2. Thess. I. 5. Apoc. III. 4. Sed disting. inter dignitatem *legalem*, vbi negatur, & *euangelicam*, qua non meritis *actiue*, sed *passiue* ob meritum Christi aestimantur digni. 3) O. merces acquiritur meritis operum. Atqui vita aeterna est merces; Matth. V. 12. X. 42. E. verum *merces* non dicitur vita aeterna, sed χαρισμα Rom. VI. 23. Matth. V. 12. & disting. inter mercedem ex *debito*, & ex gratia Rom. IV. 4. 4) Rom. II. 5. Matth. XVI. 27. Disting. inter *secundum*, & *propter* opera. 5) B. O. sunt *causae* vitae aeternae Matth. XXV. 34. 35. Verum γαρ h. l. non est *causalis*, sed *ratiocinatiua*, seu *illatiua*, vbi a posteriori, ab operibus, veluti fructibus fidei, fides ipsa deducitur. 6) 2. Thess. I. 6. 7. 2. Tim. IV. 8. Sed distinguendum inter iustitiam *commutatiuam*, & *remuneratiuam*, in promissionibus DEI fundatam. Deinde corona dicitur vita aeterna iustitiae Christi imputatae. 7) DEVS sic esset προσωπολημπτης; sed negatur, quia is ita dicitur, qui praemia, quae *ex iure* reddere debet, citra intuitum meritorum distribuit. 8) Matth. XIX. 17. Verum admonitio Christi non *confirmatoria*, sed *refutatoria* erat & *correctoria*. 9) Mala Opera merentur damnationem aeternam; Ergo B. vitam aeternam. Sed vid. Rom. VI. 23. & per instantiam: Gentiles propter iniu-

iniustitiam ex Palaestina eiiciebantur; ergo Israelitae propter iustitiam introducebantur. Deut. IX. 4.

CAPVT XV.

DE SANCTITATE CHRISTIANA, ALIISQVE HVC PERTINENTIBVS.

§. 924.

In sanctificatione, continuum vitae spiritualis incrementum capit homo (§.907.). Ergo actiones suas continuo conuenienter legibus diuinis instituere adlaborabit, ita vt harmonia actionum suarum cum legibus diuinis inde oriatur; quae cum *sanctitas* dicitur *christiana*, si harmonia illa oritur ex fide; per sanctificationem, christianam oriri sanctitatem, patet. Ergo habitum sibi acquirere studebit B. O. theologice talia praestandi; adeoque, quia habitus per crebrum acquiritur exercitium (§. 13. Eth.), in continuo B. O. exercitio erit. Quis vero saluandum, in sanctitate Christiana versari debere, non concludere poterit? Ebr. XII. 14. Quoniam itaque sanctitas, ex sanctificatione oritur (per antec.); sanctitatis, sanctificationisque eadem est *causa efficiens principalis*, & *instrumentalis*, & *ministerialis*: idem *subie-*

subiectum quod & quo: idem *finis*, eadem *adminicula*, & *cauſſae mouentes* ſeu *impulſiuae*, *gradus*, *proprietates*, & *termini*, & quae ſunt alia, ſupra a nobis (§. 914. ſeqq.) deſcripta, hic adeo non repetenda.

§. 925. Cum ſancto DEVS rurſus ſeſe coniungit (§. 59.), & quidem, niſi ille a ſanctitate deſiſtat, perpetuo. Hinc DEI mens eſt, & ſeria voluntas, vt praeſens in eo maneat; quae ſeria DEI in homine manendi praeſentia, *habitatio* DEI *in homine*, dicitur; DEVM ergo in homine iuſtificato & ſanctificato habitare, palam eſt. Ioh. XIV. 17. 23. Rom. VIII. 9. 11. 1. Cor. III. 16. VI. 19. 2. Cor. VI. 16. Eph. III. 14-17. 2. Tim. I. 14. 1. Pet. IV. 14. Hinc de coniunctione DEI, eiusque habitatione in fidelibus, ſeu *gratia inhabitante*, dicendi iam eſſet occaſio; verum, quia de vnione myſtica iam ſupra abunde diximus (§. 900. ſeqq.); vnioque illa ad inhabitationem pertineat; ea iam h. l. repetere quoque nolumus.

§. 926. Sanctitas hominis cum ex ſanctificatione oriatur (§. 924.), in qua nouas homo ſpirituales accipit vires (§. 909); vires hae ad ſanctitatem hominis a DEO conceduntur (§. 80. Ont.). Collatio vero donorum ſeu virium ſpiritualium ad bona opera

opera facilius peragenda, dicitur *vnctio ſpiritualis*; vnctionem ergo eiusmodi dari, claret. Act. X. 38. 1. Cor. XII. 7-11. 1. Sam. XVI. 13. 14. Quod vero noſtra, vera ſit atque realis definitio; non ex Chriſti vnctionis notione (§. 711. ſeqq.) ſolum, ſed & modo *vnctionis inauguralis*, qua ad officium obeundum idonei ſiſtebantur, videre licet, Ex. XXVIII. XXIX. ſeqq. Leu. VII. 35. ſeqq. Num. III. 3. aliisque locis plurimis, vnctio deſcribitur *ſacerdotum*; *Regum* vero 1. Sam. X. 1. XVI. 13. 1. Reg. I. 34-39. etc. *Prophetae* 1. Reg. XIX. 16. vbi ſemper virium ad munia collatio conſpicitur. Immo ex *Apoſtolorum* 2. Cor. I. 21. quoque claret. Praeter vero *inauguralem*, alia vnctionis in Scr. Sac. occurrunt genera, e.g. vnctio, *ſanitatis* cauſa facta, Marc. VI. 13. Iac. V. 14. *caerimonialis*, rerum locorumque, Gen. XXVIII. 18. XXXI. 13. XXXV. 14. Ex. XXX. 25. ſeqq. XL. 9. Leuit. VIII. 10. nec non ea quae *honoris* Luc. VII. 38. 46. *laetitiae* 2. Sam. XIV. 2. Pſal. CIV. 15. *ornatus* gratia Eſth. II. 12. Iudith. X. 3. peragebatur. Ne iam de *mortuorum* conſuetudine dicam, Gen. L. 2. 3. Marc. XVI. 1. de quibus tamen hoc loco non eſt ſermo.

§. 927. Vnctio ſpiritualis in donorum ſeu virium Spir. collatione conſiſtit (§. pr.); quas

quas recipit per fidem (§. 909.); per fidem, ergo Spir. vnctio perficitur. Quia vero fidem in homine DEVS accendit (§. 824.); vnctio haec est a DEO, & quidem Trinuno, quia opus ad extra (§. 140.) 2. Cor. I. 21. adpropriatiue autem Sp. S. (§. 141.), vtpote a quo omnia quae ad sanctificationem pertinent, procedunt. Si vero Sp. S. hominem vngit, in eo agit. Vbi quis agit, ibi est praesens (§. 87.), & provti iam in iustificatione & vnione mystica, *substantialiter* & *gratiose*. Ergo donis suis seu viribus spir. sanctum, vngit. Verum quia ipse in vnctione agit (per antec.), vbi tamen quicquid agit, a Patre & filio agat (§. 127.); hinc & Patrem & filium, Spiritu S. vngere, sanctum, donaque eius concedere, patet. 1. Thess. IV. 8. Ioh. XX. 22. XIV. 26. XVI. 7. Rom. VIII. 15. seq. 2. Cor. I. 22. Ioel III. 1. 2. Gal. IV. 6. Luc. XI. 13. Ergo quia & Christus & sancti, Sp. S. eiusque donis vnguntur (§. pr. & 711.); hinc recte idem Christo & fidelibus est vnguentum; quod obseruat Psaltes XLV. 8. Hinc quia vnctio per fidem perficitur (per antec.) omnes, qui fidei productionem impediunt; & vnctionem reuera impedire, patet. Ioh. XIV. 17. Gal. IV. 6. Denique per renouationem vita spiritualis augetur; ergo per eam vnctio augetur quoque.

§. 928.

§. 928. Vnctio fit per fidem (§. pr.). Qui vero fide praeditus, est etiam illuminatus; ergo & vnctus. 1. Ioh. II. 20. seqq. Fides accenditur augeturque *verbo* & *sacramentis* (§. 824.); ideo hisce mediis in vnctione hominis, DEVS vtitur. Et quia vires spirituales fidesque augeri potest, frequenti attentaque verbi diuini lectione, ceterisque mediis & adminiculis (§. 914.) propositis; adminiculis istis ad augendam vnctionem, DEVS homoque vti valet.

§. 929. Ex viribus ergo in vnctione acceptis, videre licet, qua ratione sancti atque fideles *erudire alios*, pro se aliisque *orare* 1. Tim. II. 1. & se, suaque corporis membra, omnlaque, quae a DEO acceperunt bona & spiritualia & corporalia, in gloriam DEI, aliorumque perfectionem DEO offerre possint 1. Pet. II. 5. Rom. VI. 13. XII. 1. XV. 16. Ebr. XIII. 15. 16. Iac. II. 15. quae vero cum essent in V. T. *sacerdotum* (per def.); per *vnctionem*, fideles, hodie *sacerdotes*, sed spirituales esse, liquet. Nonne vero ob eandem illam vnctionem, hostes suos spirituales partim *debellare*, partim *vincere*, est obstrictus? Nonne etiam adfectibus suis, omnibusque mentis facultatibus *imperabit*? Quae cum sint officia *Regis* (§. 397. I. N.); per vnctionem spiritualem, ad Reges spirituales perti-

pertinere sanctos, negari nequit 1. Pet. II. 9. Ita ex eadem vnctionis, collataque *Prophetarum* notione (§. 710.), & Prophetas spirituales, fideles esse elucet. Diuinam enim voluntatem, vti Prophetae V. T. docent, atque inculcant, errantesque reducunt in viam & quae sunt alia 1. Cor. XIV. 3. 39. 1. Thess. IV. 18.

§. 930. In vnctione fideles, vires accipiunt spirituales & ipsum Sp. S. (§. 927.). Quoniam vero hoc modo continuo in bono crescunt (§. 907.), bonasque in se infallibiliter sentiunt actiones, ex quibus fidem certissime concludunt (§. 1. de Ph. in gen.); Spiritus S. datus etiam est, vt certi, de fide, aliisque, quae inde sequuntur, regeneratione sc. iustificatione, vnione mystica 1. Ioh. III. 23. 24. IV. 13. renouatione etc. reddantur (§. 80. Ont.). Quum itaque *sigillum*, signum sit, quo alter, cui datur, certior de re aliqua esse possit; Spiritus S. recte fidelium vocari potest sigillum; fideles vero Sp. S. obsignati Eph. I. 13. IV. 30. 2. Cor. I. 22. quod ex Graecorum, seruos obsignandi consuetudine, etiam declarari potest. Et quemadmodum per fidem, vitam adipiscimur, a DEO nobis *promissam*, aeternam; Spir. S. nobis etiam a DEO datus est, vt *promissi* huius etiam reddamur certiores. Res ad promissi

promissi obtinendi certitudinem nobis data, *pignus* dicitur, seu *arrha*. Spiritus ergo S. pignus & arrha, rectissime dici potest. ll. cc. Renouatis ergo tantum, pignus est, minime vero irregenitis, quippe qui nec fide praediti, nec vitae aeternae participes fieri possunt. Ioh. III. 16. seqq. Hinc pignus, & obsignatio haec tamdiu durat, quamdiu in homine adest fides. Eph. IV. 30. Ergo cessante fide; & obsignatio haec cessat & pignus. Ergo quia regeniti, qui fide, quae a DEO (§. 817.), collustrantur (§. 864.), tantum *subiectum obsignationis* quod habentur (per antec.), obsignatio haec fit a DEO; & quidem Trinuno; quia opus ad extra (§. 140.).

§. 931. Dum Sacerdotes, Reges & Prophetae sunt fideles (§. 929.); vncti praeterea, vt vitam aeternam consequantur (§. 927. 930.); non potest fieri aliter, quam vt media, ad finem, qui salus ipsis aeterna, adplicent conuenientissima. Habitus eiusmodi, sapientia audit (§. 102. Pn. oc.). Fideles ergo *sapientia* praediti sunt *spirituali*, quae habitus est, ea adplicandi media, quibus salutem aeternam consequantur; 1. Cor. II. 2-7. & quidem *practica*, qua reuera & actu media ad istum finem adplicant, quia fidem habent, ex quibus B. O. necessaria (*Büttneri Curs. Theol.*) Aaa fluunt.

fluunt. 1. Cor. I. 30. Per fidem ergo homo *practice* sapiens, fieri omnino potest. Hoc ergo in casu *sapiens* etiam est *theoretice talis*, h. e. qui media ad istum finem adplicare *nouit*. Quoniam itaque per doctrinam euangelii, media, vitam acquirendi aeternam, discimus (per def.); per euangelium theoretice sapiens, fieri potest homo. Hinc *sapientiam, Paullus* Euangelium vocat. 1. Cor. II. 2-7. Sed sine mediis non potest obtineri finis (§. 80. Ont.). Hinc saluando, necessaria est sapientia spiritualis, & practice & theoretice talis; quae omnia, hoc loco ex fide proueniunt (per antec.); quapropter eadem sapientiae spirit. *causa impulsiua*, & *finalis, efficiens principalis*, & *ministerialis*, eadem media *fere* etc. quam fidei deprehenduntur (§. 818. seqq.). Ex quo vlterius sequitur: O. qui non in Christum credit, inter *stultos spirituales* esse referendum; siquidem fini adplicant media contraria; saluus sine fide dum fieri potest nemo (§. 816.). Fides vero fundatur in fiducia erga Christum (§. 817.). Qui ergo extra Christum fiduciam in re quadam ponit, inter spirituales pertinet stultos. Hinc non *Pharisaei* ceterique Iudaei, prioribus & nostris temporibus, *Graecorumque Philosophi* solum, sed *Naturalistae* & *Atheistae* Ps. XIV, 1. etiam inter spirituales stultos recte referuntur. 1. Cor. III. 19. 20.

Omnes

Omnes ergo qui necessitatem quaerendi in Christo salutem, non perspiciunt, quamuis lynceis oculis essent prae aliis rationemque summam, quae tamen non est, habere videntur, sunt spirituales stulti. Hinc intelligis Paullum 1. Cor. II. 6. 14. III. 18. 19.

§. 932. Verum quia optima ad finem media electa non sufficiunt, nisi ad actum deducantur; habitus etiam in renouato ad vitam aeternam contendenti existat est necesse, exequendi, quae sapienter ad vitam aeternam decreta fuerunt; qui *prudentia* dicitur *spiritualis* Matth. X. 16. XXV. 1. seq. Luc. XII. 42. XVI. 8. 9. (§. 50. Eth.). Ergo per ea, quae (§. 916.) dicta sunt, remouere obstacula potest prudens spiritualis; quae a mundo, carne atque diabolo ipsi obiiciuntur. Hinc, quia finis per prudentiam obtineri quoque debet; non finem solum semper sibi ob oculos ponat; sed omni nisu obstacula remoueat; bonaque, quae *forte* ipsi obueniunt, ad finem consequendum, adplicet, est obstrictus. 1. Cor. IX. 24-26. Phil. III. 19-25. Quae omnia vero *circumspectione spirituali* seu cura, qua nihil admittimus, ex quo in rebus spiritualibus damnum oriri posset, cum obtineri quoque queant; vt circumspectionem (Fürsichtigkeit) hancce adhibeat, renouato etiam incumbit. Eph. V. 15.

Verum & *dogmata* falsa, & *actiones* in damnum cedere (§. 850.); damnum praeterea vel *nostri* respectu, vel *aliorum*, oriri potest, dum scandalum facile exiitit (§. 386.); ergo ad vtrumque est respiciendum; adeoque vel *dogmatica* est, vel *practica*. Quemadmodum vero ipsa re nil, quam prudentiae aliqua species; ita non alia etiam & hic, quam supra (§. 916.) commendanda sunt media.

§. 933. Eo ipso autem, dum sapiens, prudens, & circumspectus est homo renouatus (§. 931. seq.), magis se magisque a peccatorum *dominio* liberabit, quale studium gratiae, quia viribus, renouato inhaerentibus (§. 913.), perficitur, *purificatio* dicitur *inhaesiua*: quatenus vero renouatus, liberatur a reatu peccatorum, *imputatiua vocatur*; ita vt *purificatio spiritualis*, liberatio sit a peccatis; adeoque purificatus, recte *corde purus* nominetur. Matth. V. 8. Ebr. IX. 14. Iac. IV. 8. 2. Pet. I. 9. 1. Ioh. I. 9. Eph. V. 26. seqq. Inhaesiua ergo, quia dominium peccati debilitatur *continuo* per renouationem; *initium* vero fit per regenerationem (§. 853. 907.), quae fidem supponunt (§. iam cit.); per fidem obtinetur Act. XV. 9; & quidem quoad *initium* per regenerationem; respectu vero *continuationis*, per renouationem. Et quia in iustificatione nulli adsunt gradus, qui tamen in renouatione negari nequeunt

(§. 895.

(§. 895. 915.); gradus in purificatione, pro diuersa eius specie dari, liquet; ita vt, quia & iustificatio & renouatio perdi potest, & recuperari (§. 901. 915.); & purificatio & perdi & instaurari, immo & *conseruari* queat; quod ex sequentibus patebit. Denique non opus est, vt de purificationis *caussa efficiente, impulsiua & finali, subiecto quod & quo,* aliisque dicamus; cum, quia in iustificatione & renouatione fundatur, eadem sint statuenda.

§. 934. Purificatio quia liberatio est a peccatis (§. pr.), & homo renouatus, continuo in sanctitate crescit (§. 901.); DEVS, vt renouatis maneat fides, facit, qui actus *conseruatio fidelium*, seu *gratia conseruans* dicitur. 1. Thess. V. 23. Phil. I. 6. DEVM vero & quidem Trinunum, quia opus ad extra (§. 140.), caussam efficientem esse, ex eo facile patet, quia virium, in renouatione nouarum collatio est a DEO (§. 912.), *appropriatiue* vero, vtpote cui sanctificatio tribuitur (§. 941.), Sp. S. Conseruatio enim nil est aliud, quam continuata sanctificatio, seu maior in sanctitate gradus. 1. Thess. V. 23. Ioh. X. 27. 28. Rom. VIII. 26. Hinc ob Principium Reductionis (§. 86. Psych.), iisdem vtitur *mediis,* Verbo scilicet & Sacramento Coenae (§. 914.); Baptismus enim ad genesin fidei pertinet (§. eod.). Psalm.

CXIX. 11. Matth. VII. 24. seq. Eph. VI. 17; itemque iisdem *ministris*, & *ordinariis*, ecclesiae scil. *ministris*, Ebr. V. 13. 14. & *extraordinariis*, omnibus hominibus, Prophetis spiritualibus (§. 921.), qui & *docendo*, & vitae sanctitate, aliorum conseruationem promouere possunt. Ebr. XII. 12. 13. Ergo ob idem principium *caussae impulsiuae*, *interna* & *externa*, eaedem sunt (§. 914.), cui, quia pro fidelibus intercedit Christus, eius interceſſio, recte etiam adiungitur. 1. Pet. V. 10. Rom. VIII. 34. Luc. X. XII. 32. Ioh. XVII. 20. Quis vero hac ratione idem non intelligit *subiectum quod* Rom. V. 1. seq. & *quo* 1. Thess. V. 23? cet.

§. 935. Etsi vero hominem conseruet DEVS (§. pr.); hostes tamen spirituales, P. O. quod deponi non potest (§. 418.), Diabolus (§. 421.), & mundus (§. 420.) nullo non tempore fidem nostram destruere allaborant. Hinc quia viribus atque motiuis, quae obiiciunt, fortiora opponenda (§. 916.), quae accipimus a DEO (§. 912.); viribus DEVS instruere renouatos debet, quibus contra hostes spirituales pugnare queant; cum vero hoc, *praemunientem gratiam*, ex vsu etiam loquendi, dicamus; & hanc gratiam necessariam esse, liquet. Iac. IV. 7. 1. Ioh. V. 4. 2. Thess. III. 3. Ita vero hostes nostros certo

certo vincere possumus (§. 916.), quo ipso fides nostra nec debilitatur, nec euertitur, sed potius conseruatur (§. pr.). Per gratiam ergo praemunientem, in fide renouatum conseruari, palam est. Nouis vero, per gratiam praemunientem acceptis viribus, non potest non crescere in homine fides; qui DEI actus, *gratia* dicitur *confirmans* seu *corroborans*, adeoque non neganda 2. Cor. I. 21. 22. Quodsi vero nouis istis, fides nostra *continuo* augetur; *gratia* vocatur *locupletans*, quae maior est gratiae confirmantis gradus, aut, si mauis, species. Ies. XL. 29. seqq. Col. I. 9. seqq. Ergo per gratiam confirmantem & locupletantem, conseruatio fidelium peragitur quoque (§. pr.). Denique hostes spirituales, fidem nostram variis modis infringere vel destruere quia laborant (§. 418. seqq.), renouati fidem vacillantem, ad gradum altiorem rursus euehere nititur DEVS, quod *gratia excitans*, & in specie, si id in tentationibus fieri solet, *consolans* dicitur. 2. Cor. I. 3. Per excitantem ergo & consolantem, quia fides in renouato subsistit, eam conseruat DEVS. Quemadmodum vero sic variis modis quod suum praestat DEVS; ita, vt fides in homine conseruari queat, ipse nec negligere potest. Conseruatio vero fidei est eius finis, qui per media obtinetur (§. 80. Ont.). Mediis ergo (§. 934. & 914.)

non solum 1. Pet. II. 2. Psal. I. 2. 3. Rom. IV. 11. 1. Ioh. V. 8. sed &, quae (§. 916.) ad *augmentum* fidei adduximus, quo ipso fides in homine conseruatur, vti debet; qualia sunt *pugna* aduersus hostes. Eph. VI. 10. 11. *victoria*, 2. Tim. IV. 7. 8. *vigilantia*, Matth. XXVI. 41. δοκιμασια 1. Ioh. IV. 1. Porro *sapientia* (§. 931.), *prudentia* & *circumspectio* (§. 932.), itemque *purificatio* (§. 933.), huc pertinet; quibus, indefesso conatu, ad fidei pietatisque incrementum contendere, omnesque fidei scopulos, peccandique occasiones declinare poterit homo; cui addas velim *preces*, quibus auxilium DEI implorare omnino potest. Matth. V. 6. VII. 7-11. XXVI. 41. Luc. XVII. 5. Psalm. XVII. 5. & *poenitentiam quotidianam* (§. 914.); aliaque in Theol. Mor. explicanda.

§. 936. Quodsi, quae §. pr. dicta sunt, & DEVS & homo adplicat; non potest non fieri aliter, quam, vt in talem renouatus perueniat statum, in quo fides eius conseruata permanet, quem, *perseuerantiam fidelium* vocant. Q. enim conseruatur; permanet certissime. Quodsi continuatur ad finem vsque huius vitae, *finalis* dicitur Act. VII. 59. 60. Apoc. II. 10. 2. Tim. IV. 7. 8. si non; *temporaria*. Matth. XIII. 20. 21. Marc. IV. 17. Luc. VIII. 13. 1. Tim. I. 19. 20. Porro gra-

graduum ratione diuidi potest, in *aequalem*, qua fidei gradus non imminuuntur; & *inaequalem*, vbi imminuuntur. Denique finalis est, vel *continua* seu *inceſſabilis*, quae ad finem huius vitae durat, sine intercedente lapsu; quae non, *discontinua* est seu *interrupta*: quae ergo non ratione *totius termini* PER *quem*, sed *solius termini* AD *quem*, sine contradictione, ita adpellari potest; de quarum possibilitate & existentia, iam dicendum. Temporariam & discontinuam, qui, & reiterari & amitti fidem posse, perpendit (§. 829.), nemo certe negabit. 2. Sam. XI. 2. seq. XII. 13. X. IV. 1. seq. Quoniam itaque per peccata voluntaria & proaeretica amittitur fides (§. 829.); temporaria sic fit fidei perseuerantia, quae, quia fides tantum finalis saluat (§. 829.), ad salutem non sufficit; sed finalis potius requiritur. Ebr. X. 35. Verum inuoluntaria peccata fidem non extrudunt (§. 829.). Ergo, qui talia committunt, quia hac ratione nondum oritur lapsus; continua tamen, gaudere possunt. Denique aequalis, quia renouatio nostra & B. O. imperfecta (§. 922.); vix statui poterit. Quibus obseruatis, positoque controuersiae statu, facile quaestionem: *num perseuerantia fidelium possibilis sit & existat*, diiudicari potest. Sermo itaque non est a) de *peccatis inuoluntariis & infirmitatis*, b) nec de *aequali*, nec *interrupta*: sed

de c) inaequali & praecipue finali continua. Quoniam 1) itaque vires mediaque ipse DEVS ad perseuerantiam concedit sufficientissima, ipseque 2) homo, per gratiam DEI, varia ad finem istum adplicare potest (§. pr.) Matth. XIII. 12. 2. Thess. III. 3. 1. Pet. V. 10. Rom. VI. 14. praeterea etiam 3) DEVS ipse, *viribus concessis*, in V. & N. T. iniungit Dent. V. 32. Ioh. VIII. 31. Act. XI. 23. XIV. 22. Rom. VI. 9. 10. 11. 1. Cor. IX. 24. X. 12. XV. 58. XVI. 13. 2. Cor. VI. 1. VII. 1. Ebr. III. 12. 13. 14. XII. 12. 13. Apoc. II. 10. porro 4) omissio perseuerantiae, maximo cum damno est coniuncta Ezech. XVIII. 24. 2. Pet. II. 20. 21. 22. itemque 5) maxima fiducia in renouatis speque maxima Apostoli exspectarunt 1. Cor. I. 4-8. Phil. I. 6. 1. Thess. V. 23. 24. denique 6) ipsa exempla prostant Gen. V. 22. ne de *Abrahamo*, *Isaaco*, *Iacobo*, *Mose* Psal. CVI. 33. & *Samuele* dicam; ideo perseuerantiae huius existentia & possibilitas, recte negari nequit. Fortassis putas Gen. V. 22. non rite statum huncce probare; quia Gen. VI. 9. eadem de Noacho dicuntur, qui tamen Gen. IX. 9. vt peccator describitur. Verum a) loco priori tempus, quod non in posteriori, exprimitur; b) quaestio est omnino: num ebrietas, quae praeter spem & voluntatem eius oriebatur, inter pec-

peccata, quod negamus, *proaeretica* sint referenda? id quod ex praedictis, benedictione & Anathemate, inflatu DEI, quod euentus declarat, peractis, patet. Addimus praeterea *Iohannem* Luc. I. 80. coll. Matth. XI. 7-14. *Simeonem* Luc. II. 25. *Hannam* Luc. II. 37. *Paullum* 2. Tim. IV. 7. aliosque. Sunt quidem, qui nostram thesin negant 1) ex 1. Reg. VIII. 46. vbi hypothesis: *traditio* scil. *in manum hostium*, & theseos de peccatis proaeretis, vti concludunt, loquentis, veritatem demonstrare videtur. Verum, non semper eadem, quae in thesi sunt, hypothesin etiam continere, ex regulis hermeneuticis, quis ignorat. Nonne interdum thesis de re loquitur in *genere*, hypothesis in *specie*? Ita vt hoc loco sensus sit: Nemo est, qui non peccet. Quodsi ergo quidam infirmi, aut malitiose & proaeretice peccantes deprehendantur, qui etc. Locus ergo perseuerantiam nondum destruit. 2) Ab exemplis Sanctorum; sed a particulari ad Vniuersale non valet consequentia; nonne & in contrarium adduximus exempla? Sed ipsa illa, e. g. *Abrahamus* Gen. XX. 2. seqq. *Paullus* Act. XV. 37. seqq. aduersariorum probare videntur sententiam. Sed infirmitatis tantum fuerunt, non proaeretica. Abraham enim pro Abimelecho, si proaeretica fuissent, preces ad DEVM, qui ipsas Abra-

Abrahamo iniunxit, fundere non potuisset Ioh. IX. 31. Et ita etiam de Paullo, qui, a fratribus, qui hoc conscientia recta facere alias non potuissent, gratiae diuinae commendatus fuit, est dicendum. 3) Bonas illas, in sacris litteris de renouatis praedicatas actiones, de *conatu*, non *euentu* esse intelligendas. Verum ex qua regula interpretationis haec verba fluant, non video; dum contra contextum finemque DEI, quem sibi proposuit, asseruntur. 4) Rom. VII. 15. seqq. Contextus vero docet, Apostolo non de actionibus aut cogitationibus *proaeretice malis*, sermonem esse, contradictio alias quia esset, si nesciret, quae faceret; sed de sensationibus & cogitationibus ex *improuiso* & praeter *spem & voluntatem* ortis, quae negari non possunt (§. 11. Psych.); quas non defendere ait. 5) a potentia, etsi hanc sancti habeant, ad actum, non valere tamen consequentiam. Verum non *potentiam*, sed *vires* ad perseuerantiam a DEO acceperunt. Vbi vires, nisi adsit impedimentum, actio sequitur omnino (§. 55. Ont.). Si non; ratio impedimenti, vel in DEO lateret; vel extra eum. Adsume illud; & contradictionem videbis. Quodsi enim ipse impediret DEVS, quid opus esset gratia praemuniente, corroborante, locupletante etc. (§. pr.)? Sed extra DEVM for-

fortasse quaeris. Tunc vel in homine, vel hostibus. Prius concedi non potest, viribus quia instructus est sufficientissimis (§. pr.), quae omnia impedimenta remouere possunt. Ergo in hostibus? Quid obiiciunt vero, quibus perseuerantiam impedire student? *Motiua.* Aliter enim voluntas nostra & adpetitus flecti non potest (§. 130 Psych.), nec aliter, nisi rationibus, intellectus (§. 202. Log.). Vel in opere redemtionis, vel in caducis illis, atque rebus laruatis & apparentibus (alia enim hostes nostri arma non habent), motiua deprehenduntur fortiora? Sane in priori, quod omnes concedunt. Ergo vbi motiua fortiora, ibi flectitur voluntas & actio oritur (§. 131. Psych.); adeoque impedimenta nullam contra ea habere vim possunt. Quare ergo dubium moues? Noua haec, ad perseuerantiam probandam, mihi via videtur. Nonne etiam peccatum sic praeponderaret gratiam? Posletne homo vnquam suae salutis esse certus? Ne de excusatione proaeretice peccantium: lapsum praecauere, omni etiam studio, non potuisse, dicam. De Adamo uero instantia quorundam, nil probat? Cur enim viribus non est vsus? 6) 2. Cor. IV. 16. 1. Thess. IV. 19. Phil. I. 9. Sed de gradibus & continuatione renouationis est sermo. Denique ex vsu huius doctrinae, oppositaeque damno, analo-

analogia huius, cum fide & veritate, deduci potest. Nam negata perseuerantiae doctrina, 1) praeiudicium in Christianismo: ac si labi & surgere, seu stare, necessarius esset Christiani status, alitur omnino; ex quo 2) de vera vitae conuersione, *serio* nunquam, aut raro tamen, est sollicitus talis; id quod etiam 3) de conuersis valet, qui priorem reliquerunt amorem. Ii enim eo fortiori atque diligentiori, cum tremore & timore pristinum recuperare rursus studebunt modo, quod alii curabunt parum. Ita etiam illi 4) eo maiorem in Christianismo diligentiam ardoremque ostendent; contra, qui perseuerantiam negant, teporem, incuriam & acediam produnt. Hac porro 5) ratione, certitudo salutis nostrae, contra Pontificios difficile & difficulter defendi potest. Et quia 6) ardor in docente vacillat, & in discente, dum poenitentiam, quam nunc agunt, incertam habent; nullaque 7) doctorem inter, perseuerantiam negantem; & Christum, Apostolosque similitudo; quippe qui ad perseuerantiam semper auditores sunt adhortati; ideo & opposita sententia, his etiam ex rationibus reiicienda, (ad minimum *tutior* est nostra), videtur. Interim haud raro exempla perseuerantiae interruptae, DEVS iusto iudicio permittit; partim, vt alii in vigilantia sua spirituali

crescant,

crescant, & ad humiliationem coram DEO, salutemque in solo Christo quaerendam, eo vehementius impellantur; partim magis magisque a peccatis caueant sibi (§. 80. Ont.). Nil ergo, quam, vt de eius opposito, *Apostasia* scil. aliquid dicamus, restat. Est ergo, *continuatus* (per quod a lapsu distinguitur) recessus a fide, sciens & volens peractus. Cum fide vero inseparabiliter coniuncta est sanctimonia vitae (§. 827.). Ergo vel a doctrina vera recedit tali modo, homo, quae *dogmatica;* vel sanctitate vitae per peccata proaeretica, quae *moralis.* Ebr. III. 12. 13. 1. Tim. IV. 1. I. 19. 2. Pet. II. 20. Quodsi ab articulis fidei fundamentalibus sic recedit; vocatur *fundamentalis,* in casu opposito, *non fundamentalis* (§. 133. Proleg.). Et quoniam hic status vel ad tempus, vel ad vitae finem durat; hinc in *finalem* & temporariam; nec non in *continuam* & *interruptam* diuidi posset. Interdum vero & *strictiori,* Apostasia sumitur sensu, pro recessu a coetu, veram doctrinam profitente, e. g. ad Paganismum, aut Iudaismum. Quum itaque fides tantum finalis saluat (§. 829.); Apostasia finalis, & continua, eaque dogmatica fundamentalis, & moralis, quia fides cum peccatis consistere nequit (§. 827.), damnat, omnibusque ex fide prouenientibus bonis, regeneratione scil. iustificatione,

catione, sanctificatione, cumque his connexis, priuat; adeoque maximum nobis affert damnum. Quoniam vero post Apostasiam non fundamentalem, temporariam & interruptam, fides, rursus hac in vita excitari potest (§. 829.); has species non statim damnare, liquet. Luc. XV. 11. seqq. Nemo vero ex hoc, quia vitae nostrae finis est incertus, in Apostasia perseueret; media potius (§. pr.) commendata, quibus a falsis doctrinis, peccatisque proaereticis sibi cauere potest, ne in Apostasiam labatur, adplicet; aut, peccata proaeretica commissa, per poenitentiam magnam, moraliter infecta rursus reddat (§. 875.).

CAPVT XVI.

DE ELECTIONE ET REPROBATIONE.

§. 937.

Neminem, nisi Regenitum aut fide praeditum saluari, supra demonstrauimus abunde (§. 892.). Quum vero Decreta DEI sunt aeterna (§. 76. Th. N.), & quae DEVS facit in tempore, ab aeterno decreuit (§. 67. l. c.); fidelium iam ab aeterno, nominatimque eorum, qui perseuerant vsque ad vitae finem, salus est decreta.

Decre-

Decretum vero de conferenda salute æterna, quos DEVS in Christum finaliter credituros præuidit, dicitur *Electio*, seu *Prædestinatio*: quæ adeo negari nequit. Ex oppositio ergo intelligi etiam *Reprobatio* potest, eiusque demonstratio. Nam quia, qui fide non praediti sunt *finali*, saluari non possunt (§. 892.), adeoque damnantur (§. 148. Th.); ab æterno eorum damnatio etiam est decreta; vt itaque *Reprobatio*, decretum DEI sit de condemnandis, quos DEVS in Christum finaliter non credituros, præuidit. Electio etiam προορισμὸς Eph. I. 5. Rom. VIII. 29. 30. nec non *inscriptio in librum vitæ*, dicitur, de qua tamen infra. Reprobatio vero modo *genuino*, nominatur *abiectio* Ioh. XV. 6. *Defractio* Rom. XI, 19. seq. ἀποδοκιμασία, *deletio e libro vitæ*, sec. quosdam, non inscribendo, *negatiua* Psal. LXIX. 29. *Spuria* vero reprobationis synonymia est, *prædestinatio ad mortem*. DEVS enim omnium vult salutem (§. 457.), adeoque finis eius reprobatio constitui nequit. Quis itaque, cum nullus, si de *personis* sermo, tamen in Sc. S. locus probans reperiri possit, *prædestinationem*, vt *genus* Electionis & Reprobationis *commune*, adsumeret? Act. enim IV. 28. de Christo, eiusque destinatione ad satisfactionem DEO præstandam; non vero de Regenitorum vel irregenitorum ad salutem, vel damnationem, verba

loquuntur. Nonne sic DEO tibueretur damnatio? Absurdum. Quod vero ad Prædestinationem & προορισμον attinet; vi vocis particulæque προ aut *præ*, destinationem subiecti denotat ad certum finem, antequam ipsum existit. Et quoniam ex tam magno hominum numero, fideles tantum elegit (per ant.); ita recte etiam *electio* dici potest. Rom. IX. 5. Matth. XX. 16. 2. Thess. II. 13. Quemadmodum vero non vnico exprimitur vocabulo; sic etiam non vnico sensu. Interdum enim *ecclesiastico* sumitur & *minus accurate*, pro totius Oeconomiæ salutis ab æterno definita ordinataque dispositione & processu constituto, ipsaque etiam, vti ακυρως a quibusdam, respectu forte malorum 2. Pet. II. 4. Angelorum factum est, gratia vniuersali; vid. F. C. art. XI. interdum vero *biblico* & *accuratiori*, pro decreto de hominibus quibusdam, in statum gratiæ aut gloriæ etiam, recipiendis, quorum prior *electio ad gratiam, incompleta*, formalis; posterior, *ad gloriam, completa*, finalis, nonnullis dicta est. Ioh. XV. 16. Eph. I. 4. seq. Col. III. 12. Rom. VIII. 29. seq. XI. 2. 7. Matth. XXII. 14. vid. ZELTNERI Tab.

§. 938. Prædestinatio & Reprobatio est Decretum DEI (§. pr.), eiusque voluntas (§. 82.), adeoque opus DEI (cuius obiectum homines

homines sunt saluandi & damnandi) ad *extra* immanens, tribus personis commune (§. 140.); ita tamen vt plerumque Patri, sec. Oeconomiam personarum in hoc negotio *dicasticam*, adscribatur. Eph. I. 3. 4. Rom. VIII. 29. Ioh. XV. 19. 2. Thess. II. 13. Rom. XI. 1. seq. Recte ergo DEVS Trinunus, quia libere hic agit, *causa* & Reprobationis & Prædestinationis *efficiens*, dici potest; & quidem, quia ab effectu realiter vt causa, non differt, adeoque nostro concipiendi modo tantum causa dicitur, *virtualiter*, non *formaliter* talis.

§. 939. Electio & Reprobatio est æterna (§. 937.), Eph. I. 4. et eorum quidem, qui vel fide finali prædíti sunt, vel ea destituti (§. cit.). Quoniam vero quodlibet indiuiduum humanum, fide ornatum est, siue minus; prædestinatio hominum est *certorum indiuiduorum*, ab æterno facta, ad salutem electio. Si ergo *determinate sigillatim* & *distincte* Eph. I. 4. 5. Matth. XXV. 34. Ioh. V. 24. III. 18. Rom. VIII. 29. Apoc. XIII. 8. 2. Thess. II. 13. e. g. Petrum, Paulum saluare, Iudam vero aliosque damnare DEVS decreuit; non *generatim* tantum, quosdam saluare, alios damnare decreuit. Errant ergo *Sociniani*, qui *certorum indiuiduorum* electionem esse negant; nullo alio, quam nega-

tione præscientiæ futurorum contingentium, ducti, principio, quam (§. 44.) iam stabiliuimus. Probant quidem 1) Matth. XV. & Rom. VIII. prædestinationem esse *generalem* eorum, qui esurientem pasturi, DEVMque dilecturi sunt. Sic enim *præscire* nil esse, nisi antea probare. Qui vero tales sint, ex euentu patere, ita enim rationem reddi Matth. XXV. 35. Resp. Si maxime scientia approbatiua intelligatur Rom. VIII. tamen *præscire aliquem*, non *est* in genere aliquod factum, sed *hominem a facto, probare*: adeoque indiuiduorum certorum est præscientia & praedestinatio. Deinde destinatio Regni intraturis Matth. XXV. dicitur in *indiuiduo* facta esse ab aeterno, cuius subiecta ratio a pastione esurientis, non adplicationem decreti, ex euentu demum certam, sed *iustitiam tantum analogicae retributionis ostendit.* 2) Eph. I. 4. non indiuidua certa, sed *generaliter* Christianos intelligi. Resp. Neg. Paullus enim illud pronomen primae personae i. e. se & socios Apostolos, iis, ad quos scribit, Christianis, opponit Eph. I. 13. 2. Thess. II. 14. 3) Electionem indiuidualem necessario post vocationem sequi, quia inter vocatos instituitur electio Matth. XXII. 14. Resp. Non id Christus l. c. sed *ex vocatis* aliquos esse (ab aeterno) electos, dicit. Errant ergo & *Remonstrantes*, qui de particularibus personis

nis & singulis quidem, aeternum huiusmodi decretum admittendum esse, negant; quorum fluctuationis rationes sunt: 1) Si DEVS de hominibus ante secula, fixi aliquid constituerit, nihil causae esse, cur illa, de Christo mittendo, fidelibusque beandis decreta vsque adeo supra reliqua extollantur, hoc nomine quod aeterna sint. Resp. Haec dicta Decreta non ideo prae ceteris extolluntur, quod aeterna, sed quia particularium, de singulis perseueranter credituris, sunt *fundamenta*. 2) Si aeterna sunt, nihil supereſſe, quod amplius decernat; neque imposterum quid, nisi inconstantiae notam subire velit, decernere posse. Sed concedere possumus totum argumentum, quia vnicum tantum DEI est Decretum (§. 77. Th. N.). 3) Indignum DEI misericordia, si de hominum factis, antequam facta, sententiam ferat, malosque damnet, antequam exitium commeruerint. Resp. Sed DEVS *certo* hominum actiones praeuidit; quas itaque tanquam praesentes considerare potest. 4) Spinosam & intricatam esse quaestionem, quae a Scholis & Ecclesiis facessere debeat. Resp. *Arduam* esse concedo, sed nec *insuperabilem*: quia *distincte* Sc. S. docet; nec *inutilem*: quia nos de Decretis diuinis, instruit, omniscientiam diuinam aeternamque, de singulis nostrum, curam illustrat,

omnesque vt electionem nostram firmam reddamus, exstimulet 2. Pet. 1. 10. solatioque perfundit.

§. 940. DEVS salutem quorundam ab aeterno iam decreuit (§. 937.); adeoque perfectos, immo quantum potest, perfectissimos reddere voluit, quod cum sit *bonitatis* (et quia e miseria eos liberare studuit), *misericordiae* (§. 89. 92.); *causa impulsiua interna*, recte gratia seu bonitas et misericordia DEI statuitur 2. Tim. I. 9. Sed certa tantum indiuidua elegit (§. pr.). Ergo id vel sine; vel cum ratione elegit. Prius ob sapientiam, qua nihil frustra, aut sine ratione agere potest, conceditur a nemine (§. 54.). Ergo vel in ipso, ratio huius Decreti continetur: vel in homine. Si in DEO; vel in essentia, vel eius, vt nostro concipiendi modo loquar, attributis. Adsumis illud: Petrum saluare, Iudam vero damnare decreuit, quia est DEVS; quod absurdum; sic enim et Iudam saluare, et Petrum damnare potuisset, et tamen fuisset DEVS. Ergo in attributis? in quonam? Nonne e. g. DEVS misericors esset, siue Iudam saluaret, siue Petrum. Ad iustitiam si prouocas, damnatur, inquis, Iudas, ita vt puniatur. Sic vero ratio non est in DEO, sed in Iuda, tanquam in obiecto, quae ideo *rationes* dicuntur

tur *obiectiuae*. Si ad sapientiam prouocas? finem, si Iudae vitam concessisset aeternam fuisset consecutus, quam si Petro. Et sic etiam de reliquis, quae forte vt rationes adducis, attributis, est dicendum. Ergo fortasse in beneplacito DEI, rationem quaeris? quid vero per illud intelligas, dicas. Si voluntatem DEI; sensus est: Petrum saluat, Iudam damnat, quia vult. Sed haec autem sunt, quae ex te quaero, cur ita velit? Ergo ratio haec est nulla (§. 9. Prol. de Ph. in gen.). Quum itaque nulla in DEO huius decreti ratio inueniri queat (semper enim quaestio remanebit: cur DEVS ita velit?) *rationes subiectiuae*, quae in subiecto quod agit, continentur, omnino excluduntur, remanentque tantum *obiectiuae*. Si ergo in homine; vel ob *essentiam*, quod falsum, quia sic omnes, eandem essentiam habentes, vel damnarentur, vel vitam haberent aeternam: vel ob aliud. Quale vero? facilis iam est responsio. Nam, quia, quae in tempore fiunt, ab aeterno sunt decreta (§. 82. Th. N.) quod DEVM mouet ad agendum, id etiam mouet ad decernendum. Homo vero per fidem saluatur finalem; damnaturque ob απιστιαν (§. 829.). Fides ergo finalis ad Praedestinationem, sicut απιστια finalis, mouet DEVM, ad reprobationem. Eph. 1. 4. 2. Thess. II. 13. 2. Tim. 1. 9. 10. Quo-

niam vero fides in Christum, meritum eius atque satisfactionem actiuam supponit & passiuam, sine qua nulla existere fides potest (§. 816.); Christi meritum et satisfactionem, ad praedestinationem, etiam mouere DEVM claret. Eph. I. 3. 4. 5. Ebr. X. et XII. *In* enim saepe etiam, *propter*, reddi potest. Matth. VI. 7. Act. VII. 29. Denique, quia B. O. non necessaria sunt ad salutem (§. 922.), et imperfecta non solum (§. 922.), sed et ita comparata sunt, vt neque per ea iustificemur (§. 889.), nec semper, *externa* saltem, cum fide coniuncta esse debeant atque queant (§. 875.); B. O. ad praedestinationem DEVM mouere non posse, quiuis perspicere poterit. Ergo si non facta est ex operibus, sed intuitu gratiae diuinae, et meriti Christi (per antec.); ideo praedestinationem ex gratia factam esse, recte concludere possumus. Rom. XI. 5. Eph. I. 4. 5. 6. Quis vero, *Praedestinationis causam impulsiuam externam*, eamque *principalem*, meritum esse Christi; *minus principalem* vero, nostra ex parte *applicantem*, fidem esse finalem, negabit? Ita, quia ob iustitiam suam peccata punit, hominemque ob ἀπιστιαν damnat (per antec.); reprobationis *impulsiua interna*, *iustitia* est *diuina vindex*; *externa* vero ἀπιστια (§. 70. Ont.). Ioh. III. 18. 36. coll. 1. Cor. IX. vlt. 2. Cor. XIII. 5. Prov. II. 18.

Dum

Dum *applicantem* fidem dicimus; ad Theologorum quorundam, in verbis et terminis tantum, orta dissidia, respicio; dum alii *causam* decreti electionis, fidem dicere recusarunt, quia facile tanquam *meritoriam*, considerare possemus: alii hinc fidem, *ordinem*, seu *conditionem* tantum *ex parte obiecti eligendi praerequisitam*, nominare maluerunt. Si vero dicendum, quod res est, res redit ad Logomachiam. Fides enim, vt recte *Musaeus* iudicat, sese habet, vt ratio decernendi, seu cuius intuitu, voluntas DEI sese determinauerit, ad hos prae illis eligendos, nec tamen vlla *sua propria* dignitate, bonitate, pretio et valore; sed principalis causae vel rationis impulsiuae. Quapropter recte *Meisnerus* in Anthropologia: eligimur non *ad* fidem, vt terminum; non *propter* fidem, vt meritum; sed *per* fidem tanquam medium; vel *in* fide tanquam parte ordinis praedestinatorii. Ita etiam quaestio oritur; an per *solam* απιστιαν ad reprobandum moueatur DEVS, an vero per alia etiam peccata? Hinc distinguendum alii praeceperunt: inter causam impulsiuam externam seu meritoriam, *remotam* et *mediatam*, quae reliqua peccata; Orig. et non connata, Rom. VI. 23. Gal. V. 20. 21. et *proximam* seu *immediatam*, quae απιστια; acurataque haec distinctio videtur. Nam quia hodie sub foedere gra-

tiae homo comprehenditur; vbi fidei lex ipsi iniungitur; peccata, ex foederis huius transgressione orta, ad legem foedusque, in quod talis homo recidit, operum pertinere videntur; qua ex ratione, homines finaliter ἀπιστοι, *obiectum reprobationis* Rom. XI. 7. seqq. II. cc. contra praedestinationis, quia fides causa impulsiua minus principalis (per antec.); ad finem vitae credentes, ab aeterno *sigillatim* praecogniti, qui alicui propterea a Paullo ἐκλογη Rom. XI. 7. dicuntur.

§. 941. Quoniam ergo fides finalis mouet DEVM ad praedestinandum (§. pr.); errant I.) et *Pontificiorum*, et *Scholasticorum* nonnulli, *aliique*, qui hoc negant, et probant 1), quia *effectus* electionis, fides scil. Act. XIII. 48. Ioh. X. 26. ratio non esse potest mouens DEVM, ad faciendum electionis decretum. Resp. non est effectus *electionis*, sed *renouationis*. Act. XIII. 48. vero de dispositione in tempore, sed non de electione agit; deinde non est in textu: *quia*, sed *quotquot*. Ioh. X. vero, vocabulum *quia*, non causam exprimit, sed rationem consequentiae a posteriori, vti Luc. VII. 47. Nec *Lutheri* praefationem Epist. ad Rom. contra nos adducere poteris, qui fidem ex electione fluere, dicit. Sumit enim ibi electio-

electionem in sensu latiori, nos vero instrictiori (§. 937.). 2) donum DEI, quale fides (§. 816.), non potest DEO causa impulsiua esse. Resp. Negatur consequentia; nam quod DEVM mouet ad agendum, id mouet etiam ad decernendum. 3) In homine nihil fuisse ad DEVM mouendum. Resp. per *naturam* quidem, concedimus; non vero si eum consideramus, vt fide praeditum, atque in praecognitione iam a Christo redemtum. 4) Si intuitu fidei, etiam intuitu B. O. electi sumus, quae a fide separari non possunt; sed falsum est posterius (§. pr.); Ergo et prius. Resp. Ergo et intuitu B. O. iustificati sumus? absurdum! Neque sequitur: si quid fit propter causam; id etiam fit propter effectum. 5) Si electio a fide pendet praeuisa, nos DEVM elegisse priores, quod absurdum. Resp. Negatur; id enim tantum sequitur: Vidit DEVS, antequam nos elegit, quod ipsi eum electuri essemus, seu in eum credituri. 6) Si electio pendet a fide; electionis obiectum est homo iustificatus; quod consequens, falsum. Confunduntur vero hic praesentia et futura. Quemadmodum enim in electione, fides intelligitur extitura; ita etiam iustificatio non praesens, sed futura. 7) Electio nostra gratuita est (§. pr.); non ergo intuitu fidei. Resp. Non dicimus fidem,

fidem, *meritum*; quod *gratuitum*, non vero ordinem excludit. 8) Si DEVS prius intendit salutem hominum, quam eosdem fide donare decreuit; decretum electionis est absolutum. Verum resp. vnicum esse DEI decretum (§. 77. Th. N.), adeoque tantum nostro concipiendi modo explicandum; adeoque dist. inter voluntatem DEI *antecedentem*, qua omnium, *conditionate*, salutem voluit, prius quam de mediis cogitauit; et *consequentem* (§. 76.), vbi determinate DEVS ad aeternam vitam elegit. Et quia etiam Christi meritum ad electionem mouit DEVM (§. pr.); errant II.) *Sociniani* ob negatam Christi satisfactionem; nec non *Pontificiorum* nonnulli, *aliique*, ex absoluto potius decreto, electionem, quam ex merito Christi deducentes. Obiiciunt 1) si gratia electi Eph. I. 5. non ex merito. Resp. disting. inter *nostrum meritum*, cui gratia opponitur, et Christi, cui non. 2) Gratiam DEI elegentis esse simpliciter *absolutam* et *liberam* Rom. IX. 18. Resp. Est libera a *necessitate obligationis* ad commiserationem; et respectu voluntatis liberrimae, qua ordinauit Oeconomiam salutis. 3) Meritum Christi, praestitum tantum est in tempore; ergo non est caussa meritoria. Resp. dist. inter meritum Christi praeuisum, et opere ipso impletum; ad causam enim meritoriam non requi-

requiritur existentia, provti ex promissa solutione debiti elucet. 4) Christus ipse est praedestinatus 1. Petr. 1. 20. ergo non esse potest caussa impuls. Resp. Dicitur l. c. *praecognitus* non *praedestinatus*, siquidem nullis peccatis laborabat. 5) *medium* saluationis, fides scil. non esse potest caussa impulsiua praedestinationis decreti. Nega, diuerso enim respectu et relatione omnino esse potest. 6) principium independens, quale est voluntas diuina, nulla opus habet caussa impulsiua. Resp. Disting. inter causam *formalem* et *virtualem* (§. 938.). Nam causae, de quibus loquuti sumus, *virtuales* sunt intelligendae. Ergo lis tantum est de verbis. Porro, quia B. O. ad electionem, DEVM minime mouent (§. pr.); rursus errant III.) *Sociniani, Pontificiorumque* nonnulli, haec affirmantes, atque probantes 1) 2. Tim. II. 20. Resp. Apostolus dicit: *erit*, non *fiet*: adeoque non causam innuit, sed *signum* quo, electus innotescat. 2) Ob mala opera incredulos reprobat; ergo ob bona praedestinat. Negatur, quia non perfecta est oppositio; bona enim Opp. non sunt perfecta, vti mala. 3) Matth. XXV. 35. γαρ autem non est part. causalis, sed rationatiua, regnumque coelorum ibi κληρονομια quae citra merita alicui obtingit, vocatur. 4) 2. Petr. I. 10. Resp. a) in textu B. O. non nominantur;

tur; b) *cognoscitur* tantum ex B. O. tanquam signis electio, sed non fit propter B. O. 5) Eph. I. 4. Sed non in textu: B. O. sunt causa impulsiua, sed *vt* essemus sancti.

§. 942. Quaecunque non ad actum deducuntur hoc in mundo, nec DEVS, vt in hoc mundo existant, ab aeterno decreuit nec praedestinauit, et vice versa (§. 82.). Sed status integritatis, quoad homines omnes non ad actum deducitur, neque etiam respectu Protoplastorum, continuatus, quia lapsi; ideo *hominem in statu integritatis* constitutum, non elegit aut praedestinauit DEVS. Quemadmodum vero mere possibilia, hoc in mundo locum non habent; nec *homines mere possibiles,* aut *creabiles* elegit. Ex qua ratione etiam *Angeli mali,* a praedestinationis decreto excluduntur (§. 276.). Easdem etiam conclusiones, ex nostris iam positis, deducere principiis poteris. Nam quia electio facta est in Christo, et intuitu fidei (§. 940.); nemo nisi fide praeditus, est electus. Ergo nec homines in statu integritatis, nec mere possibiles, nec angeli mali; quibus ex eadem ratione addas, *Christum ipsum,* et angelos bonos. Quamuis quidem, si ex vocis, praedestinationis scil. etymologia, definitionem componas, Christum qua hominem, angelosque bonos, electos

vocare

vocare posses; non tamen locutio haec erit admittenda, quia ex Sc. S. *solum* ideae notionesque sunt formandae (§. 16. Prol.); quae praedestinationis vocabulo, respectu hominis lapsi vtitur; non quidem, *quatenus* est et manet lapsus; sed quatenus ad finem in fide est perseueraturus 1. Tim. I. 16. Ioh. XVII. 20. Eph. I. 4. Errant ergo *Sociniani*, *Scholasticorum*, *Pontificiorumque* nonnulli, et Christum, et angelos, hominesque in statu integritatis, obiectum praedestinationis dicentes. Probant 1) Rom. I. 4. Verum non dicitur l. c. *praedestinatus*, sed declaratus, manifestatus, demonstratus scil. filius DEI verus, sua virtute resuscitans carnem. Ioh. X. 17. 2) 1. Petr. I. 4. Sed electus dicitur lapis, quia ordinatus est ecclesiae nostraeque salutis fundamentum. Quodsi vero *praedestinationem aliquam Christi* statuere placeret, nil esset, quam decretum DEI de Christo incarnando, et ad officia mittendo. 3) Iesa. XLII. 1. Sed *electus* h. l. idem est, ac valde eximius, intaminatus felix atque beatus; ex qua obseruatione statim 4) dubium euertere poteris, ex 1. Tim. V. 21. vbi electionem aliquam *absolutam* extorquere malunt. Verum facta est sub conditione obedientiae (§. 251.); vide etiam §. pr.

§. 943.

§. 943. Quodsi ergo homines *soli*, In fide ad vitae finem perseueraturi, obiectum praedestinationis sunt; ἀπιστοι vero finales, reprobationis (§. 940. 942.); praeterea etiam reprobatio et electio *sigillatim*, et non tantum in genere facta (§. 939.); DEVS vero bonitate et iustitia vindice, ad reprobandum, et praedestinandum mouetur (§. 940.); ideo recte per *syllogismum* aut computum quendam, et praedestinationem et reprobationem, nostro concipiendi modo proposuerunt, nostri Theologi; cuius prior ideo *praedestinatorius*; posterior, *reprobatorius* dicitur, et hac ratione exprimi posset: Quicunque finaliter crediturus est saluabitur et electus. Atque hic ille, iste, Iohannes, Petrus finaliter crediturus sunt; ergo hic, ille, iste, Iohannes, Petrus, saluabuntur; et electi sunto. *Maior* itaque, quia propositum DEI (siue id *sensu* sumus *latiori*, pro proposito commiserationis primae, aut misericordiae vniuersalis, quod ad voluntatem antecedentem pertinet; siue *strictiori*, pro proposito *eos* saluandi, qui in fide finaliter sunt perseueraturi, qui voluntatis consequentis actus est) indicat, recte vocatur προθεσις; sicut *minor*, quia praescientia illa singulari nititur (§. 939.), προγνωσις; et *conclusio*, προορισμὸς seu praedestinatio. Eph. I. 11. 2. Tim. I. 9. Rom. VIII. 28. 29. Hinc quia

quia conclusio haec, ex proposito et praescientia sequitur; *propositum* illud vocarunt *principium normans primum*; sicut praescientiam, *proximum*, quod ex Logicis intelligi potest (§. 135. Log.). Quemadmodum vero *forma electionis*, in aeterna indiuiduorum finaliter credentium ordinatione ad beatitudinem, secundum DEI propositum consistit 2. Thess. II. 13. Ioh. VI. 40. Act. XIII. 48. ita *reprobationis forma* ex opposito erit: exclusio a beatitudine aeterna, secundum propositum et Praescientiam DEI. Hinc eodem modo oritur *syllogismus reprobatorius*, sequenti modo: Q. *finaliter non est crediturus, damnabitur* et *reprobabitur*: Atq. *hic, ille, iste, Iudas, Demas non est finaliter crediturus*: *Ergo hic, ille, iste Iudas, Demas, damnabitur* et *reprobabitur*; cuius maior, iterum προθεσις seu DEI propositum, de condemnandis finaliter incredulis; minor eadem προγνωσις; conclusio vero αποδοκιμασια seu reprobatio; adeoque eadem etiam principia, primum et mediatum, atque proximum. Quoniam itaque non omnes fide praediti sunt finali (per exp.); ideo et praedestinationis et reprobationis decretum, *particulare* est, minimeque vniuersale Matth. XX. 16. XXI. 14. et, quia DEI decreta immutabilia (§. 76. Th. N.); immutabile Matth. XXIV. 24. coll. 1. Petr. I. 2. 4. Prov. XIX. 21. adeoque et

irreuocabile Matth. XXV. 34. Iac. II. 5. Ioh. X. 28. Quae duo, *particularitas* scil. atque *immutabilitas*, recte inter *proprietates* praedestin. et reprob. referuntur; modo obserues, electionem hic in sensu strictiori nos, ad gloriam, scil. sumere (§. 937.); Quodsi enim electionem, cum *Tubingensibus* nonnullis, ad gratiam, intelligis (§. 937.); tunc mutabilis omnino; sicut in sensu ecclesiastico et generali (§. 937.). Quadruplici igitur praedestinatio sumi potest modo, 1) *latissime*, pro significatu biblico; 2) *latiori*, pro praedestinatione ad gratiam; 3) *stricte*, vti in Syllogismis praedestinatorio et reprobatorio; 4) *strictissime*, pro dicti syllogismi conclusione.

§. 944. Quodsi ergo particulares sunt (§. pr.); I.) *Samuel Huberus* errat, Theolog. Wittenbergensis, electionem vniuersalem defendens; sequentibus ductus 1) quia omnes electionis causae sunt vniuersales, sc. misericordia DEI; meritum Christi, vocatio etc. sed omisit fidem, tanquam causam impulsiuam minus principalem (§. 940.). Excipit quidem: fidem electione esse posteriorem. Verum quoad *existentiam* quidem, sed non quoad *praeuisionem* (§. pr.). 2) Eph. I. 4. Christus enim redemtor est catholicus. Sed distinguit coniungenda. Christus

Christus enim sine adplicatione et fide finali *solus*, DEVM non mouet (§. 940.). 3) DEVM velle omnes esse sanctos Eph. I. 4. Ergo O. elegit. Sed distinguendum, voluntatem inter antecedentem, qua, O. vult sanctos, & consequentem, secundum quam, non vero secundum illam, electio est facta. Nonne hoc modo sequeretur: omnes etiam esse regenitos atque iustificatos. 4) Ita, nisi omnes elegit, praeteriit quosdam absoluto decreto, quod falsum. Sed DEVS eos tantum in electione praeteriit, quos non credituros praeuidit; hypothetice ergo non absolute. *Iohannes* quidem *Brentius, in verbis,* electionem statuit vniuersalem, sed non re ipsa, siquidem *dilectionem* tantum intellexit; quam sententiam, admoniti alii Würtembergensium deinde mutarunt. Brentium ergo Huberi errorem defendisse, affirmare haud sustineo. Quia vero & *immutabile* (§. pr.); errant II.) *Sociniani* & *Arminiani Remonstrantes* qui mutabilitatem defendunt, quamuis, quod ad Remonstrantes attinet, certe plurimorum (vid. *Episcopius, Pœlenburgius* contra Spanhem. *Limborchius* &c.), magis ad Logomachias. controuersiæ sint referendæ. Hi enim probant 1) a fide animo concepta, homines quosvis desciscere posse; vbi mutabilitas. Verum de tali fide non est controuersiæ status,

ſed de finali; intelligunt ergo electionem in ſenſu latiori (§. pr.). 2) Pro diuerſa hominis mutatione ad fidem vel infidelitatem, etiam Decreti diuini applicationem mutari; idque conſtantiæ potius quam inconſtantiæ DEI, in decreto perſeuerantis ſuo ſignum eſſe. Reſp. Adplicatio actualis gratiæ cum decreto ad gloriam præcognitæ fidei vt perſeueranti innixo confunditur. 3) Non eſſe inconſtantis, reiicere quem antea delegeras, ſi ratio cauſſaque mutetur. Concedimus totum argumentum: nam probant, mutata electi ad gratiam conditione, eum gratiæ ſtatu iuſtiſſime excidere. 4) Hanc non eſſe alicuius ponderis quæſtionem. Negatur. Nam negata electione in ſenſu noſtro, a) *ſolatium* ex fide & conſtantia DEI intemerata profluens periclitatur; depellitur etiam hoc modo b) *ſecuritas*, & c) *deſperatio*, ex abſoluto alias decreto, orta; & quae ſunt alia (§. 939.). De Socinianorum, expoſita prius de inſcriptione in librum vitæ doctrina, dubiis, deinceps ſumus acturi.

§. 945. Sed ſi particularis & immutabilis eſt electio & reprobatio (§. 943. ſeq.); non, inquis, vniuerſalis eſt gratia diuina, contra (§. 457.). Sed reſpondemus, *eſt*: ſi modo hominem conſideres, *extra* ordinem a DEO conſtitutum, vbi per miſericordiam, quæ

quæ DEO competit (§. 90.), ſummam, perfectiones omnes poſſibiles, adeoque & ſalutem æternam, quæ maxima ſane perfectio (§. 148. Th. N.), concedere cupit *omnibus*. Quoniam qero DEI, quem conſtituit, *ordo* poſtulat, vt ſola fide beatitudinem conſequamur (§. 891.); quare *quorundam* non ſolum ſalutem, ſed & damnationem DEVS velit, videre licet. Per voluntatem alii *antecedentem* & *conſequentem* explicare ſolent, de qua ſupra (§. 76.). Male ergo concludunt nonnulli: DEVS media ſalutis quibusdam non concedit; ergo abſolute eos damnare decreuit. Nam etſi ſummum mediorum gradum deneget ipſis, ſuperſunt tamen inferiores, id quod in capite, de *vocatione*, iam probauimus, fuſe (§. 833.). Deinde quae conſequentia? rationes certe, quia ſine ſufficiente nil eſt, nec DEVS facit (§. 24. Ont.), adſunt, media cur deneget homini DEVS; vbi ergo mediorum conceſſio, ob ſapientiam bonitatemque DEI, qua, quotquot poſſibiles, concedit (§. 89.), nec cogitari, nec admitti poteſt. Hinc a mediorum adplicatione, ad negationem voluntatis diuinæ N. V. C. Hinc in DEO quia reprobationis ratio non continetur ſed in homine (§. 943.); eius reſiſtentia malitioſa eſt querenda. Qua ratione & fides in homine, etiamſi eam concedere velit

DEVS, existere nequit. Sed cur, inquis, hanc non tollit resistentiam DEVS? ita vt tota sæpe gens & natio pereat, cum tamen aliis, eodem resistentibus modo, media concedat superabundantia? Respondemus 1) quia libertate, hominem priuare non potest (§. 121. Th. N.); 2) gratiæ gradus inferiores concessit numen misericors omnibus, cum tamen ne ad hos quidem teneatur; quibus deinde neglectis, superiores iusto 3) ad *pœnam* etiam, suspendit iudicio. 4) Agere sæpe DEVS, ob sapientissimum, quem constituit, mundi nexum (§. 149. Th. N.) prohibetur, siquidem & imperantes eorumque consiliarii & subditi, doctores & auditores, parentes & liberi, patres matresque familias, & qui seruitia ipsis præstant, nec non *externa*, consuetudines, puta, mores, viuendique rationes, variis diuersisque impedimento, Numini esse possunt modis, quo minus gratiæ media concedere nequeat. Quemadmodum vero non ex parte, sed ex toto iudicium nexu est ferendum (§. 108. Th. N.) ita multo magis & in electionis reprobationisque doctrina, adplicari regula debet; quod, quia omnium respectu, gentium nationumque, ob finitudinem, qua mens gaudet (§. 30. Psych.), introspicere non possumus; recte de abysso loquitur Paulus Rom. XI. vlt. (§. 164.).

§. 946.

§. 946. Etsi vero vias DEI hoc in negotio cognoscere possumus (§. pr.); non tamen contradicimus (§. 943.), vbi fidem, vel eius neglectum, vt rationem prædestinationis aut reprobationis adduximus; non enim alicuius rei partem qui cognoscit; ideo omnia cognoscere & singula, est dicendus. Quoniam vero sic rationibus nititur obiectiuis (§. 940.); ideo DEI, de hoc vel illo homine saluando aut beando, decretum, *respectiuum* est, non *absolutum*. Illud enim dicitur decretum, ob rationes in obiecto, factum; hoc, quod non. Non ergo facere possumus cum illis, qui DEVM ab æterno decreuisse dicunt, ita humanum condere genus, vt in Adamo omnes necessario laberentur, quorum pauciſſimos erigere lapsos, & saluare velle; nec cum iis, qui, DEVM ita omnes in Adamo peccaturos præuidisse affirmant, vt nonnisi aliquos in integrum per Christum restitui vellet. Quemadmodum vero illorum doctrina ex (§. 940.) refutari facile potest; iustitiæque diuinæ commonstratio, dum plures damnantur, quam saluantur, magis sic necessaria fuisset; ita & horum ex eodem infringitur §, dum rationes subiectiuæ nullæ sunt, nullumque beneplacitum diuinum. Dicis: Non omnes saluantur; ergo DEVS saluos non omnes vult. Verum rationem non in DEO, sed in homine

mine, qui non credit, quæras (§. pr.). Pergis: non omnibus vult DEVS fidem dare; alias: *si omnes fidem habent, omnes etiam saluare velle,* concedes; adeoque *conditionatum* facis Decretum DEI. Verum nonne hac ratione idem, licet mollius loquaris, cum antea adductis, sentis? adeoque idem contra te §. 940 militat; adeoque minime *conditionatum* statui potest. Si denique fidem omittis; in tua castra nondum transire possum. Mundum vero non esse solos electos, supra ostendimus (§. 460.).

§. 947. Quæstio denique adhuc superest: *an in peccata mortalia,* quod non negamus (§. 935.), prolabi queat electus, & ita quidem fidem veram penitus amittere? id quod negamus. Nam si fidem amitteret *finalem;* non electus, nec prædestinandus, sed reprobandus esset potius (§. 937.) Matth. XXV. 34. XXIV. 24. 1. Pet. I. 2. 4. Ioh. X. 28. Errant ergo *Anabaptistæ,* aliique qui *gratiam totaliter inamissibilem* docent, 1) quia fides electorum deficere non potest; sed disting. inter perseuerantiam continuam & discontinuam (§. 936.). 2) Ioh. X. 28. Resp. Concedimus, *quamdiu* audiunt. 3) Ps. I. 3. Resp. *quamdiu* nutrimentum attrahunt. 4) Ier. XXXII. 40, Resp. salua tamen eorum libertate; ergo, si ea abutantur, lapsus eorum fieri potest. Ezech. XI. 19. seqq.

seqq. 5) Psal. XXXVII. 24. Dist. vero inter lapsum *fortunæ*, de quo textus, & *animæ*. 6) Matth. XXIV. 24. Dist. inter impossibilitatem absolutam & ordinatam. 7) Rom. VIII. 38. Resp. *quamdiu* viribus concessis bene vtantur. 8) Ioh. VI. 27. nisi impediant 9) Rom. XI. 29. Resp. si scil. ordine a DEO constituto incedimus. 10) Eph. I. 13. Resp. *quamdiu* spiritum S. sequuntur. Sed ita dicis: Nemo electionis suæ certus est hoc modo. Sed negatur. Quoniam enim fidei suæ certus esse potest homo (§. 830.); ideo & suæ electionis. Ast quia fidem hac in vita excutere rursus potest (per antec.); ideo *hac in vita, conditionate*, tantum esse potest certus; in vitæ autem suæ termino, quia fides finalis saluat (§. 830.), certus esse potest absolute 1. Pet. 1. 9. 2. Tim. IV. 7. Eph. I. 13. 14. IV. 30. Rom. VIII. 16. 17. Denique sicut totius mundi, ita & electionis finis *vltimus* est, gloria bonitatis diuinæ (§. 36. Th. N.); vti *proximus*, in tempore electis conferenda salus æterna (§. 937.) Matth. XXV. 34.

§. 948. De Prædestinatione doctrinæ, *inscriptionem in librum vitæ*, Theologorum plerique, quia eius est synonymum (§. 937.), adiungunt; id quod & nobis placet. Quoniam vero in libros, memoriæ caussæ aliquid scribimus (per exp.); Esther VI. 1. seqq.

hinc inscriptio, si de DEO sermo, non proprie, ob omniscientiam (§. 43.), sed per ἀνθρωποπαθειαν, aut συγκαταβασιν quandam est intelligenda. Apoc. XVII. 8. XX. 15. XXI. 19. Phil. IV. 3. Dicuntur alias *inscribi*, sine addito, *in libro* Exod. XXXII. 32. Dan. XII. 1. interdum vero *in libro vitæ agni* Apoc. XIII. 8. XXI. 27. interdum, *nomina quorundam in cœlis scripta.* Luc. X. 20. Ebr. XII. 23. Ex quibus, vna cum collatione libri notionis, sequens, *libri vitæ* oritur definitio, quod sit, catalogus, seu series eorum, quibus vita est donanda, quatenus intellectui obseruatur diuino. Et sicut vita hominis triplex est, *naturalis* sc. *spiritualis*, quæ etiam, quia ex mera DEI gratia prouenit, *gratiæ* dicitur, & *gloriæ* seu vita æterna (§. 335. seqq.); ita & liber vitæ in *naturalem*, seu eorum seriem, quibus vita naturalis; *gratiæ*, eorum, quibus vita spir. seu qui mediis gratiæ vti possunt, & *gloriæ*, eorum, quibus vita est donanda æterna diuiditur. Psal. CXXXIX. 16. Gal. II. vlt. V. 17. 25. Rom. VI. 10. Apoc. III. 5. Quia itaque liber vitæ series est hominum (per ant.); liber non ipse Christus, quod nonnulli (sensu *ecclesiastico*, ratione scil. *præuisionis*,) statuunt. Apoc. enim XIII. 8. XXI. 26. *Christi*, (*agni*) non *Christus*, dicitur, qui potius, præsertim gratiæ & gloriæ libri fundamentum est, & causa. Sic etiam minus accurata est diui-

sio

sio eorum, qui DEO 1) librum vitæ naturalis & prouidentiæ; 2) librum extremi iudicii, ad quem, die Nouissimo homines iudicandi Dan. VII. 9. Apoc. XX. 12; 3) librum gloriæ Apoc. XX. 15. adscribunt. Hic enim ab iudicii libro non est diuersus. Multo minus eorum amplecti sententiam possum, qui duos libros, *gratiæ* & *gloriæ* tantum statuunt, cum tamen naturalis etiam in Sc. S. suum habeat fundamentum (per ant.). Minime denique eorum accedo sententiæ, vnicum qui statuunt vitæ librum, dum definitioni contradicit. Ex quo tamen nihil est, quod, quemlibet, vnico tantum in libro inscriptum esse, putes; diuerso enim respectu, in duobus, immo omnibus adparere potest.

§. 949. Quum omnes omnino homines per creationem sunt a DEO; vitamque spiritualem ab eodem accipiant (§. 853.), & æternam (§. 285.); omne vero in tempore quod fit, ab æterno sit decretum (§. 82.); *inscriptio in librum vitæ*, est Decretum DEI, quo quem numero viuentium accenset. Ex oppositio (§. 64. Log.), *deletio* ex libro vitæ, facile intelligi potest, quae, decretum DEI est, quo quem numero viuentium excludit. Triplex ergo cum sit liber vitæ (§. pr.); triplex etiam & inscriptio & deletio statui potest; scil. *inscriptio in librum vitæ naturalis, gratiæ* & *gloriæ*. Definitiones vero speciales, ex

ex generali, determinare facile poteris. Qua ex ratione, cur appendicis loco, hanc de inscriptione, doctrinam, hoc loco pertractent Theologi viri, per electionem inscriptionem in librum vitæ gloriæ qui tantum intelligunt (§. 937.), perspicere datur.

§. 950. Inscriptio illa (§. pr.) est decretum DEI, adeoque actus DEI ad extra immanens, tribus personis communis (§. 140). Patri ergo competit, F. ac Sp. S. *Causa* ergo *efficiens*, sed *virtualiter* talis (§. 937.), est tota SS. Trinitas. Et quia Decreta DEI æterna sunt, & infallibilia, atque immutabilia (§. 76. Th. N.); ideo & inscriptio hæc facta est ab æterno; *infallibilis* porro *irrevocabilis* atque *immutabilis*. 2. Tim. II. 19. Quis enim omniscium fallere numen potest. Hinc recte hæc, tanquam *affectiones* inscriptionis dici possunt, vid. ll. cc. §. 937.

§. 951. Inscriptio, de qua loquimur, decretum DEI, quique causa etiam, est efficiens (§. pr.). Quemadmodum itaque DEVS hoc modo agit liberrime (§. 79.); ita etiam in inscriptione; etsi non sine ratione obiectiua, dum nil velle, sine illa potest (§. 939.). Interim subiectiuæ, quarum calculus & hic etiam ponendus, non negantur. Nam quia mundum ad manifestationem gloriæ creauit (§. 201.), & ita quidem vt omnia in eo connexa sint, quoad tempus

(§. 10.

(§. 10. Cosmol.), non connexio hæc (generatio scil. hominum continua) solum ad inscriptionem in librum vitæ naturalis mouit DEVM, quæ rationes constituunt obiectiuæ; sed & ipsæ eius perfectiones, Psal. CXXXIX. 16. Homines ergo omnes, ad nostrum, qui iam existit mundus, in librum vitæ naturalis inscribuntur, adeoque eius sunt subiectum (§. 25. Ont.); sicut *causa impulsiua interna*, perfectiones diuinæ; *externa*, generatio. Et quia gratia & misericordia diuina, satisfactionisque Christi vniversalitas, *nisi ipsi resistant homines*, DEVM mouit, vt *actu* vitam in regeneratione accipiant spiritualem (§. 859. 855.); ideo *causa impulsiua* inscriptionis in librum vitæ gratiæ *interna*, gratia est & misericordia DEI; *externa*, meritum Christi, hominumque non-resistentia. *Obiectum* ergo seu *subiectum*, homo quiuis est, *malitiose* non resistens. Sic denique finalis fides, tantum quia saluat (§. 829.), cuius, sine DEI misericordia & gratia participes fieri homines non possunt (§. 823.), quæ etiam ad prædestinandum mouent DEVM (§. 937.); *causa impulsiua* inscriptionis in librum vitæ gloriæ *interna*, est gratia DEI & misericordia; *externa*, Christi meritum finali apprehendendum fide; et hoc modo præuisum. (§. 70. Ont.). Rom. VIII. 29. Eph. I. 3. Ex quibus, inscriptionem

nem tam in gratiae, quam gloriæ librum, & ſubiectiuam habere rationem & obiectiuam patet. Et quia in vtroque, Chriſtus cauſa impulſiua eſt, itemque efficiens (§. pr.); liber vitæ (gratiæ & gloriæ) recte *agni liber* nominari poteſt (§. 948.). Quis vero, *obiectum* libri gloriæ, finaliter credentes eſſe, non perſpicit? Hæc ergo inſcriptio, vt prædeſtinationis Synonimum erit (§. 937.). Quapropter, quae de hac ſupra docuimus fuſe, e. g. non abſolutam, ſed reſpectiuam eſſe, diuerſo porro reſpectu certam &c. et hic etiam adplicari poſſunt.

§. 952. Ex oppoſito nunc, quid, deletio ex libro vitæ importet, intelligitur. Nam quia decretum DEI eſt, quo quem numero viuentium excludit (§. 949.); excluſio fieri etiam poteſt ita, vt, qui deletur, ſi notionem attendimus, & non vocabulum, certas ob rationes, viuentium numero non accenſeat, etſi, niſi rationes illæ impedirent, *inſerere catalogo* DEVS *potuiſſet*. Ita *& hoc ſenſu* homines, ad vniuerſum hocce non pertinentes, ex naturae; repugnantes gratioſis Sp. S. operationibus, ex gratiæ; in fide finali non perſeuerantes, ex gloriae libro (hinc *ſubiecta* deletionis intelligis), deleuit DEVS (§. pr.). Si, *non-inſcriptionem* potius, quam *deletionem*, quae inſcriptionem ſupponat, nominare

minare velis; ad vocabulum respicis, non ad *notionem*; inscriptionemque fere proprie videris sumere, quod absurdum, quia relatio solum est, seu comparatio, qua DEVS homines quosdam, in viuentibus sibi repræsentat. Quoniam itaque ad viuentes nunquam pertinuerunt tales; ideo nec vitam ipsis decernere potuit, seu *deleuit*. Quodsi hanc, *deletionem negatiuam; priuatiuam* vero, vbi quis libro vitæ, antea inscriptus, iam excluditur, vocare velis; non repugno. Verum dicis: nostram non omnem tollere difficultatem, sententiam. Sunt enim *iam* haud pauci in libros & naturae & gratiae *inscripti*, qui tamen rursus delentur. Respondeo: ita est, nec id, nec *continuam* inscriptionem, affirmare, *nisi respectu libri gloriæ*, sustineo. Nam ad hanc quod attinet, quia fides finalis certissime saluat (§. 829.); *semel inscripti*, damnati non fieri rursus (per pr. contradict.); adeoque nec deleri possunt; quae *ideo* a quibusdam *completa* vocatur. Aliter vero res sese habet, naturæ gratiæque librorum respectu. Quoniam enim naturalis hominum vita minus diuturna; fidemque amittere regeniti etiam possunt (§. 829.); ideo & inscriptio in vitæ librum naturalem pariter ac gratiae, tolli litura potest. Sed DEI hoc modo decreta *immutabilia* non sunt, instas. Resp. neg. Nam

vnum

quia est decretum DEI (§. 76. Th. N.); non solum, quosdam ad certum in vniuerso tempus, in viuentium admittere numerum, quo præterlapso, vitam iis rursus adimere; sed et, quamdiu permaneant in fide, spirituali eos per regenerationem donare vita; cessante vero fide, rursus ea priuare (hinc *incompletam* alii nominant); aut acquisita fortasis denuo fide; et illam denuo concedere decreuit; nihilo tamen minus prius, DEI *infiniti respectu*, statuendum est; vel posterius (§. 27.). Ergo entia solum finita, prius hic, adeoque immutabilitatem, & posterius sibi inuenisse videntur. Manent ergo, etiamsi deleantur homines, immutabilia DEI decreta; vt itaque immutabilitas, & infallibilitas (§. 950.) asserta, etiam trium librorum respectu firmo adhuc stet talo. Errant ergo *Sociniani*, qui reuocabilem atque mutabilem & in genere quidem certum esse, sed non in indiuiduo; quapropter etiam inter *firmiorem* distinguunt, & *infirmiorem*. Fluctuationis rationes proferunt 1) Exod. XXXII. 32. Apoc. III. 5. XXII. 19. Phil. IV. 3. 2 Tim. IV. 10. Verum primus, quem adducunt, locus, *votum* tantum amoris summi in Mose docet, & deletionem naturalem, conf. comm. 10. seqq. non gratiosam; qualis facta in Israelitis immorigeris Ios. V. 6. coll. Psal. CXXXIX. 16. *Secundus* vero atque

que *tertius* lituram indicat, hic, ex libro *gratiæ*: ille, quia tantum *non-deletionis* mentio iniicitur, ex *vtroque*. Ex quarto vero & reliquis non conſtat, Demam totaliter & finaliter periiſſe; res enim tantum, vt textus loquitur, mundanas ſequutus dicitur; immo ſi aliter explices, nomen eius in libro vitæ gloriæ ſcriptum negatur. 2) 1 Cor. IX. Phil. III. 12. in fine demum; 2 Tim. IV. 8. Reſp. Concedo totum, quia certus, niſi in fine, eſſe poteſt nemo; DEO vero ſatis fuit certus. 3) Electionis fatalitatem, tollere *omnem* comminationis vtilitatem; ſi vero electio ſupponat conditionem, eam mutabilem eſſe. Reſp. Electio non fundatur in fatali decreto, nec ab conditione ſuſpenſa, eſt incerta. 4) Pſal. LXIX. 29. Sed intelligit Hieropſaltes deletionem *negatiuam*, non *priuatiuam*: aut librum gratiæ & naturalem, quod contextus, de Iuda agens, aliisque Chriſti hoſtibus, declarat. Equidem, quad loca Apoc. III. 5. XXII. 19. diſtinguunt nonnulli, inter ſenſum *diuiſum*, vt dubia tollant, & *compoſitum*. Verum ſi dicendum, quod res eſt, conſideratis definitionibus, diſtinctio eſt, controuerſiæ ſtatum minime tangens. In *ſenſu* enim *diuiſo deletio ex libro vitæ*, eſt relatio, qua Perſonæ ſeu obiecto adſcribitur deletio, quatenus eſt perſona; id quod noſtra in controuerſia, negabit nemo, in *ſenſu* vero *compoſito*,

illa est relatio, qua personæ deletio adscribitur, quatenus est electa; quod negabunt omnino Sociniani, quia de eo quæritur. Quæ etiam caussa est, cur hac, h. l. distinctione, non vtamur. Denique non necesse habemus, vt cum *Baiero* dicamus: respectu deletionis partim *conditionate* dictum est, vbi nihil ponitur absolute; partim *negationem* inscriptionis *simplicem* importat, eiusque manifestationem; partim negatiue expressum *certitudinem* aut immutabilitatem ipsam significat. Nam tam hoc Sociniani negabunt; quam aliorum distinctionem, inter *deletionem secundum rei veritatem*, seu κατ' αληθειαν, & *hominum opinionem*, seu κατα δοξαν. Interim ex antecedentibus h. §. & deletioni, suas esse rationes obiectiuas, quiuis videre poterit. Rom. IX. 32.

CAPVT XVII.

DE LEGE ET EVANGELIO.

§. 953.

DEI, quod Cap. Proleg. I. vt *cognoscendi* principium; variis iam locis vt salutis *medium*, adduximus, verbum, mediante quo hominem peccatorem ad æternam vitam perducit (§. 823-945.). Id ergo, hac etiam relatione considerare, operæ pretium videtur.

tur. Quoniam vero homini, vel legem DEI seruare, vel fide Christum amplecti, et æternam sic quærere vitam, incumbit, tertium enim non datur (§. 86.); in *Legem* seu voluntatem DEI, hominibus patefactam, secundumquam hi viuere necessario debent; et *Euangelium*, seu promissionem de gratia remissionis peccatorum propter Christum per fidem; verbum DEI, diuidi accurate potest. Ioh. I. 17. 2 Cor. III. 6. Non ergo de *humanis* hic loquimur legibus; quæ, vim obligandi etiam a diuinis, his *nisi* contradicunt, habent; alias illud Act. V. 29. valet. Interim velim obserues: legem 1) *generalissime* & *sensu latissimo* denotare, vniuersum DEI verbum, Psal. I. 2. CXIX. 27. & tot. 2) *specialiter* vero & *strictiori*, solam doctrinam V. T. Ioh. XV. 25. 1 Cor. XIV. 21. 3) *specialissime* vero & *strictissime*, solum Mosis Pentateuchum Luc. XXIV. 44. Nos vero hac tractatione solum *opponimus* Euangelio, adeoque 4) sensu *latiori* eam sumere placet. Ita etiam Euangelii vocabulum occurrit 1) sensu *generaliori*, pro tota N. T. doctrina Marc. I. 1. 4. XVI. 15. cum tamen Christus & Apostoli, et legem inculcarint & Euangelium, Luc. IX. 16. Rom. II. 16. 2) *strictiori*, prouti nos definiuimus; et 3) *strictissime*, pro doctrina de exhibito iam Messia. Rom. I. 1.

§. 954. Oppoſita quia ſimul ſtare non poſſunt (§. 64. Log.), in Lege ſi quid iubet DEVS, contrarium vetat, et vice verſa. Sed ſanctus eſt DEVS noſter atque ſapiens (§. 59. 53.). Ergo non omnes, quas hominibus ſub certa relatione iniungit, leges obſeruandas ſolum præſcripſit; ſed & pleniſſimam actionum humanarum cum lege harmoniam poſtulat, ſeu ſanctitatem. Ergo & ſemper per omne, quamdiu durat, tempus, (quæ *ſanctitas protenſiue*); et ſecundum omnes bonitatis gradus (quæ *intenſiue*); et omnes legis partes & contenta (quæ *extenſiue, obiecti reſpectu*); et denique ſecundum omnes hominis facultates (quæ *extenſiue talis, reſpectu ſubiecti* dicitur), ſunt ſeruandæ. Nam primam niſi concedis, tollitur ſapientia, dum finem non conſequitur DEVS. Per negatam ſanctitatem intenſiue talem, nec optima, nec maiora bona, minoribus præfert, rurſus quod ſapientiæ contradicit, optimæque DEI voluntati (§. 59.); ſicut ſi extenſiue talem obiecti reſpectu, in dubium velis vocare. Si vero illam reſpectu ſubiecti; facile fieri poteſt, vt per motiua, quæ nobis obiiciuntur, fortiora, a minori depellamur gradu, & ſic omnem negligamus ſanctitatem, quo ipſo finem rurſus non obtinet ſapientiſſimum ſanctiſſimumque Numen. Reſiſtere ergo vt queamus, et illa

ſane

sane requiritur. Et quia continuo maiorem in homine perfectionem postulat DEVS (§. 47. I. N.); contentus in lege non est gradu minori, sed continuo maiores requirit, quae existere non possunt, nisi *omnium* respectu *facultatum* legi conuenienter viuamus, Deut. VI. 5. Iac. II. 10. Gal. III. 10. Sed iustus etiam DEVS est (§. 67.). Ergo legum transgressoribus, poenas etiam iniungat. Hinc poenalem etiam sanctionem exhibet lex diuina, Deut. XXVII. 26. Exod. XX. 5. 6. Quam obligationem ad poenam, *legis partem coactiuam*; illam vero ad facienda vel mittenda, *directiuam* nominare solent. Quia itaque leges, quas homini praescripsit, sanctitati, sapientiae iustitiaeque suae conformes composuit (per antec.); relatio haec a quibusdam *Lex* dicitur *Archetypa*; quam vero §. pr. dedimus, *ectypa*.

§. 955. Cognoscuntur vero DEI leges, vel ex consideratione rerum, per ratiocinium; vel per specialem reuelationem (§. 8-49. Ph. Pr. Vn.). Hinc recte in *naturales* diuiduntur & *positiuas*. Naturales in J. N. abunde satis demonstrauimus, quae vero non sunt huius loci. Quod ad positiuas attinet, varie rursus a variis diuiduntur, quorum tamen diuisiones, nisi prius omnes illarum species explanauimus, examinari rite

non possunt. Hinc breuiter eas (vberior enim de lege, tractatio, ad Theol. Mor. spectat) iam sumus explicaturi. Reperiuntur autem in S. codice leges, certis quibusdam personis, iisque *singularibus* datæ e. g. Matth. XIX. 21. Gen. XXII. 2. &c. Reperiuntur etiam *genti Iudaicæ* propositæ. Quæ Reipublicæ Iudaicæ Theocraticæ disciplinam dirigunt, dicuntur *forenses*, (ob ciuilia), *iudiciales*; et (propter criminalia) *politicæ*; quæ vero sacrorum celebrandorum ritus Israelitis determinant, *ceremoniales* seu *ecclesiasticæ*. Nam quia vlla, sine legibus, quæ statui conuenienter sunt ferendæ (§. 354. J. N.) hodie post *lapsum* generisque humani depravationem maximam (Cap. VI. VII.), experientia etiam comprobante, contineri non potest; recte iudaico populo sapienterque leges præscripsit DEVS, vt 1) externa eorum in societate ciuili, disciplina, conseruari possit, quales Ex. XX. XXI. XXII. Lev. XVIII. XVIIII. XXIV. Deut. XVII. XXIII. XXV. XXVII. &c. descriptas inuenimus. Facilis iam labor esset, totum eorum describere iuris ciuilis corpus, sapientissimamque, immo multo sapientiorem Republica Romanorum aliarumque gentium compositionem monstrare, rationibus dum semper *obiectiuis* nituntur sed *particularibus*; nec, vti Romanis, sed male, placuit, *fictionibus* atque *figmentis*;

tis: verum pro scopo nostro, vsum cum non præstent, aliis relinquimus. Id solum adhuc adnotamus: discreuisse 2) hisce legibus, Rempublicam *suam,* ab aliis gentilium politiis, quia peculium erat DEI, talisque, ex qua prodire Messias, et in qua verus DEI habere locum debuit cultus. Interim Iudæorum leges si consideramus, quosdam cum naturalibus coincidere, non negamus; quosdam vero solis Iudæis esse proprias. Quum vero Iudæorum iam desiit, & debuit Gen. XLIX. 10; posteriores, cessante enim Republica, cessant etiam eius leges (§. 8. Ph. pr. Vn.), iam *cessant:* minime vero priores; J. N. quia immutabile est. (§. 90. J. N.). Quodsi vero suam, secundum Judæorum leges constituere *velit* rempublicam, imperans, introducere eas & componere certe posset; non vero hodie ita omnes *debere,* certissime ex antecedentibus sequitur. Errarunt ergo JCti nonnulli, *Fanatici, Lutheri* qui tempore rusticos excitarunt, itemque *Iac. Strausius,* & *Wolfg. Stein,* hæc affirmantes. Denique non sine ratione, *cessare* iam forenses, diximus; quas alii *abrogatas,* statuunt. Cuicunque enim leges abrogare, ei etiam licet novas ferre. Facile vero novus hoc modo Christus fit legislator. Et cur hoc etiam vocabulo vtamur, cum tamen, nulla id vrgeat necessitas? Quæ enim Ebr. VIII. 13. IX. 10.

tur, noſtram potius, quam adverſariorum, probant ſententiam; adquiſito enim fine, *ceſſat* actio (§. 80. Ont.).

§. 956. Ad ceremoniales quod attinet (§. pr.), nitebantur *ceremoniis* certis, quæ ſigna ſunt, quorum in executione propoſiti meminiſſe nos oportet. Juſto eſſemus, pro ſcopo, ampliores, omnes ſi Ebræorum deſcribere ritus vellemus; explanatos dum inuenire licet, in *Lundio, Relando,* &c. in Pentateucho Moſis vero deſcriptos e. g. Exod. XII. XXIII. XXV. XL. XXVIII. Lev. IV. VIII. XI. XIV. XVI. XVII. XIX. XXIII. XXV. Num. VI. X. XXIX. Deut. XXII. &c. Ex quibus patet: omnia, *perſonas, res, loca* & *tempora ſacra* reſpicere. Quoniam vero ſemper quid repræſentatur ſignis (§. 30. Ont.); & DEVS, has, Judæis poſuit ceremonias, *ſapientiſſimus;* ſub his quid latere, elucet; id quod N. T. Scriptores ad Galatos Ebræosque, de Chriſto, & N. T. temporibus, explicant, atque explanant. *Finis* ergo huius legis *principalis,* Chriſti eſt eiusque beneficiorum eccleſiæque N. T. adumbratio. Quoniam vero cultu hoc, ab omnibus gentibus ſegregabantur, dum nulla, tali, peccata expiandi modo gaudebat; peccatorum commonefactio, fidei obedientiæque exercitium, Deut. XII. 5. ſeqq. cultusque diuini ordinatio,

tio, nec non ab aliis gentibus segregatio populorumque inuitatio Deut. IV. 6. recte ad fines minus principales referuntur. Coll. II. 16. Ebr. VIII. IX. X. 3. 1. Cor. XIV. 40. Deut. IV. 8. Ex fine itaque illo principali intelligi potest, cur DEVS leges ceremoniales introducere, nec non: cur has præcise non vero alias, Iudæis præscribere fere potuerit atque debuerit. Nam V. T. patres quia non alio, quam per fidem in Christum, cuius vero futurum adhuc erat meritum, modo, DEVS saluare potuit (§. 818.); resque adeo erat maximi momenti; in memoriam semper vt reuocarent id sibi Iudæi, signa seu ceremonias vt poneret sapientissimum Numen, necesse omnino fuit; alias quia summæ eorum felicitatis, ob depravationem naturalem, facile obliti fuissent, terrenis caducisque rebus inhiantes. Nonne nostram & vniuersalis fere, & Iudæorum, & Noachi aliorumque sanctissimorum filiorum, ex sola qui *negligentia*, a vero DEI cultu deflexere, comprobat experientia? Hinc sapientem ceremoniarum *multitudinem*, a DEO commendatam, intelligere etiam poteris. Plures enim, immo plurimæ, preces e. g. quæ respiciunt & matutinas & vespertinas, &c. necessariæ minime licet videantur; attamen, quia in mactando agno fundamentum habeant suum; nec sine ceremoniis

esse potuerunt. Ceremoniæ ergo typica ad Christum quia vi tunc præditæ erant (per antec.); cruentæ cur maxime fuerint, iam perspicere datur. Nam quo magis cum re signata, signum consentit; eo melius est, adeoque & ceremonia. Male ergo ab Aegyptiis profectas esse statuunt *Marsham* & *Spencerus*, dum horum ad idololatriam alendam augendamque comparatæ erant; qualem in animo etiam Iudæorum excitassent. Absurdum! Nonne hæc κακοζηλια, a DEO ipso, Leu. XVIII. 3. Deut. XX. 17. improbata? Sed quoniam res significata, melior est signo, adeoque maius bonum, ampliorque inde felicitas oritur (§. 135. Ph. Pr. Vn.); ideo nostra hodie in N. T. felicitas maior erit, quam eorum in V. T. Etsi enim *ius* in futurum Messiam; non tamen *ipsum*, habuerunt. Luc. II. 29. 30. X. 23. 24. Ex eadem ceremoniarum definitione, 1) num sacrificia expiandi peccata, vim habuerint? et 2) an nos sanctificare queant? vt & 3) num sint hodie abrogata? patet. Sc. si ea vt *signa* considéremus nuda, Iesu. I. tot. *in se* quidem nullam; si vero respectu seu vi & virtute typi; omnino habent (per antec.). Ebr. X. 4. 1) Alii hoc per *vsum* quem habent sacrificia, *legalem*, & *euangelicum*, seu organa diuinitus instituta exprimere solent. Lev. VII. 2. XVI. 21. Eodem fere modo soluitur secunda.

Nam

Nam quia signa in memoriam solum quid nobis reuocant (per def.); res iam illa adsit est necesse, adeoque sanctificare non possunt. Ebr. X. 1. seqq. Denique 3) quia præsente re, non amplius opus est signo & ceremonia (per def.); Christo præsente, cessare debent signa & typi. Hinc leges ceremoniales in N. T. *cessant*, vt superfluæ, quales a DEI sapientia exspectare non possumus (§. 53.). Quia itaque per se iam cessant; *abrogatione* demum, non est opus. Vid. omnino §. pr. sub finem. Col. II. 14. Ebr. IX. 10. Act. XV. 6. Errant ergo I.) *Sociniani*, sacrificia nec typice vim expiandi habere negantes. Probant quidem 1) O. creaturæ iam sunt DEI, adeoque ipsi offerri, vt solutionis pretium, non possunt. Resp. nisi DEVS velit. 2) Sacrificia expiant typice, ergo non *vere*. Sed distinguendum, inter vsum sacrificiorum legalem & euangelicum. 3) Ebr. X. 4. Resp. propria virtute, sed non typice. 4) Reiiciuntur vt inutilia Ies. l. tot. Psalm. L. 8. Disting. vero inter ceremonias *nudas*, & *typicas*. 5) Ebr. IX. 7. vbi non pro peccatis, sed pro ignorantia. Resp. Omnis generis peccata, quæ ignorantiam, aut confusam coniuncta habent repræsentationem seu errores (§. 9. seq. Diss. Prol.), hic intelliguntur, vti Act. III. 17. adeoque vnum non tollit alterum. Errant præ-

præterea II.) Iudæi, leges ceremoniales iam ceſſare negantes, & quidem 1) quia ſunt a DEO *immutabili*, Sed reſp. a) multa ſunt a DEO, quæ, adquiſito fine, ceſſarunt e.g. creatio, aliaque miracula &c. b) DEI voluntas non ideo mutatur, Anthropomorphismum niſi ſtatuere velis; dum vt durarent tantum ad correctionis vsque tempora, decreuit. Ebr. IX. 10. 3) Legem cerem. in T. N. etiam locum habere Act. XV. 29. XVI. 3. Sed factum id eſt non ex *neceſſitate*, ſed erga Judæos amore; nec *vi legis*, ſed ad ſcandalum avertendum. 4) Sacrificia eſſe I. N. quod immutabile. Negatur; gentiles enim imitati ſunt hac in parte Judæos, alias etiam ανθρωποθυσια eorum I. N. legisque diuinæ eſſet. Abelis vero exemplum theſin Iudæorum, quam *Pontificii* etiam ſtatuunt, non probat; quippe qui *fide*, DEO obtulit ſacrificium Ebr. XI. 4. quæ ſupra rationem (§. 823.).

§. 957. Præter ceremoniales (§. 956.) & forenſes (§. 953.), alias etiam, cum in Sc. S. tum ex ipſa rerum natura per ratiocinium deductas, leges deprehendimus, quæ *naturales* dicuntur (§. 1. I. N.); et in priori caſu poſitiuæ (§. 31. Ph. Pr.), in quarum ſi inquiramus rationem; multo ſine labore, in ipſa, eas, rationalis creaturæ, *vt talis*, natura, collocatas inueniemus. Quoniam vero creaturæ

turæ rationalis actiones liberæ, secundum leges diiudicari possunt, qua ex ratione morales dicuntur (§. 76. Ont.); ideo & nostras hoc §. leges, dici morales possunt, vt adeo *lex moralis* sit, voluntas DEI, secundum quam creaturæ rationales, *vt tales*, viuere debent necessario. Ergo & naturales, ad morales pertinere clarum est, de quibus in J. N. pluribus, ita vt de earum *existentia* hic dicamus, haud sit necesse. Quod vero ad leges illas *morales positiuas*, quas alii *morales specialiter sic dictas* adpellant, attinet; a naturalibus *re* differri *ipsa* non possunt, nisi quod illæ, clariores sint, atque speciali promulgatæ modo. Vtraque enim rei naturæ conuenit & rationali creaturæ, *vt tali*. Quænam vero illæ sint, in Theologia aliquando Mor. videbimus; h. l. enim tanquam *salutis medium*, alias & naturales O. pertractandæ etiam essent, legem, consideramus. Diuidi tamen eae solent in *primordialem*, qua omnes, ante legem in monte Sinai latam, obligabantur, & *Sinaiticam*, in monte Sinai datam, Ex. XX. quæ, a decem, quae comprehendit praeceptis, *Decalogus* etiam, & a Theologis, *moralis, compendium* dicitur. Promulgauit enim DEVS Trinunus (§. 140.), quod ex דבר אלהים etiam patet Iac. IV. 12. (quamuis ob Act. VII. 38. Psal. LXVIII. 18. 19. filium DEI auctorem causamque in specie

cie esse, non negemus) ministris, angelis Deut. XXXIII. 2. Act. VII. 53. Gal. III. 19. & Mose, Ex. XX. XXXIV. 29. Ioh. I. 17. quia naturales, post lapsum, non distincte rectèque attendebant (§. 343.), Decalogum, vt 1) Naturae lex eo clarior redderetur, distinctior, atque facilior; quo ipso 2) homines corruptionem intimam agnoscerent, et sic 3) fracti, 4) ad quaerendam salutem (quae ergo *causa impulsiua*) manu quasi duceret. Ioh. XVI. 8. Matth. XI. 12. Constat, vt O. Sc. S. ductu concedunt, praeceptis decem. In *diuisione* autem, respectu quorundam, obseruatur differentia, tam *praeceptorum*, quam *tabularum*. Quod ad *praecepta* attinet, nostram, meliorem, diuinoque verbo conuenientiorem, cum ex ipsa praeceptorum, tum ex aliis, in Codice S. signis, in *introductione nostra ad accentuationem*, solide satis probauimus. Tabulas vero duas, in quas, Christo praeeunte Matth. XXII. 28. & Mose Exod. XXXI. 18. Pauloque Rom. XIII. 8. diuiduntur, si respicimus; prima de DEI *immediate* dilectione agit: secunda, de proximi, quae tamen, quia secundum *erga nos ipsos* amorem, proximi diiudicari debet (§. 81. J. N.), illum simul *mediate* Lev. XIX. 18. includit. Eadem ergo, quae in J. N. & contra DEVM, erga nos, proximumque nostrum, officia comprehendit Decalogus.

Ergo

Ergo quæ in his, *specialia* deprehunduntur præcepta, omnia Decalogus comprehendit. Quodsi ergo, quia genus speciem continet (§. 56. Log.), præceptum continet genus, & vniuersale, 1) omnia specialia prohibentur aut inculcantur. Ergo 2) & reliquae species vnius generis, immo & ipsum genus. Ergo 3) affirmatiua; negatiua, & vice versa, includunt (§. 954.). Ergo ob sanctitatem protensiuam; extensiuam et intensiuam, nec non ex definitione habitus (§. 325.), 4) *actus* includit *habitum*, & vice versa; adeoque 5) externa; interna, et contra. Et quia correlata simul ad relationem requiruntur (§. 58. Log.); 6) posito vno pro diuerso respectu, ponitur & alterum, et versa vice. Denique maiora bona præferri minoribus debent (§. 114. Ph. Pr. Vn.). Ergo 7) secunda cedit tabulæ primæ. En! Decalogum, cuius præcepta iam singula, *concise* (ad Theol. Mor. enim amplior absolutiorque pertinet) explicandi regulas!

§. 958. Præceptum ergo I, *Ego Iehovah* &c. Ex. XX. ex regulis §. pr. & *crassiorem, subtilioremque* idololatriam *prohibet*; et amorem, timorem, fiduciam, aliaque erga DEVM officia (§. 16. seq. I. N.) iniungit. Obiicis 1) duo a commate 2 ad 6, inueniuntur præcepta. Negamus id quod (§. 127. seq. accent.

cent. noſtr.) invictis dedimus argumentis, quorum repetitio hic non neceſſaria videtur. Accentuationis enim gnarus, intelligere ibi dicta poteſt; ignarus vero, minime. Addimus tamen ex B. *Scherzeri* Syſtem. p. 168. Q. idololatria eſt, id in primo præcepto prohibetur (per antec.). Atq. O. illegitimi cultus modus eſt idololatria. E. Porro: Q. præter DEVM verum colitur, eſt DEVS alienus; Atque ſculptile; E. item: Q. pertinet ad interdictum de non habendis Diis alienis, pertinet ad primum præceptum; Atq. prohibitio cultus ſculptilium; E. Errant ergo & *Sociniani*, qui in veteri lege nec idolea, nec idolothyta interdicta eſſe perhibent. Contrarium vero ex Num. XXXIII. 52. Deut. VII. 5. 25. 2. Reg. V. 18. Exod. XXXIV. 15. conf. Pſal. XVI. 4. 1 Cor. X. 25. ſeq. 2 Cor. VI. 17. Quoniam ergo ſolus DEVS adorandus Matth. IV. 10. VI. 9. *Pontificii Græcorumque quidam*, qui αγγελολατρειαν, ειδωλολατρειαν, ςαυρολατρειαν, αγιολατρειαν, λειψανολατρειαν, Μαριοδυλειαν, παπολατρειαν &c. defendunt, errant. Nam 1) Angelus V. T. adoratus erat increatus, & 2) *Regis* imago, civili, nunquam religioſo colitur cultu; neque 3) Chriſti crux per corporis eius contactum, (alias & aſinus, terra regionesque, & Judæ os) ſanctificata eſſe poteſt. Quis vero 4) *ſanctos pro nobis orare* demonſtrabit? Nonne

Nonne ergo & sacerdotes, aliique sic adorandi? δουλειαν inter, 5) quæ sanctis; υπερδουλειαν, Mariæ, et λατρειαν soli DEO competeret, distinguunt. Verum caret hæc fundamento distinctio. Apostoli enim δουλος DEI, *Christique* 1 Cor. 1. Phil. 1. 1. Jac. 1. 1. sese nominant. Vbi enim in *Augustino*, cuius distinctionem, (sed quid ad nos?) adpellant υπερδουλειας cultus? Nonne λατρεια creaturarum, *idololatria*? Nam vitium est, quo DEI perfectiones (ergo & quæ ex iis consequuntur), creaturis tribuuntur. Quum itaque *honor* aliorum iudicium est de perfectionibus nostris (§. 110. J. N.); honor nisi perfectionibus prædito tribui nequit. Quo maiores itaque in ente perfectiones, eo maior ipsi competit honor & vice versa; DEO ergo enti perfectissimo (§. 33.), maximus, creaturæ qualem postulare haud possunt. Suis tamen & creaturæ radiant perfectionibus, vel *naturalibus* & ad essentiam pertinentibus; vel aliis a DEO quibus instruuntur, *supernaturalibus*. Ob quas itaque & religiose quidem, cultus præstatur Angelis, Mariæ, incolisque cœlestibus cet? Si ob naturalem; & alia, quæ inueniuntur, præstantia, cur non eodem colis cultu? Aurum nonne & margaritæ sol, stellæ & planetæ, maximas perfectiones continent? Si vero ob supernaturalem; nonne iu multis e. g. in sanatione,

Malchi, cœci nati, terræque Koræ ſciſſione ſupernaturalia deprehenduntur? cur hæc non religioſo cultu adoras? Quæ etiam de imaginum cultu valent. Dicis: honorem non ad imagines, ſed ad prototypa referri; id quod commune quorundam, ſed falſum, idololatriæ refugium. Verum ante imaginem cur in genua procumbis? cum tamen vim non habeat reddendi te felicem; vim enim tribuere ipſi ſi placeret, idololatria erit (per def.). Et ad Prototypa referas licet, et illa, ea conſiderari non poſſunt ratione, vt propter *finitam* eorum naturam, quæ tot preces, quas vbique fere terrarum ad illa funduntur, percipere, et tricas plicasque cogitationum introſpicere, multo minus ad DEVM rurſus referre poſſent. Cui ergo vſui? Demus ergo licet, quæ perhibent aduerſarii; *fruſtranea* erit actio, coram imagine vt in genua procumbat orans. Denique ex Pſychologia refutari hæc theſis optime poteſt. Nam ſenſatio qualem imago producit, viuida & multiplex, imaginationem, et ſic etiam cogitationes precesque confundit atque obfuſcat (§. 9. 10. 11. ſeq. Pſych.). Quodſi ergo imaginis forma non bene eſt elaborata, ad riſum, bene formata, ad admirationem artificii te mouebit, multasque ad cultum non pertinentes cogitationes excitabit. Quæ ergo de iniquo indigniſſimoque

moque imaginum hactenus cultu disputata sunt, etiam de DEI sub specie hominis, aut Christi etiam sub & coram effigie, valet; vtpote qui ad DEVM preces mittentium animos, a vero sanctitate attentioneque necessaria abstrahit, facilioriqué modo ad Anthropomorphismum abducit, contra Christi præceptum Joh. IV. 24. Et quod ad simulacrum Christi attinet, imaginem crucifixi, vt signum, quod in *memoriam* eius beneficia reuocat, in templis nostris, nos recte & sine scandalo habere posse, affirmamus; etsi coram effigie in genua procumbamus, ex rationibus iam prolatis, optime negemus. Acquisito enim fine, cessat actio (§. 80. Ont.). Melius hinc si *absente*, quam *præsente* imagine preces fundas. Sed ita siue imagines, dicis, ex templis elimines, siue minus, perinde esse; nosque & illicitas, & inutiles reiicere. Verum disputationis nostræ iugulum non premis, sed genu, sed tibiam, sed talum. Vt *signa* nec DEI, nec Angelorum, præeunte Sc. S. ipsa depingente imagines cum *Iconomachis*, *Carolostadianisque* improbamus minime. Illicitas vero ex Ex. XX. 4. pro cultu si faciant idololatrico, pronunciamus pariter. Quæ cum ita sint, frustraneam, Papam Romanum, & ad idololatriam, abripientem suscipere actionem, si quosdam (barbaram rem, barbaris

etiam vocabulis exprimere liceat) *canonizet*, aut *beatificet*. Probant quidem sententiam *Pontificii*, 1) Papam indicare posse, quinam hæretici, quinam sancti & colendi. Sed negatur (§. 87. Prol.). 2) Canonizatos ad imitandum proponi posse. Resp. hoc etiam sine canonizatione; alias etiam viuis iam illis cultus præstari deberet, quod tamen & ipsi negant Pontificii, & recte quidem: nemo enim ante obitum est *beatus* (§. 141. Ph. Pr. Vn.). Nonne & Hypocritæ esse possunt? Denique solus DEVS adorandus Matth. IV. 10; ergo & Christus (§. 100. seq.). *Franciscus* ergo *Davidis*, vna cum *Christiano Frankenio*, non debere Christum adorari, calumniatus est. Errat etiam *Socinus*, qui *licitam*, non tamen *necessariam* Christi adorationem defendit. vid. *Biblioth. Fratr. Polon.* Nec obstat 1) Joh. IV. 24. Patris enim nomen, non *personaliter*, sed *essentialiter* sumitur. Nec 2) meram creaturam esse (vt adeo dubium hoc petitio sit principii) fortissime supra demonstrauimus (§. 100. seq.). Ex Pontificiorum mente, optime de *cultu sanctorum*, scripsit, quem vero accurate refutavit V. C. *I. R. Kieslingius* Prof. Lipsi. J. C. *Trombelli Abb. Bonon.* lisdem etiam, imo & leuioribus pugnat Ecclesia Græca, *Sanctorum* vita defunctorum *religiosum* cultum (qui ad *intercessionem* tantum exorandum, non vero

ad

ad petendum ab illis *auxilium* præstetur), nec non *Mariæ, Angelorum, imaginum pictarum* (non ergo, ob idololatriam euitandam, sculptarum aut metallo fusarum) *crucis Christi, Sanctorum Reliquiarum* defendens. Verum quum Sc. S. Ex. XX. 3. Rom. X. 14. Jes. LXIII. 16. Koh. IX. 6. seq. 2 Reg. XXII. 20. Num. XXI. 8. Ezech. VIII. 10. Apoc. XIX. 10. XXII. 8. seq. Lev. XXVI. 1. 1 Joh. V. 21. non solum; sed & ipsius trium seculorum constans ecclesiæ purioris vsus reclamet (ne de innumeris, quæ in his rebus occurrunt, fraudibus, quid dicam); assumere hæc non possumus. vid. *omnino Smyrnensium Epist.* apud *Euseb.* H. E. L. IV. C. XV. Obiectiones, quas proferunt, quales ex Job. XLII. Rom. XV. 30. 2 Cor. I. 10. Phil. I. 4. 2 Reg. V. 26. Gal. VI. 14. 1. Cor. I. 18. adducunt, distinguendo inter *inuocationem religiosam* & *compellationem amicam*, inter *viuos* & *mortuos*, inter *crucis figuram* & *passionem Christi*, inter *precum formulam* & *meram compellationem*, quam in *Chæretismo* seu salutatione Angeli, deprehendimus maxime, refutare poteris.

§. 959. Nomen יהוה essentiale est (§. 2.). Ergo per *Nomen* DEI, Præcepto II. nil hic intelligi potest aliter, quam quæ ad essentiam, quæ ipse DEVS, pertinent. Ergo & non eius solum attributa; sed omnia etiam, peculiari quæ modo tribuere sibi DEVS potest, huc

ſpectant. Maxima igitur quia veneratione DEVS dignus eſt (§. 31. J. N.); *quæ huic aduerſantur, prohibita; quæ cum ea conueniunt, præcepta ſunt.* Ergo Nominis diuini vſus, ſeu abuſus potius in ſermone, oratione, precibus, lectione & auditione. Verbi Numinis, ſine veneratione, iuramentis leuibus & falſis, execrationibus & incantationibus per DEI Nomen factis, quorſum etiam Sc. S. detorſiones referunt, hæreſes, hypocriſin, blasphemias, &c. ſunt prohibita. Præcepta contra ſunt oppoſita (§. 64. Log.) e. g. Nominis DEI vſus attributis conueniens, in inuocatione, adoratione, glorificatione & gratiarum actione, & quæ ex his generalibus, ſpecialia concludi poſſunt. Genus enim continet O. ſpecies. Ergo & iuramenta vera, maiorisque momenti (§. 166. J. N.). Ebr. VI. 16. Deut. X. 20. Gen. XIV. XXI. Joſ. XIV. 9. Par. XV. 14. Rom. I. 9. IX. 1. de quibus in Th. Mor. Errant ergo *Fanatici, Quakeri, Mennonitæ,* O. qui pronunciant illicita. Nam 1) Matth. V. 34. ſeq. Jac. V. 12. de temerariis ſermo, ſiquidem non Moſaicæ ſeu diuinæ; ſed Iudaicæ & Phariſaicæ interpretationi ludicræ, & ad creaturas directæ, opponit Chriſtus. Matth. XXIII. 16. ſeq. 2) Respublicas e. g. Phrygiorum, Lesbicenſium, Batauorum, nullum exigere iusiurandum. Sed hæc non derogant legibus.

3) Chri-

3) Christianum præstare fidelitatem debere sine iureiurando. Resp. coordinata hæc sunt, non opposita, si sc. aliorum respectu fieri possit. 4) Magis Christianum per timorem DEI quam per iusiurandum. Resp. præced. *Tertii* sensus præcepti, ex idearum, *Sabbathi,* quod quietis diem septimum nominatim, et *sanctificationis,* quæ cura est, ab vsu ordinario quid separandi (§. 60.), collatione, abhibitis etiam §. 957. regulis, erui facile potest. Opponitur itaque reliquis septimanæ diebus, quibus labores ordinarii peraguntur. Quoniam vero & *externe* DEVS est colendus (§. 38. J. N.) non vero O. tanta DEVM colendi instructi sunt scientia; maiori scientia praediti, alios vt instruant est necesse, & quidem ob breuiorem viam, in conuentibus publicis (§. 171. Polit.). Sanctificetur ergo verbi diuini praedicatione & auscultatione (quorsum & Sacramentorum pertinet vsus) Act. XX. 7. 1 Cor. XI. 20. Luc. X. 16. Iac. I. 21. precibus & gratiarum actionibus publicis. Act. II. 42. 1 Tim. II. 1. Et quia omne totius Sabbathi spatium sanctificandum; cultus etiam domi, *priuatus,* in repetitione & verbi diuini meditatione (publicus enim per totum fieri commode non potest) necessarius recte habetur. Opera itaque charitatis etiam hoc praesertim die, commendantur. 1 Cor. XVI. 1. Ab-

sint ergo opera ciuilia & quotidiana, peccaminosa, & quae cultum publicum turbant & priuatum; vti sunt *recreationes* intempestivae; et quae sunt alia, ex principiis hisce prona. Explicauimus autem quod in praecepto hoc, *naturale* est & *morale*: iam etiam *ceremoniale* considerandum. Nam *septimum* praecise diem extorquere, consideratis, quae hic sunt, moralibus, non poteris (§. 37. J. N.); quo etiam ignis accensionem, onerisque portationem &c. referas Ex. XXXV. 3. Jer. XVII. 20. 21. Ex Gentilium enim quorundam obseruatione concludere nihil poteris, vtpote qui a Judæis edocti. Hi vero Saturni die Sabbathum celebrarunt. Quaestio autem mota fuit: num ante legis Sinaiticae promulgationem, ex DEI mandato celebratum fuerit? Negatur a quibusdam. Nam quae Ex. XVI. 22. 23. leguntur, de die, post acceptum *Man*, septimo, inquiunt, agunt; non de illo in Paradiso constituto; cuius tantum in maiorem attentionem facta mentio fuit. Verum ad posteriorem quod attinet sententiam, vel *sui ipsius*, vel *hominis* causa sanctificauit DEVS. Non prius, ob additum שבת, quod alias superfluum; ergo verum est posterius. *Christianorum* vero mutatio diei, ob resurrectionis Christi, Sp. S. effusionis recordationem, quam etiam *licet* a DEO *non praeceptum*, sanciverunt Apo-

stoli

ſtoli 1 Cor. XVI. 2. Act. XX. 7. hodie, ob *ius gentium Chriſtianorum* iuſta omnino habetur. Quemadmodum vero ceremonialia per ſe ceſſant (§. 956.); ita & in Sabbatho; morale vero minime Matth. V. 18. 19. Errant ergo *Sociniani Anabaptiſtæ* cum ceteris, qui tertium præceptum plane ſuſtuliſſe probarunt 1) Gal. IV. 10. Col. II. 16. per diſtinctionem noſtram refutandi. Refutatur etiam, aliud eorum dubium: nullum fuiſſe futurum Sabbathi hebdomarii vſum in ſtatu integritatis, & per principia noſtra negatur. Alii in præcepto noſtro: *naturale: morale*, diem ſtatum; *ceremoniale*, ſeptimum diem, *politicum*, quieſcendi ſpatium diſtinguunt. Quoniam vero Sabbathum ex iure gentium Chriſt. vbi poſt electionem (nam ante eam *libertatis*, concedo, erat) neceſſitatis eſt; a nulla eccleſia *particulari* mutari dies poteſt. Verum quum feſta, Paſchatis e. g. Pentecoſtes, Michaelis, Johannis, Mariae & Apoſtolorum &c. ad cultum etiam diuinum qui non prohibetur, ſed commendatur, pertinent; neque tamen ex Jure illo Gentium (exceptis fortaſſe quibusdam) deduci poſſunt e. g. Mariae, Apoſtolorum; non temere alios eccleſiam dies feſtos modo non ſi deſtituantur fundamento, & veritate, ordinare, vel reiicere, patet; id quod ex Judaicæ iam eccleſiæ conſtitutione claret.

Esth. IX. 29. 1 Macc. IV. 49. Joh. X. 22. Recte vero, quia fundamento carent, superstitiosa non probantur e. g. Ascensionis & conceptionis immaculatæ Mariæ, OO. SS. animarumque OO. cet. Minime vero ex Rom. XIV. 5. aut. 1 Cor. V. 7. refutamur. Nam per posteriorem, nostra non excluditur thesis; in priori vero recitat tantum, non probat talia Apostolus.

§. 960. Tria, quae explicauimus, præcepta, *primam* constituunt *tabulam:* ad secundam iam, quae reliqua continet. Per principium vero reductionis, parentum Tutorum & Curatorum, Mariti, Dominorum & Magistratuum officia eadem deprehendimus (§. 287. 321. seq. J. N.). O. hinc vt Parentes considerari possunt; id quod vsus, qui apud Ebraeos aliosque inualuit fere vniuersalis, quoque probat. Ex regula itaque (§. 957.) omnes qui nobis vt regentes sunt praefecti, per Parentes, *quarto* intelliguntur *præcepto:* quorsum ergo praeter ceteros, seniores aetate, praeceptores, ecclesiarumque ministros referas. Q. ergo ad directionem aliorum confert, est faciendum; Q. ei inimicum, omittendum. Temporalem ergo & aeternam liberorum felicitatem promoueant; caueantque, ne se ipsos contemtibiles faciant; aut liberis, negligendo, aut

aut iniustis minis, exemplis, promissis, solicitationibus &c. corrumpendo, aut quaque laesione noceant. Ita vicissim liberi, parentes *interne* & *externe honorent*, diligant, ipsis *seruiant*, felicitatemque eorum, quantum possunt promoueant, atque sine laesione praeceptorum DEI, *obediant*. Hinc O. prohibetur *contemtus* atque *offensa*. Malach. II. 14. Num. V. 11. seq. XXI. 16. Deut. VI. 7. Prov. XIX. 18. seq. Deut. XV. 15. Iob. XXXI. 13. Deut. I. 17. 2 Paral. XIX. 6. Deut. XVII. 18. seq. Eph. V. 25. seq. VI. 3. 4. Col. III. 19. Rom. XIII. 1. seq. 1 Tim. V. 8. Prov. XIII. 24. Errant ergo *Sociniani*, qui in V. F. haec officia non fuisse praescripta, affirmant. *Praecepto* V, omnis *speciei* homicidia seu imperfectiones *corde*, cogitationibus, Matth. V. 22. Ioh. III. 15. *ore* s. conuitiis; *gestu* desperato Gen. IV. 5. & *opere*, manu aliisque instrumentis facta, prohibentur; et haec quidem, quia et inimici amandi (§. 104. I. N.); non solum, respectu nostri, sed & aliorum, quos *Proximos*, S. S. nominat. Ex. XI. 2. Luc. X. 29. seq. Ex. XXIII. 4. 5. Deut. XXIV. 14. Prov. XXV. Caue tamen homicidia tantum, corporis ratione, prohibita esse putes; anima enim & tua & proximi, scandalo, & negligentia deterior reddi imperfectiorque potest, h. e. occidi. Ergo conseruatio animae & corporis propria & aliena, quaeque ex

ex ea consequuntur, est praecepta (§. 957. & 40. seq. J. N.). Errant ergo *Sociniani*, qui in Vet. lege inimici amorem non fuisse imperatum, saltim eius qui Israelita non esset, affirmant. Sed praeter loca iam excitata vid. Prov. XX. 22. Lev. XIX. 34. seq. Ier. XXIX. 7. Probant quidem 1) ex Lev. XIX. 18. sed. vid. Ex. XI. 2. et Luc. X. 36. seq. 2) ex Odio Cananaeorum Ex. XXIII. 32. XXXIV. 11. Deut. VII. 2. XXIII. 3. 6. XXV. 17. Verum non fuit praeceptum *generale*, Iudaei dum milites, *iudicia exercentes diuina*, fuerunt. 3) Sermones & gestus non fuisse prohibitos Ex. XXI. 20. seq. Leu. XXIV. 19. Sed vide Prov. I. 22. IV. 24. XVII. 5. XX. 22. 2 Reg. II. 23. seq. 4) Non, vita vt pro fratribus poneretur, aut maxilla praeberetur percutienti, in V. F. inculcabatur. Sed vide Ex. XXXII. 32. Jud. IX. 17. 2 Sam. XVIII. 33. XXIV. 17. XXIII. 17. *Praecepto* porro VI. *virginalis*, quo & *vidualis* pertinet, & *coniugalis* castitas mandatur; prohibetur vero impudicitia quaeuis (§. 957. Reg. 1. & 2.); siue *corde* & *ore*, siue *gestu* peragatur & *opere*. Ergo & omnes etiam, quae occasionem praebere impudicitiae possint, rationes & circumstantiae e. g. ebrietas, praua societas, oculorum lasciuia, oscula impudica &c. vetantur quoque 1. Cor. VII. 34. Rom. XIII. 14. Eph. V. 18. Dubia

Soci-

Socinianorum qui haec in V. T. minime interdicta fuisse, blatterant, refutantur Ex. XX. 18. Prov. VI. 25. Ex. XXII. 16. Deut. XXIII. 27. Prov. V. 3. VI. 26. VII. Lev. XIX. 2. Num. XV. 40. De Polygamia vero & repudio Theol. agit Mor. *Praecepto* VII. omnes *iniustitiae* species, *corde, ore* & *opere,* in omni statu, paterno, herili, domestico & publico prohibentur e.g. quae fiunt in contractibus emtionis venditionis, locationis & conductionis, &c. de quibus (§. 215. seq. J. N.). Commendatur vero *iustitia* his in rebus opposita; nec non quae inde sequitur diligentia, parsimonia & liberalitas (per regg. sub fin. (§. 957.). Quoniam itaque & haec in V. T. interdicta sunt Ies. V. 8. Ier. VI. 13. VIII. 10. Lev. XIX. 13. Deut. XXXIII. 20. XXI. 20. Prov. XXIII. 20. Ies. III. 16. seq. Leu. XIX. 9. seq. Ex. XXIII. 11. Deut. XIV. 28. XXIII. 19. XV. 7. seq. rursus *Sociniani,* qui haec negant, errant. Iam *Praecepto* VIII. omnis linguae abusus prohibetur; sicut legitimus vsus mandatur. Ergo sermocinantium huc pertinent officia (§. 145. seqq. I. N.); et quidem *in* iudicio, quoad *Actorem, Reum, Aduocatum, et Iudicem,* ne contra conscientiam agant; et *extra* illud. Hinc ne, quae in famae vel *nostrae* vel *alienae* cedere laesionem possunt, spargendum est vel audiendum, siue vera sint, siue fictitia.

Contra;

Contra; quibus felicitas noſtra pariter et aliena promouetur, audiendum et proferendum. Ergo et famam noſtram, vt ſe enim quisque diligere debet, proximum (§. 81. l. N.), defendere obligamur. (112. l. N.) Eph. IV. 24. 25. Exod. XXIII. 1. Mich. VII. 23. Quia itaque et mendacia et obtrectationes omnes in V. etiam F. damnantur Leu. XIX. 11. 16. Pſ. V. 7. XV. 3. L. 19. Prou. XII. 22. IV. 24. *Sociniani* errant, qui haec negant. Denique IX. concupiſcentia *actualis*, adeoque et omnes affectus et adpetitus mali et boni, et X. *originalis*, prohibentur et praecipiuntur; id quod ex duplici verbo תחמד et תתאוה patet, quod ſignificat: non facies te concupiſcere, vel non habebis, per quod et ex quo concupiſcas actualiter. Et quia Deut. V. 18. obiectorum ſit transpoſitio, vxor dum primo recenſetur, domus vero ſecundo loco; ab obiectis, nos diſtinctionem horum praeceptorum peti proprie non poſſe, liquet. Ergo decimo, motus primi et *actus indeliberati* prohibentur, iuſtitia vero originalis mandatur. Hinc quia *abnegatio ſui* Deut. XXXIII. 9. Pſ. CXXXI. 3. *crucis aſſumtio* Prou. III. 11. Pſ. CXIX. 71. *fiducia* porro in DEVM ſumma Prou. III. 5. Ieſ. XXVI. 4. *caritas maxima* Deut. VI. 5. et *humilitas* Mich. VI. 8. etiam in V. T. imperantur;

rantur; *Socinianos*, qui haec negant, errare, claret.

§. 961. Quum ergo ex Decalogo, omnes deduci leges morales possint, omnesque, quas Christus in N. T. proposuit, in V. iam inculcentur (§. 959. 960.); perfectaque exigatur vtrinque obedientia (§. 954.); legem non perfectam modo, sed & nouum legislatorem minime esse, abunde patet. Psal. XIX. 8. Deut. XII. 32. Errant ergo I. *Sociniani*, qui nouum legislatorem, Christum dicunt; et II. *Remonstrantes*, qui legem pleniorem redditam, specialibusque, Christo propriis, correctam legibus esse, nulliusque, hanc controuersiam, momenti esse; communemque veterum omnium esse sententiam (e. g. *Irenæi, Hilarii, Augustini* vid. *Apol. Conf. Remonstr.*): Christum noua & perfectiora præcepta legibus Mosaicis addidisse, asserunt. Verum de Christo, nouo legislatore, dubia supra confutauimus (§. 708.); Ad *momentum* vero quod attinet, caput fidei princeps: de Christi satisfactione, obscuratur non solum; sed & de fidei *iustificatione*, cum subsequente *Renouatione*, commiscetur; nostraque *gloriatio*, ex qualicunque præceptorum Christi obsequio, fulcitur & nutritur. *Irenæus* vero totam, nomine legis, N. T. œconomiam intelligit; et *Hilarius* & *Augustinus*

ſtinus, ſecurius, quod præſentire abuſionis periculum haud poſſent, loquuti, nobis non ſunt principio; immo & rectius explicari poſſunt. Ergo Aduerſarii legis perfectionem negantes, exemplum, legemque ſpecialem, in Morali non contentam, adducere tenentur; quam, regulis (§. 957.), logicisque, probe intellectis, ſubſumere facile poterit quiuis.

§. 962. Lex igitur, quam (§. 957. ſeq.) in *compendio* explicauimus, in natura rationali, *vt tali,* ſuum cum habeat fundamentum (§. 957.); hæc vero natura hominis *vniuerſalis* ſit, nec *deponi* poſſit; ideo lex Moralis, 1) non *omnes* ſolum homines obligat; ſed & 2) *nunquam,* niſi, ceſſante natura humana, *abrogari,* aut ceſſare poteſt; dum et ipſam continet legem naturalem (§. 957.), quæ immutabilis (§. 131. J. N.). Rom. III. 19. Verum dicis: ita & Decalogus omnes obligat homines, cum tamen *ſolis* promulgatus ſit Iſraelitis. Sed diſtinguo inter Decalogum *materialiter talem,* vbi præcepta, quæ continet, et *formaliter,* vbi relatio intelligitur, qua duabus tabulis inſcriptus eſt. In priori enim, *omnes,* ceremonialibus ibidem exceptis (§. 958. ſeq.), obligat; in poſteriori vero Iſraelitas. Ita facile *Scholaſticorum,* aliorumque, dubium formantium Logomachiam,

machiam evertere poteris. Ita etiam Theologorum nonnullos sequimur minime, qui, legem moralem 1) quoad *iustificationem* (§. 889.) 2) maledictionem (§. 892.), et *rigorem exactionis*, abrogatam esse minus accurate, quia nihil ibi valet, loquuntur; dum *substantialia* confundunt cum accidentalibus. Quodsi enim Moralis abrogata esset; nullum plane hodie etiam haberet *vsum*, quod tamen concedere non possumus. Nam, quia sanctitatem lex requirit, protensiue, intensiue et extensiue subiecti obiectique respectu talem (§. 954.); hominis vero post lapsum natura corrupta sit (§. 363.), ita vt impotentiam propensionemque ad malum, habitualem, etiamsi regenitus atque renouatus (de irregenito enim plane non est sermo), in se deprehendat (§. 324-327.); protensiue quidem (§. 936.), sed non *intensiue*, vtpote semper P. O. agens cum impugnet (§. 372.); nec extensiue respectu obiecti talem, quam perfectionem etiam partium adpellant (§. 915.), (quamuis et hic subiecta probe distinguenda, dum non eadem, omnia sunt) possibilem perfectamque, concedimus. Alii perfectionem inter *sinceritatis* s. *comparatam*, et *consummationis*, s. *absolutam*, qualem consequi sine P. O. potuissent, distinguunt. Act. XV. 10. Non de circumcisione *tantum*, sed de omni

lege agere, comma 5. et 20. docet. Rom. VIII. 3. VII. 14. Ergo inter regenitos quia gradus dantur (§. 915.); nec vllus *perfecte* implere legem potest (per antec. ne de irregenitis dicam); vsum lex moralis 1) *politicum* praebet, qui in externae praecipue disciplinae conseruatione consistit, vt renati etiam vitia magis magisque deponant, quo respectu *frenum* aut *repagulum* dicitur Matth. XXII. 40. Rom. XIII. 8. nec non 2) *didacticum*, s. directionem actionum moralium (*regula* ita est *vivendi*), ne propriam excogitent sanctitatem; adeoque 3) *elenchticum* etiam, s. peccatorum, iraeque diuinae manifestationem (vbi *speculum*); qua peccatum praecipue inhabitans suamque imperfectionem agnoscunt; eaque propter 4) *paedagogicum*, s. ad Christum *indirecte* (formaliter enim et directe non de Christo agit (§. 953.), tanquam salutis medium ducit; rectequé sic *paedagogus ad Christum* dicitur. Gal. III. 24. Quis itaque hac ratione, legem et ad *renatos* s. Christianos etiam pertinere, negabit? Denique sanctitas nostra quia imperfecta (per antec.); nulla hodie in lege salus aeterna (§. 294. seqq.). Etsi vero perfectam Christi obedientiam iustitiamque renatis imputari, viresque illis supernaturales conferri, non negemus (§. 890 - 909.);

Rom.

Rom. X. 14. VIII. 13. 1. Ioh. III. 9. non tamen a regenito, iuxta επιεικειαν *euangelicam* ſeruari poſſe legem, *abſolute* concedere quimus. Nam επιεικης eſt, qui de iure ſuo quid remittit. Nam per illam επιεικειαν, actio ſecundum legem non fit perfecta, id quod ipſa vocabuli notio declarat; etſi illa *a parte* DEI, *in iudicio* de B. O. noſtris, locum habeat, ita vt imperfectiones noſtræ tegantur, et *non obſtantibus imperfectionibus* (adſunt ergo), DEO *placeant*: quo ſenſu, non vero *priori*, concedimus 1 Pet. II. 5. Ebr. XIII. 15. quapropter Logomachia res eſt, ſicut quaeſtio: ſuppleat ne defectus Opp. noſtrorum meritum Chriſti? Errant ergo I) qui moralem etiam abrogatam putant, quia 1) cum Moſe Chriſtiani nil commune habent. Verum lex haec non Moſis eſt, ſed DEI et Chriſti (§. 957.). 2) Praeceptum tertium abrogaſſe Chriſtum Act. XX. 7. 1 Cor. XVI. 2. Neg. ceremoniale quidem, ſed non morale (§. 959.). Errant etiam II) *Sociniani, Pontificii, Arminiani* et *Anabaptiſtae* aliique, qui impletionem legis perfectam defendunt, quorum dubia (§. 915.) refutata, hic repetere nolumus. Hoc tantum monemus: controuerſiam eorum, qui *ſeruare*, ſed non *implere* legem renatos poſſe aſſerunt, eſſe Logomachiam; dum vtraque Phraſi vtitur Sp.

S. 1 Ioh. III. 22. Gal. VI. 2. Rom. II. 25. XIII. 10. prouti etiam τηρειν et φυλαττειν et שמר 1 Sam. I. 12. praestationem accuratissimam, et *studium* praestandi legem denotant. Errant ergo III) *Antinomi*, ex Anabaptistis *Libertini*, et *Fanatici Anglicani*, qui legem moralem ad Christianos non pertinere docent 1) Rom. VI. 14. Resp. Non sunt sub *maledictione* et molesta *coactione*, sed tamen sub obligatione, et non *sine* lege, aut *contra* eam. 2) 1 Tim. I. 9. sc. vt graue onus, siquidem lege DEI delectantur.

§. 963. Quoniam vero promissio de gratia remissionis peccatorum propter Christum per fidem, euangelium est (§. 953.); *obiectum* eius *Christus* est gratiaque DEI; quae, quia vniuersalis est (§. 457.), ex *intentione* DEI, *omnibus* in *solo* propitiatore, eiusque merito, *sola* enim fide iustificamur (§. 890.) oblata. Col. I. 23. II. 11. 1 Cor. I. 21. Ebr. XIII. 8. XVI. 2. Verum ex gratia quoniam saluamur (§. 890.); in gratuita salutis aeternae promissione, *formam* eius consistere patet; adeoque ad regnum cum gratiae, tum gloriae sese extendit. Rom. III. 23. 24. Marc. I. 14. Eph. I. 13. Ioh. VI. 68. 2 Cor. V. 18. Ergo *primarium* eius est *officium*, (secundarium vid. §. seq.) seu

seu *finis* respectu *nostri vltimus, saluare* hominem Rom. III. vlt. I. 16. 1 Cor. I. 21; *intermedius* vero remissio peccatorum (§. 953.); ex parte vero DEI, gloria eius (§. 36. Th. N.), Luc. I. 7. 1 Cor. I. 24. Eph. III. 10. Quia vero *promissio*, euangelium est propter fidem (§. 953.); *medium*, quo acceptatur euangelium, fides est in Christum. Marc. I. 14. 15. Iac. I. Noli vero nostram hanc, ex *ratione:* quia fidem euangelium producit, Rom. X. Ioh. XVII. 20. reiicere sententiam. Non enim sunt αστυγατα; si modo inter *effectum* euangelii distinguas, seu *organum offerens* et *organum apprehendens.* Qua ex distinctione etiam intelligere poteris, non *omnes* promissiones euangelicas a fide esse suspensas, e. g. vocationem, illuminationem, conuersionem et regenerationem; etsi *quaedam:* remissio peccatorum, et quae hinc consequitur vita æterna, dependeat. Rom. X. 9. Et quoniam in promissione consistit gratuita (per antec.); multo minus euangelicae promissiones, a conditione *operum* suspensae esse possunt. Act. XX. 24. Rom. XI. 6. praecipue, quum non amplius sub foedere simus operum, sed gratiae (§. 433.), cuius summa est: in Christum crede. Act. XVI. 31. Gal. III. 12. Errant ergo *Pontificii*, promissiones euangelicas, conditionem seu

ordinem operum requirere, affirmantes. Nam 1) dicis; *fides, bona requirat opera;* ſed concedimus B. O. neceſſitatem et poſſibilitatem, reſpectu *renouationis,* non iuſtificationis (§. 890.). 2) Luc. X. 28. quaeſtio *legalis* erat, non *euangelica;* ergo et reſponſio addenda erat *legalis.* Ergo petitio eſt principii. 3) Rom. VIII. 13. Verum, verba non *conditionem, ſub qua* æterna vita eſt promiſſa, inuoluunt; ſed *ſubiecti conditionem,* CVI eſt promiſſa.

§. 964. Quoniam itaque euangelicae promiſſiones propter fidem ſunt (§. pr.); impoenitentibus, qui fide non ſunt praediti (§. 853.), praedicari euangelium non poteſt cum *fructu ſalutari.* Ergo praedicandum, ſeu *adplicandum* eſt tantum poenitentibus et credentibus Ieſ. LXI. 5. Ebr. IV. 2. Ergo non eſt *poenitentiae concio.* Nos vero in ſenſu euangelium ſpeciali ſumere, perſpicit quiuis (§. 935.). Nam quia remiſſio hoc ſenſu per illud, peccatorum promittitur (§. 953.); agnitio deteſtatioque peccatorum, quae poenitentiae notionem etiam continent (§. 869.), iam *ſupponitur;* quae vero ex lege eſt (§. 935.) Rom. III. 20. quae frangit hominem, terretque, et æternam mortem annunciat. Alio vero officio vtitur euangelium (§. pr.) Ieſ. LXI. Matth. XI. 5. id quod

quod etiam ex prima eius origine patet. Gen. III. 15. XII. 3. 2 Sam. VII. 12. seqq. Iesa. LIII. tot. Quodsi vero in sensu Evangelium sumis generaliori (§. 953.); poenitentiae concionem esse, omnino largimur. Act. II. 21 - 38. Luc. XXIV. 24. Errant ergo, aut mitiores si sumus iudices, Logomachiam excitant *Pontificii*, aliique rectius qui per poenitentiae, quam gratiae concionem describi Euangelium putant. Nam 1) Act. II. 37. XXIV. 25. et legem et Euangelium praedicarunt Apostoli; ita vt obiici terror iste non possit. 2) Cominationes Matth. V. 22. VII. 19. non sunt DE Euangelio, quamuis sint IN Euangelio. 3) Concedimus Spir. S. arguere peccatum ἀπιστιας Ioh. XVI. 8. Verum id non per *solam* legem; sed per legem eiusque rigorem, in Christi passione demonstratum, quam hoc modo *illustrat*, id quod Euangelii officium *secundarium* adpellari omnino potest, Rom. III. vlt. siquidem de ἀπιστια in Christum, *lex*, vt lex, nihil nouit (§. 953.). Cadit ergo *secundario* hoc officio, dubium ipsorum 4) passionem Christi, *realem* poenitentiae concionem esse; itemque 5) ex Rom. I. 18. inprimis cum l. c. de *lege* naturali sermo, 6) contritionem *salutarem*, ex Euangelio esse, obiiciunt. Sed contritio non *medium* est *salutis causale*, sed *ordinis diuini*.

7) Euangelium odorem esse ad mortem 2 Cor. II. 15. Ergo concionem poenitentiae. Verum mortis fit odor *per accidens*, non *per se*: quia scilicet *euangelio refragantur*, seu in Christum non credunt. Qui vero in Christum credit, *Euangelio obsequi* dicitur et *obedire* Rom. X. 15. quod necesse, quia alias nulla salus (§. 816.) Rom. XVI. 26. 2 Thess. I. 8. 9.

§. 965. Si vero, inquis, credentibus tantum praedicandum est Euangelium (§. pr.); nos contradicimus (§. 963.). Verum salua res est, si modo ad verba: *fructu salutari* (§. pr.), et *ex intentione* DEI (§. 963.), attendis. Est ergo pro *omnibus* (§. 963.). Ergo, quia fides adest (§. 953.); quae supra rationem (§. 817.), Euangelium ad mysteria pertinet (§. 953.), in V. et N. F. *necessario* reuelatum. Rom. XVI. 25. 26. 1 Cor. II. 7-10. Gen. III. 15. seqq. locisque (§. pr.) excitatis. Deut. XVIII. 15. Act. X. 43. Vide etam *Psalm* II. VIII. XXII. XLV. CX. *Ies.* VII. LXI. *Ier.* XXIII. *Dan.* IX. *Hos.* XIII. *Mich.* V. *Hag.* II. *Zach.* IX. XIII. *Mal.* I. III. IV. Errant ergo 1) qui *ante* Mosis tempora, solis naturae legibus, et *post* illa, *sola* Mosis lege saluatum esse genus humanum, perhibent. Errant II) etiam *Remonstrantes*, *Anabaptistae*, vitae æternae promissiones in

V. F.

V. F. negantes (§. 297.). Errant ergo III) et *Sociniani*, cum Christo demum Euangelium coepisse, adeoque N. T. proprium esse affirmantes. Nam *parcius* quamuis atque *obscurius, typisque* et verbis etiam abstrusioribus, pro aeui illius Oeconomia Gal. IV. 1. seqq. in V. T. inuolutum esset, et *gradatim* magis dilucidatum Rom. XIII. 12. III. 21. Act. X. 43. Ioh. V. 6. in N. vero, luculentiori euolutum modo; non tamen ideo, ob loca iam ex V. F. excitata, in Aduersariorum transire castra, ea propter cogimur. Probant quidem 1) Luc. II. 10. Rom. I. 1. Sed distinguendum inter Euangelium in sensu strictiori et strictissimo (§. 953.). 2) Ioh. I. 17. Sed duplici Moses considerari respectu potest, legis vt *Minister*, et vt *Propheta*. 3) Euangelium tantum promissio dicitur Act. XIII. 32. Gal. III. 18. Rom I. 2. Ergo in V. T. non est praedicatum. Resp. promissio, nisi strictissimo sensu Euangelium sumas, idem nobis est, quam doctrina de Messia, quae, per loca excitata in V. F. omnino fuit. Ergo si in V. et F. N. reuelatum, et supra tamen rationem (per antec.); *auctor efficiensque causa*, esse potest nemo, quam DEVS (§. 12.) Rom. XVI. 26. Eph. III. 9. et quidem Trinunus (§. 140.) Ebr. I. 1. seqq. Ioh. I. 17. 18. III. 15. 16. Eph. III. 5.

2 Petr. l. 12. *ministri, viri sancti* autem (per antec.) itemque *angeli*. Luc. II. 10. XXIV. 4. Act. l. 11.

§. 966. Per Euangelium nobis et remissio peccatorum promittitur, et vita aeterna (§. 953.), quae maxima inter bona referuntur (§. 36. Ont.). Quodsi ergo, quae in Euangelio offeruntur, bona recte perpendat homo, fieri aliter, bona tantum quia appetimus (§. 128. Psych.), non potest, quam vt omnes ita actiones dirigamus, bonorum vt promissorum participes reddamur. Rationes ergo bene agendi cum sic Euangelium concedat, quae *motiua* dicuntur (§. 130. Psych.); noua, quibus in statu naturali caremus, motiua, Euangelium nobis praebere, constat. Ex motiuis vero oritur actio (§. 139. Psych.). Ergo quo frequentior atque distinctior horum motiuorum in nobis est repraesentatio, eo frequentior nostra in bono, quae habitum efficit (§. 11. Eth.), erit actio. Habitum ergo modumque bene agendi faciliorem in nobis Euangelium producit, atque conatum agendi. Conatus vero agendi dicuntur vires (§. 55. Ont.). Euangelium ergo nouas nobis bene agendi seu ad B. O. concedit vires. 2 Petr. l. 2. 3. Quoniam autem B. O. ex fide proueniunt (§. 922.); fidem, Euan-

Euangelium, collatis istis viribus, non confirmat solum et auget; sed vt renouatus etiam in fide sanctitateque perseueret, efficit. Quae omnia vero cum ad renouationem pertineant (§. 907.); in *renouatione*, et *fidei perseuerantia*, quod suum est, quoque agit. Gal. V. 17. Ebr. XIII. 16. Ergo cum confirmet fidem augeatque Euangelium (per antec.); fide vero praeditis peccata sunt remissa, adeoque existunt iustificati (§. 888.); in *iustificatione* etiam, vbi iustitia Christi adplicata, absoluit atque viuificat, locum habere, patet. Gal. II. 10. III. 13. Denique fidem etiam quia Euangelium accendit (per antec. et §. 963.); in *conuersione* quoque et *regeneratione* necessarium Euangelium (contritione enim et fide, poenitentia constat) esse, concludere quiuis potest. Quum itaque et lex in *conuersione*, iustificatione, et renouatione, suum quod est, agit (§. 962.); Lex et Euangelium in praxi *coniuncta* sunt, et esse debent; siquidem vnum sine altero, his in casibus, esse nequeunt.

§. 967. Quodsi denique cum lege, Euangelium comparamus; *auctoris* (§. 957. et 965.), *subiecti*, quod omnes homines (§. 962. et 963.), *finis* (§. 297. et 965.), *durationis*que respectu, *conuenire* animaduertimus.

Differunt

Differunt tamen 1) ratione *cognitionis*, lex enim natura nota; euangelium est mysterium (§. 957. et 965.); 2) *obiectorum*, cum a) *realium*, *agenda* dum lex tractat, euangelium *gratiae beneficia*, *donanda*: tum b) *personalium*, siquidem conuictos lex *prosternit*: euangelium *erigit* atque *confortat* (§. 964.); 3) *modi*, vbi *analogiam* quandam iustitiae præ se fert lex ad *compensationem* Rom. IV. 4. Euangelium vero *meram* continet *gratiam* (§. 288. et 965.); 4) *officii* dum lex accusat ac damnat, euangelium absoluit, et *consolatur* (§. 964). *Consolatio* enim actio est, qua adflicto ad voluptatem praebemus motiua.

CAPVT XVIII.

DE CIRCVMCISIONE ET AGNO PASCHALI.

§. 968.

Rupto foedere operum (§. 323.), legem DEI ad salutem datam, homines perfecte seruare non possunt (§. 962.). Hinc Euangelii statim ob benignitatem DEI, praedicatio succeſſit (§. 963.), quam sibi Patres, quorum fere familiae ad Abrahamum vsque eodem loco habitarunt, adplicauere, ad

ad Posterosque propagauere. Gen. III. 15. Ebr. XI. 1-7. Abrahamus vero eiusque descendentes cum ex patria abirent, inque varias, successu temporis, terrae, ex DEI intentione descenderent regiones (§. 458.); multo clariori luce Messiam ipsi manifestauit, fore scilicet, vt ex eius semine nasceretur optimus seruator Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. peculiarique foedere, quod et cum *posteris eius* pepigit, comprobauit Gen. XXI. 12. Et ne obliuio eos huius foederis tangeret, sigillo quodam illud obsignauit, praecipiens: vt se omnesque *mares*, qui beneficiis in foedere promissis, frui vellent, praeputium rescinderent, id quod circa natos, die, ob dignitatem rei et corporis teneritudinem, aetatis octauo, (nisi circumstantiae, prouti ipsius Abrahami, aliorumque suorum domesticorum et Proselytorum respectu, nec non in deserto Ios. V. 5-8. contigit, impedirent) etiam obseruarent; quod si fecerint, se eorum futurum esse DEVM, promisit. Quia vero cum creatura mala, DEVS sese non coniungit (§. 61.), neque eius esse DEVS potest; omnes vero Abrahami, P. laborarunt O. (367.), adeoque sine fide in Christum (§. 816.), posteri erant; *fidem*, circumcisione hac, *natis*, obtulit atque concessit DEVS, omniaque quae ex fide proueniunt,

niunt, bona, illuminationem, regenerationem, iustificationem atque regenerationem. Hinc administrabatur, prouti etiam ab hodiernis Iudaeis, per *verba institutionis*; quae ergo *modum administrationis* constituunt. Sunt quidem et alia, quae in circumcisione adduci possent; verum *accidentalia* quia concernunt, operosi hac in re esse nolumus; praecipue quia ad *antiquitates* magis Iudaicas, quam ad Theologiam pertinere videntur. Ita e. g. peragebatur haec actio *ministris*, seu *causa ministeriali*, *patribus* primum *familias* Gen. XVII. 26. tum *Sacerdotibus* atque *Leuitis*, *ordinarie* 1 Macc. II. 46; *extra ordinem* vero ab aliis *viris* et *foeminis* etiam Ex. IV. 25. 1 Macc. I. 63. 2 Macc. VI. 10. coll. 1 Pet. III. 6. et Luc. XIII. 16. Ita *instrumentum*, seu *instrumentalis causa*, siquidem a DEO minime determinata; ad *accidentalia* pertinet, alii dum cultro acuto vtebantur *petrino*, *ferreo* alii autem vt hodie etiam, chalybeo. Ex. IV. 25. Ios. V. 3. Ita qui nunc viuunt Iudaei, sellam Eliae adponunt, patinasque, quarum *altera* cultrum, arenam, abscisi quasi sepulcrum praeputii; *altera* ceram continet, nec non cum vino poculum, in quod sanguinem, ore ex laeso membro extractum exspuit, et quae sunt alia.

§. 969.

§. 969. DEVS ergo, qui circumcisionem mandauit, salutemque (vtpote quae a nulla proficisci creatura potest) hoc modo concessit, *instituens caussa* (melius certe quam *efficiens*, nisi *principalis* vocem addis, quia et alii circumcisionem peregerunt) dici recte potest, et quidem *Trinunus* (§. pr. et 140.). Gen. XVII. tot. Ex eodem etiam (§. pr.) *fines* accurate facileque concludere *et principales* possumus, a) *medium*, qui aut *sigillum iustitiae* Euangelii *conferendae* et *collatae* Gen. XVII. 7. Rom. IV. 11. Ioh. VII. 23. nec non continua b) Messiae ex illorum semine oriundo, repraesentatio; *et secundarios*, quos *intermedios* alii nominant. Nam quia nullo gentes regenerationis medio frui potuerunt alio; non a) *segregabantur* solum ab aliis hoc modo populis Iudaei, Rom. III. 30. IV. 11. Eph. II. 16. sed de peccatis etiam *remouendis* b) admonebantur, quae cum fide consistere nequeunt (§. 827.), Ier. IV. 4. adeoque de P. O. et actualibus. Ex finibus ergo adductis, qua ratione, medium salutis esse circumcisio potuit, claret. Nam quia iussu fallere nescientis, et, quod maximum, *foedus pangentis* DEI peragebatur; ita vt hac ratione semper liberator, ob varias rationes ipsis repraesentaretur, maximum, fides eorum sibi acquisiuit pondus. Nam quo distinctior certior atque viuacior est

est sensatio; eo *facilior* est eius reproductio, quo ipso fides reuera habitualis (§. 325.), in iis ex intentione DEI oriri et potuisset et debuisset. Hinc peccata quia cum fide consistere non posse perspiciebant (§. 827.); non solum ob *habitum* facilitatemque agendi, sed ob *motiua*, quae hinc oriebantur, quibus positis et actio ponitur (§. 139. Psych.), bonas edere, malas vero deprimere atque fugere actiones, adeoque sic continuo in vitae sanctitate crescere potuerunt. Hinc videre licet, cur in *virili membro* facta fuit circumcisio; nullum dum ob *morales* hasce tam, quam *physicas* (*detrimentum* alias aut *deformitatem* quia alterius membri mutilatio attulisset) capacius et ad finem aptius fuit. Et quia multitudinem etiam seminis Abrahamo DEVS promisit, Gen. XV. 5. Orientalium vero populorum praeputium plerique nimis longum habebant, in procreatione sobolis adeo impedimentum; et alius hic *finis secundarius* conspicitur, c) *gentis* scil. *Iudaicae multiplicatio*, et d) *promissionum* DEI, quae inde consequuntur, veracitas; quo ipso rursus eorum augeri fides potuit. Quodsi vero, quae de habitu motiuisque et aliis hactenus disputata sunt, a Iudaeis omittebantur, nec salus etc. oriri, nec circumcisio ipsis auxilio (ceremoniae alias erant solae, quae vim saluandi non

non habent (§. 956.), esse potuit. Nec est, vt salutares, quos iam demonstrauimus, effectus, ex hac ratione neges, quia ex Ethnicorum moribus mutuo acceperit DEVS; nam hoc non solum, quia *nondum probatum*, negatur, Ier. IX. 26. sed, si concedatur etiam, inde nil sequi contra nos potest. DEVS enim vt totius mundi Dominus, omnibus, ad *salutarem* finem, quo Ethnici caruerunt, vti potest. Ex *salutari* denique fine *vtroque*, cur adultis quantocyus post informationem properandum fuit, claret. Hinc quia per circumcisionem confertur fides (per ant.), fides vero ex sola est benignitate DEI (§. 824.); circumcisionis *motiuum*, seu *caussa impulsiua interna* nulla, nisi benignitas DEI est, qua salutem fœderatis conferre voluit. Quia vero salutem consequimur ob meritum Christi (§. 816.), quem sibi in circumcisione repræsentare debuerunt; meritum hoc, futurum quidem, at *moraliter* iam *præsens*, *externa* dici recte potest. Col. II. 11. Luc. II. 21. Ex quibus causis, ratio etiam reddenda erit, feminæ num, etiamsi non circumcisæ, salutem habere potuerint? Nam quia et *feminis*, cuius et feminæ erant, Abrahami DEVM se futurum ex sola benignitate, merito Christo motus, promisit DEVS Gen. XVII. 7.; feminæ porro ex *circumcisis* natae, cum-

que *circumcisis* maritatæ, et ad *circumcidendos* pariendum determinatæ; per *consensum interpretandum*, huius foederis *partes*, dici possunt; inprimis quia et *purificatione* consecrabantur. Leu. XII. 5. Ob diem denique octauum (§. pr.), et praeputium, quod semel tantum rescindi, iterari non potest.

§. 970. Praeputium illud res erat visibilis, quam circa actus a DEO præceptus versabatur. Quam cum *elementum* seu *materiam* dicimus *terrestrem*: præputium elementum circumcisionis (qua occasione, *nomina* natis data erant Luc. I. 59. II. 21.) recte dici potest, et *solum* quidem; siquidem *pellicula laceratione*, quam, vt necessarium circumcisionis requisitum adducunt Iudæi, nunquam præcepit DEVS. Nam ex Ex. IV. 26. vbi *Pluralis* מולת, quia Singulari non vtitur Sc. S. probari, ex mente *Iudæorum*, non potest; multo minus ex Ios. V. 2. Nam verba: secunda vice, non ad *pelliculam*, sed ad solemnem in Aegypto, quæ *Patribus* eorum obtigit, respiciunt. Quo ex loco, vti ex §. pr. *necessitatem præcepti* quidem et *mediis ordinatam* et *hypotheticam* Gen. XVII. 14. minime vero *absolutam*, intelligere poteris. Hinc quia infantibus nondum circumcisis, legis mediique *neglectus*, etsi hoc in statu mortuis, imputari non potest; DEVM, ex promissione

sione sua, DEVM eorum fuisse, salutemque ipsis concessisse, affirmare non sine veritatis nota possumus. Denique quia ad leges pertinet ceremoniales; quæ per se cessant (§. 956.), si Christi meritum, quod causa impulsiua (§. pr.), et ad quem in circumcisione respicere, necesse habuerunt (§. 968.), iam est perfectum; hoc vero morte sua, qua V. T. antiquauit, factum Ebr. VIII. 13. durare tantum debuit, ad *aduentum mortemque* vsque Christi Col. II. 13. Gal. V. 5. Hinc quia aduentus Christi iam est impletus (Cap. de Christo); quem, qui circumcisione salutem quærere intenderet, vna cum omnibus, quæ ad N. T. Oeconomiam spectant, negaret, funditusque tolleret, maximaque hinc confusionem peccataque, quæ cum fide consistere nequeunt (§. 827.), excitaret; hodie non sine maximo suo damno quis circumcisione vteretur Gal. V. 2. Act. XV. 10. seqq. Errant ergo *Iudæi* pariter atque *Turcæ*, circumcisionis necessitatem et *hodie* defendentes. Illi probant: 1) Gen. XVII. 7. Verum *æternum* pro tempore longo atque determinato in Sc. S. ponitur Deut. XV. 17. 18. 2) Ies. LII. 1. Sed disting. inter *internam* animi, quae intelligitur, et *externam*. 3) Ezech. XLV. 8. vbi vtraque coniungitur. Verum antitypum, *stilo prophetico*, qui

baptismus, intelligit. 4) Quia alias mutabilis esset DEVS. Verum cessatio huius actus in decreto diuino iam continetur: vid. etiam (§. 956.). Quodsi vero non vt medium salutis, sed *rem indifferentem* aut ad sanitatem corporis &c. vtilem, quis sibi repræsentaret; tolerari posset. Hinc *Paulli* actionem intelligis Act. XVI. 3. Definiri hinc *circumcisio* potest actio a DEO præcepta, qua per præputii amputationem, omnes, in foedus gratiæ recipiebantur. Ex his itaque qualem nos circumcisionis conceptum sequamur, patet. Sumitur sc. 1) *metonymice* pro populo circumciso Rom. XV. 8. 2) *Methaphorice*, quæ *interna, cordis* puta, seu remotio peccatorum (§. 969.); 3) *proprie*, quem nos amamus. Deprehendimus autem in circumcisione (vt in compendium eam reducamus) 1) rem visibilem, seu *elementum* (per princ. h. §.); 2) *mandatum* DEI (§. 968.); et *gratiæ euangelicæ promissionem* (§. eod.). Ergo ad *legem* pro diverso respectu circumcisio pertinet, et ad Euangelium.

§. 971. Quemadmodum vero circumcisio (§. pr.); ita et Pascha פסח a *transitu* Angeli, in limine, Agni sanguinem conspicientis Ex. XII. 13. trifariam in Sc. S. sumitur, 1) pro *Agno Paschali* Ex. XII. 21. 2 Par. XXXV. 16. Marc. XIV. 12. 2) *festo Pascha-*

Paſchatos Ex. XXXIV. 25. Leu. XXIII. 5. 3) *actione ſacra*, qua tempore azymorum vtebantur Iudæi. Scil. Præcepit DEVS Trinunus (§. 140.), qui ergo *cauſſa efficiens, principalis* ſeu *inſtituens, miniſtris, cauſſis minus principalibus* ſeu *miniſterialibus* promulgandæ inſtitutionis Ex. XII. 1. 28. *Moſi Aaronique, Patribus* deinde *familias* iudaicæ gentis, et in templo inprimis *Sacerdotibus* atque *Leuitis*, Eſr. VI. 20. 2 Chron. XXX. 17. 18. XXXV. 10. 11. vt 1) agnum, vel eius loco *hoedum* Ex. XII. 5. 2) integrum Ex. XII. 5. 3) et vitio carentem, 4) maſculum et 5) vnius anni (ſiue iam impleuerit, non tamen ita vt pro bimo haberi poſſet; ſiue mox impleturus fuerit), ita præpararent, vt die 10. Menſ. *Niſan* 6) *ſegregationem* ne impurus forte ſiſteretur et de fine eius colloqui inter ſe poſſent, itemque 7) *mactationem*; die 14 autem circa tertiam pomeridianam, ante ſolis occaſum; nec non 8) *aſſationem*, (non ergo *coctionem*) et 9) *integre* quidem, 10) nullaque parte fracta, 11) ad *veru ligneum*, (vid. *Maimonides*), in *crucis forma* (qui *actus præparatorii* erant), inſtituerent Ex. XII. 5-9. conf. *Iuſtin. Mart.* in Dial. Accedebant deinde 12) *commeſtio*, vbi *totus*, exceptis oſſibus cremandis, comedebatur, 13) *ſanguinisque* ad ſuperliminare ædiumque poſtes *aſperſio*, vt ædes Dominus præteriret.

Ex. XII. 13-23. Etsi vero in principio, nullus, vbi celebraretur, determinatus a DEO locus fuerit Ex. XII. 46. Num. IX. 2. Ios. V. 10. Hierſolyma tamen, exſtructo templo, ad cultum electitium præcauendum, harmoniamque inter Iudæos alendam, typumque Chriſti (§. ſeq.), eligebatur. Deut. XVI. 5. 6. Hinc niſi Hieroſolymis, *ſolemne* Paſcha; aliud, tantum *mnemoneuticum* erat. Denique *verba inſtitutionis* (quæ *formam* conſtituunt) Ex. XII. 11. ſeq. vt ab aliis eiusmodi actibus *ſimilibus* diſtingueretur, cum precibus recitabantur. Ergo qui vſu rationis, ſine quo actus hic, atque verba intelligi non poterant, deſtituti fuere, non admittebantur. Contra ergo omnes Iſraelitæ et mares et feminæ, (hinc non circumciſæ ad fœdus tamen pertinebant §. 969), *impuritate* non laborantes, immo et *ſerui* atque Proſelyti *circumciſi* admiſſi. *Excuſauit* vero morbus, defectus, carnis vſum prohibens, legalis immundities (ergo *diſpenſatio* DEI fuit Num. IX. 10. 2 Paral. XXX. 20.), legitimumque iter. Ex. XII. 10. 43-49. *Accidentalia* u. g. 14) *ſalſamenta amara et* 15) *panem, azymum* et 16) *habitum* comedentium, ad ſeruitutis in Aegypto memoriam, maxima parte pertinentia, aliaque eiusmodi omittere fere non poſſumus.

§. 972. Quodſi itaque Paſchalem agnum (§. pr.) cum Chriſto comparamus, altiſſimam

simam deprehendimus similitudinem. Nam Christus æque propter patientiam, 1) agnus et hoedus Ies. LIII. 7. Ioh. I. 29. 2) integer et 3) sine vitio 1 Petr. I. 19. Ebr. VII. 26. et in quo 4) mascula vis et perfectio, 5) flosque ætatis (vnius anni §. pr.) quo moriturus erat. Ab æterno porro 6) electus seu segregatus, quo in tempore multa de Christo loquuti sunt Prophetæ et a Iudæis captus, circa horam tertiam 7) mactatus 1 Cor. V. 7. et mortuus, 8) igneque iræ diuinæ 9) *integer* et mente et corpore, 10) nulla parte fracta, 11) in cruce assatus, Ioh. XIX. 36. 12) *Totus* porro cum manducatione in Eucharistia, tum spirituali per fidem comedendus. 13) Aspersi etiam sanguine Christi, immunes ab omni poena et peccato (§. 664.). 1 Petr. I. 19. Ap. XIII. 8. Ebr. IX. 22. Denique 14) salsamenta illa amara, in insectationibus Christo factis; et 15) azymum, in vita pura seu vera sanctitate, sine fermento et hypocrisi, 16) habitum Israelitarum, eorumque liberationem ex seruitute in nostra redemtione, et quam postulat, e mundanis ereptione atque continua celerrimaque ab iis solutione, perspicimus. Omnia vero hæc ex passione Christi (§. 655. seqq.) descripta, probari agnoscique posse, quis negabit. Quoniam vero in mundo nil fit fortuito (§. 15.

Cosmol.); sapientissime hæc, agnum paschalem inter et Christum, similitudo a DEO, qui nil frustra facit (§. 102. Pn. oc.) est determinata. Sed, quod alterum similitudine repræsentat, *typus* est. Agnus ergo Paschalis Christi typus est, et ex intentione DEI esse debet. Ex quo videre est, cur *has* præcise et non *alias* circa agnum Paschalem circumstantias, DEVS constituit. Ergo ad cæremonias etiam pertinet (§. 956.).

§. 973. Agnus Paschalis est Typus Christi, et quidem respectu passionis seu meriti (§. pr.), quo, per fidem, vitam consequimur æternam (§. 816.). Quia igitur illi solum agni hospites erant, qui rationis vsu pollebant (§. 971.); de *vsu fructuque Antitypi* cogitare debuerunt. Verum nullum nobis, Christi meritum, vsum præbet, nisi illud apprehendamus fide (§. 816.); fides ergo eorum in Christum, hoc modo (vbi *et quæ* de circumcisione (§. 969.) diximus, mutatis mutandis adhiberi possunt) non *excitabatur* solum, sed *augebatur* etiam atque certior reddebatur. Cuius vero fides augetur certiorque redditur, *confirmatur. Finis* ergo *cuius*, et *principalis agni paschalis*, Israelitarum, et qui ad eos pertinebant (§. 971.), *fidei excitatio* est, eorumque *in fide Messiæ futuri confirmatio*, Ebr. XI. 28. *Secundarii* vero, a per-

a percussore *liberatio*, educationis ex Aegypto memoria, protectionisque futuræ etiam certitudo. Ex. XII. 14. 22. Hæc vero tam excitatio, quam confirmatio, non DEI, sed Israelitarum gratia, qui ergo *finis cui*, facta est. Quum itaque Animal cuius sanguis profunditur, DEOque mactatur, *sacrificium* est; agnus de quo loquimur, inter sacrificia referri *proprie* non potest; id quod etiam ex comparatione Sacrificiorum probatur. Nam *Mincha* ex farina, frugibus, vinoque constabat et oleo. *Sebach* vero (quod *generaliori* significatu quamuis *mactationem* denotat, quo, sed non *de eo* quæstio est, sacrificium adpellare possemus) *vel Holocaustum*, quod totum comburebatur, erat; *vel hostia pacifica*, a Sacerdotibus quæ in ipso comedebatur atrio; *vel* sacrificium pro peccato, cui populi imponebantur peccata. Nullum vero ad agnum nostrum quadrat. Ne dicam, a Sacerdote *semper* et in *altari* quidem, quod ad sacrificium necesse erat, peractum esse (§. 971.). Errant ergo *Pontificii* aliique, *proprie* sic dictum sacrificium fuisse, affirmantes; quorum fluctuationis rationes sunt 1) typus sacrificii Christi (§. pr.). Sed in Typo et Antitypo, *omnimodam* similitudinem necessariam minime esse, quis nescit? 2) Ex. XII. 27. vbi *Sebach* dicitur. Distinguimus vero inter significatum

huius vocis *generaliorem* et *specialiorem*, vbi sacrificium. Denique quia excusatio etiam circa vsum Agni, locum habuit (§. 971.); actio hæc non *absolute* necessaria erat, sed ratione *medii* atque *præcepti*. Hinc tot quia bona spiritualia consequuti sunt (per antec.); eadem est, cum circumcisionis, *causa impulsiua interna* et *externa*, (§. 969.). *Definiri* ergo potest *agnus paschalis*, actio sacra a DEO instituta, qua agnus, secundum eius præscripta comedebatur, ad excitandam et confirmandam in Christum, fidem. Quia vero ad ceremonias, quæ olim cessant (§. 956.), pertinet (§. pr.); hodie, Christo Antitypo præsente, actio hæc, præsertim quia et templum cessauit, institui sine periculo salutis non potest; vt ea quæ de circumcisione disputauimus (§. 970.), et hic quoque valeant. Errant ergo *Iudæi* hæc affirmantes. Deprehendimus tamen interim et hoc in casu, *mandatum* DEI (§. 971.), *elementum* (§. eod.), et *gratiae euangelicæ promissionem* (§. 973.).

CAPVT XIX.

DE BAPTISMO.

§. 974.

Verum, fidei conferendæ confirmandæque V. T. media, in N. cessant circumci-

cumcisio et agnus paschalis (§. 956. 970. 972.). Ast DEI quia gratia vniuersalis (§. 457.), alia concedere omnino debet, quæ vero, quia fides et hinc eius media, supra rationem sunt (§. 817.); ex ratione, concludere haud possumus. Ergo ex Sc. S. tanquam principio (§. 16. Prol.) sunt desumenda. Nam etsi in Iudaica ecclesia, *Proselytus iustitiæ,* (diuersus a *Portæ,* seu habitatore) religionis ergo Iudæis accedens, baptizabatur, id quod etiam quoad paruulos obseruabant, vbi assensum, qui hic deficit, Senatus decretum supplebat; non tamen deficiente mandato diuino atque promisso, (quo de nec *Iosephus* testatur), gratia illis fidei est collata, adeoque nuda erat ceremonia (§. 956.). Quemadmodum vero omnes fere Iudæorum ceremonias *a patribus* et præcipue in *Talmud acceptas,* ex Sc. S. originem traxisse, facile commonstrari posset; ita etiam hic Proselytorum baptismus, ex lotionibus permultis, imprimis vero ex sinistra præsertim praeposteraque Ezech. XXXVI. 25. Zach. XIII. 1. interpretatione, maximo probalitatis gradu videtur. Hinc mores ritusque hoc in casu sequutus, nec Iudæorum, quin potius ex abvsu ereptos, correxit et ad genuinum ex Sc. S. intentione, vsum transtulit. Nec est, cur eo nomine cum aduersariis litigemus, qui nil inde

inde lucrantur, siquidem totius naturæ Dominus, omnia ad sanctiorem vsum adplicare, atque consecrare potest. Baptismum vero a Christo institutum Matth. XXVIII. 18. (qui ergo vna cum Patre et Sp. S. quia DEVS (§. 100.), *caussa efficiens principalis seu instituens* est (§. 140.) Ioh. I. 33. Luc. III. 2. (vid. et §. seq.) *fluminis*, qui aqua peragitur, nos describere, quiuis sentiet. Reperiuntur quidem in Sc. S. alia Baptismi genera e. g. *flaminis* siue *ignis*, qui miraculosa est donorum Sp. S. effusio Matth. III. 12. Marc. I. 8. Luc. III. 16. Act. I. 5. II. 16. itemque *sanguinis*, seu calamitates et crux acerbaque mors fidelium Matth. XX. 22. Luc. XII. 50. nec non *itineris* per mare rubrum et nubem 1 Cor. X. 2. *immunditiei* porro *Mosaicus* et *Leuiticus Pharisaicus* Ex. XXIX. 4. Leu. XIX. 8. 9. Marc. VII. 4. Ebr. IX. 10. quibus alii *luminis* seu doctrinæ addunt Matth. XXI. 25. Act. XVIII. 25. XIX. 3. 1 Cor. X. 2. (quæ loca tamen de fluminis intelligenda §. seq.); verum de his nobis iam non est sermo. Christus vero *ipse* baptizauit neminem, ne præiudicium 1) maioris beneficii aleret, discrimenque 2) sui baptismi (*ignis*) et Apostolorum (aquæ), seque 3) baptismi dominum, nec 4) ex ministri dignitate æstimandum esse, ostenderet. Ioh. enim III. 22. 26. *mediate* est intelligendum.

§. 975.

§. 975. DEVS vero baptismum instituens (§. pr.), nil frustra facere potest (§. 102. Pn.). Ergo quia omnia in mundo (et sic etiam *spirituali*) per causas *finales* connectuntur (§. 11. Cosmol.), vt *medium* ordinauit baptismum, cuius adeo finem, quia ex ratione non patet (§. pr.), loca Sc. Matt. XXVIII. 19. III. Ioh. III. Tit. III. 5. Eph. V. 26. Luc. VII. 30. Ioh. I. 33. Act. II. 38. declarant; ex quibus sequentes oriuntur propositiones: 1) *Baptismus regenerationis est lauacrum. Finis* ergo *cuius* seu *effectus* baptismi *proximus*, est *regeneratio* (§. 86. Ont.). 2) *vltimus* vero salus æterna II. cc. Quæ vero fidei quia est collatio (§. 827.); *per baptismum* Marc. XVI. 16. *accipimus fidem.* Hinc 3) recte inter *media* et *causas salutis* refertur (§. 59. Ont.). Ergo, quia in V. T. fidem acceperunt per circumcisionem (§. 969.); baptismus 4) in locum circumcisionis, in N. T. est substitutus; adeoque 5) *eo* a) ad sacra Christianorum baptizati *initiantur*, et b) ad ecclesiæ corpus vniuntur, 1 Cor. XII. 13. Eph. I. 22. qui *fines* constitui possunt *secundarii.* Hinc non baptizatos, pro membris christiani coetus nondum habuit primitiua ecclesia; quo ipso autem a gentilibus discernuntnr Christiani, et c) in *foedus gratiæ* recipiuntur (§. 455.) id quod et Petrus testatur

testatur priori Epist. III. 21. coll. Act. VIII. 37. seqq. το επερωτημα enim interrogationem denotat olim in baptismo visitatam, *Credis?* Credo; quod, foedus, quo ipso d) ad veram fidem pietatemque obligantur, quia fides sine ea consistere nequit (§. 827.) innuit. Hac de causa olim in Baptismo fidem Christianam publice professuri, in coelum suspiciebant, ac manus dextras in altum erigebant, adhibito iureiurando coram testibus: ac iusiurandum manu baptizati subscriptum, eiusque annulo obsignatum, in tabulas referebantur. vid. *Hollaz. syst.* Quoniam itaque baptismus vt medium salutis a Christo institutus est (§. pr.); errant 1) *Sociniani,* qui aquæ baptismi institutionem negant, quamuis nonnulli *Anti-Trinitariorum,* itemque *Wolzogenius* aliique, mandatum agnoscant. Nisi enim *auctoritate Christi iubentis* baptizarent Apostoli (qui certe nouo et sine DEI mandato, introducto ritu, initiare gentes non fuissent ausi), falsa essent verba Ioh. III. 22. IV. 1. seqq. Eph. V. 29; ne iam Christum, Nicodemo Ioh. III. 5. commendasse, dicam. Probant quidem 1) Matth. XXVIII. 19. 1 Cor. X. 2. Act. XIX. 3. de luminis baptismo agere (§. pr.). Verum a) a significatu recepto non temere recedendum (§. 93. Log.); vbi vero hic necessitas? b) 1 Cor. X. non a Mose *docti,* sed *ducti,* eiusque

eiusque ductu nubi et mari immersi dicuntur Iacobi hæredes; Ephesini vero Act. XIX. non Iohannis doctrinam sed ipsum eius factum nosse. 2) Eph. V. 26. *verbum* intelligi vel *poenitentiam*. Resp. non *ipsum verbum* dicitur, sed *in* seu *cum* verbo. 3) Ioh. III. 5. intelligi per aquam, *spiritum*, seu aquam spiritualem; quem etiam significatum basiant *fratres* illi noui *Moraui, Hernhuthiani* in der Probe eines Lehrbüchelgens p. 176. Verum a) cur a recepto significatu recedis? nonne b) sic male a *spiritu* etiam aqua *distinguitur*? c) aqua, ob contextum, in *sensus* incurrens intelligitur vers. 7. 9. 11. seqq. alias mirari non potuisset Nicodemus, qui fluminis baptismum cum aliis sui ordinis ridebat Luc. VII. 30. 4) multa, quorum mandatum non habuerunt, fecisse Apostolos. Resp. sed tamen non sine instinctu, directione et adprobatione diuina (§. 58. Prol.). 5) 1 Cor. I. 17. Resp. disting. a) inter *mediate* et *immediate*: b) Negationes hasce significatum habere comparatiuum, ex *linguae indole* quis ignorat? Rursus ergo II) *Sociniani* cum *Anabaptistis, Arminianis, Weigelianis, aliisque errant*, fidei conferendæ obsignandæque seu *regenerationis* medium *negantes* baptismum; quo et *Hernhuthiani* referri videntur l. c. p. 166. dum fluminis flaminisque, *cui* fere *soli* adscribunt,

baptis-

baptismos coniungunt, *vnumque, confuse* declarant p. 186. Probant 1) Eph. V. Tit. III. lauacrum metaphoricum adpellantes. Resp. a) cur a sensu litteræ sine necessitate recedis? dum b) voces hæ a *spiritu, verbo institutionis* et *regeneratione* aperte distinguuntur 2) 1 Petr. III. 21. vbi *sensus metaphoricus*. Sed distinguendum inter *formam* et *finem* et *effectum* baptismi. 3) Iac. I. 18. 1 Petr. I. 23. sed non *excluso* baptismo. 4) fidem requiri iam ante baptismum. Act. VIII. 37. Resp. in *adultis* (§. seq.). 5) Sp. S. *ante* et *post*, nunquam *in* baptismo datum. Act. VIII. et XIX. Sed de Spir. charismate miraculoso et ministeriali, non de ordinario ac sanctificante et regenerante legitur. Ex quibus etiam claret: 6) Christianorum baptismum, nudam non esse ceremoniam, dum *efficaciter* et non *signotenus* regenerat. Ergo et 7) recte, siquidem in locum circumcisionis substitutus, eo tempore *nomen* baptizandis imponitur (§. 969.); quod, quia in memoriam foederis cum DEO in baptismo erecti vitæque Christianæ imponebatur, 8) *mutari* non potest aut debet. Denique 9) maxima, qua *symbolum* hoc, homini magis *externa* respicienti, concedit, beneuolentia diuina, quæ ergo *causa impulsiua interna* Tit. III. 5. meritum vero, Christi, *externa* Eph. V. 26.

§. 976.

§. 976. Ponamus vero, qui iam præditus fide, baptizari. Foedus, quo simul in ecclesiam recipitur, gratiæ, quia foedera pactaque seruanda sunt (§. 185. I. N.), motiua baptizato præbet, vt continuo vitam voluntati diuinæ conuenientiorem dirigat; quo ipso vero habitus in eo oritur bene agendi (§. 11. Eth.). Habitus vero, quia actio sine viribus locum habere non potest (§. 55. Ont.), vires coniunctas habet. Per baptismum ergo nouas accipimus vires. Continuum virium bene agendi incrementum, renouatio dicitur (§. 907.). Recte ergo renouationis etiam lauacrum dicitur baptismus Tit. III. 5. Quum vero B. O. ex fide proueniunt (§. 827.); ipsa hoc modo fides crescit, augetur, certiorque redditur, i. e. *confirmatur* (§. 973.); per baptismum ergo confirmari, quiuis intelligere poterit; conf. *omnino*, quæ diximus (§. 969.). Porro fide iustificamur (§. 890.). Ergo etiam his accedunt iustificatio, et quae hinc sequuntur adoptio, vnio mystica et salus æterna (§. 899. 900 seqq.). Recte ergo et hoc confirmationis respectu inter media causasque salutis pertinet, nec nuda ceremonia est baptismus (§. 956.). Denique per renouationem ad pugnam aduersus hostes, victoriam, vigilantiam, δοκιμασιαν, sapientiam, prudentiam et circumspectionem, purificationem et per-

seuerantiam, poenitentiamque quotidianam peruenimus (§. 914-936.); Recte ergo ad hæc per baptismum manu quasi ducimur. Hinc quia tot tantaque ex baptismi foedere in nos redundant bona (per antec.); quotidie et semper illud renouari *debet* (§. 78. I. N.). Ex omissione vero, cur tam pauci, salutarem ex baptismo capere fructum possint, videre licet? Ergo bona hæc, fructusque quia ex foedere baptismali oriuntur (per antec.); et *hypocritæ* sic tincti, animumque, poenitentia acta (§. 880.), ad baptismum reuocantes fidelem, quasi postliminio (ob promissa, per gratiam vniuersalem (§. 457.), infallibilia (§. 73.), Rom. XI. 29. 2 Tim. II. 13. consequi etiam possunt. Ies. LV. 6. seq. Ier. III. 12. Ezech. XVIII. 21. 22. 23. Ceterum quia baptismus, vt nouus homo continuo in sanctitate crescat, facit (per antec.); suum etiam quod est, facit, vt P. O. dominatus, i. e. V. homo continuo supprimatur. Hinc dicta intelligis Rom. VI. 3. 4. Col. II. 12. Interim vero, quia ad maiorem fidei confirmationem baptismus facit (per ant.); in adultis, qui DEI verbo (adeoque prius docendi) concipere possunt (§. 823.), *resistentibus*, adplicari baptismus nec potest, nec debet; siquidem *libertate* nunquam DEVS hominem priuat (§. 121 Th. N.), nec frustra

ſtra aliquid facere poteſt. Hinc cur Iudæos aliosque non baptizemus, claret. Quodſi vero doctrinam coeleſtem *fide* probant adprobantque, et adulti (*mares* et *feminæ*, quibus vt hominibus gratia promiſſa omnibus §. 456.), baptizari poſſunt. Gal. III. 28. Matth. XXVIII. 19. Act. VIII. 12. 27. X. XIV. XVI. 15. Nec modus hic ab eccleſia primitiua abhorret.

§. 977. Fides per baptismum excitatur et confirmatur (§. 975. 976.). Ergo et lauacro hoc præter dominium (§. pr.), tollitur reatus peccati (§. 826.), quamuis non eius radix ſ. P. O. quod propagatur non ſolum, ſed et interdum peccata actualia in renatis etiam gignit, ex quibus concupiſcentia in renatis etiam intelligitur (§. 426. 922.). 1 Reg. VIII. 46. Rom. VII. 14. Errant ergo *Pontificii*, peccata deleri, et poſt baptismum, concupiſcentiam nec peccatum dici poſſe affirmantes 1) Act. XX. 11. non de peccato in genere, ſed de imputatione, ſermo. 2) Eph. V. 26. ſed hæc abſterſio, hac in vita imperfecta eſt, hinc *ſiſtenda* tandem ſine macula in futura vita. 3) Rom. VI. 4. Reſp. ne dominetur. Ergo quia et reatus tollitur (per antec.), et fructus baptismi etiam poſtliminio conſequi poſſunt homines (§. pr.); non ſolum

ad *praesentia*, sed *praterita* et *futura* etiam peccata, efficacia baptismi se extendit, quod etiam Sc. de tribus hisce temporibus loquens, testatur. 1 Pet. III. 21. Tit. III. 5. Marc. XVI. 16. seqq. Rursus ergo *Pontificii* errant, qui *futuri* ratione hæc negant, quia 1) alias peccata, ante remissa essent, quam commissa. Sed disting. inter peccatum *remissum* et *remissibile* 2) Ebr. VI. 6. Sed de peccato in Sp. S. agit. 3) in futurum non valuit circumcisio; ergo nec baptismus. Sed vide 1 Sam. XIV. 6. XVII. 26.

§. 978. Institutus vero est a DEO (§. 974.); Q. vero DEVS præcipit, est faciendum (§. 14. Prol.); ergo *materialis caussa remota* est aqua (non *ignis*, quod *Hermiani* et *Seleuciani*; aut *arena*, quod *Iudæi* statuunt) *naturalis*, quæ, quia sine *determinatione* aqua dicitur (§. 974.); Eph. V. 26. Ioh. III. 5. Act. VIII. 36. X. 4. 7. *pura*, et vbiuis *obuia* intelligitur. Ergo quia calor frigusue aquæ naturam non mutat, siquidem calorifica materia in omnibus corporibus deprehenditur (§. 22. Phys.); vel *calida* esse potest, pro ratione circumstantiarum (DEVS enim conseruationem hominum serio intendit §. 56. I. N.), vel *frigida*. Quum vero *artificialis*, *rosarum*, *destillata*, *medicata*, *mixta*, *feculenta* et *lutosa*, *lixiuium* e. g. *salsa*, *iusculum cum carne*

aut

aut pane mixtum, cereuisia &c. iam per alias res determinata est (per def.); ideo cum his (multo minus ergo alius speciei liquor substituendus), baptismus peragi non potest. Ergo *purissima*, quantum fieri potest, adhibenda est diligentissime. Qua ex ratione partim videre est, cur hæc, vbique quia reperitur, determinata sit materia; partim vero ratio subest alia, id est *symbolica*. Spiritus enim S. in Prophetarum scriptis aqua dicitur (§. 974.), vt *mundat*, corpus *submergit*, *recreat*, *viuificat*, fœcundat, refrigerat; ita etiam Baptismus, animam, V. Adamum, sitim animæ, tristem ob peccata, ardorem concupiscentiæ. Errant ergo 1) *Pontificii*, *Sociniani*, *Scholastici*, *aliique*, alium liquorem *etiam* statuentes, 1) propter baptismi necessitatem. Verum vbique aqua est. 2) nos ipsos, aiunt, Pontificiorum, aquae de chrismate Sacerdotum et oleo catechumenorum affundentium sententiam probare. Resp. Negatur. Errat ergo II) et *ecclesia Græca*; quæ vnctionem baptismo proxime subiungendam docet. Verum distinguendus et hic est vsus *symbolicus* et *salutaris*. Probant quidem 1) Marc. VII. 13. vbi a Christo ipso deducitur. Verum disting. miraculosam inter ad corporique sanitatem restituendam, et ad salutem animæ pertinentem, fructumque salutarem, qui nunquam

promittitur. 2) Iac. V. 14. Resp. a) factum hoc est *miraculosum* primitiuæ ecclesiæ, b) et omnino distinctum a ritu *ευχελαιῳ* recentiori, sanitas corporis, vt ipsi fatentur, dum non semper obtinetur; præcipue vero c) *precibus* non *oleo*, adscribitur. Quodsi igitur aqua fit baptismus, in *genere* qui lotionem significat et ablutionum (per antec.); vel fieri potest per *immersionem*, vel *aspersionem* siue *affusionem*. In antiquæ ecclesiæ ritus inquirentes, vtrumque in vsu fuisse, deprehendemus; ita vt immersionem et aspersionem adhuc Sec. III. in vsu fuisse, *Cyprianus* L. IV. Ep. VII. et LXIX. testetur; quamuis illa, hac fuerit frequentior; siquidem fuerunt, qui adspersos ex verorum Christianorum numero excludere non erubescebant, et *Clinicos* tantum, lecto decumbentes et aqua consperſos, nominabant. Quemadmodum vero nemo Patrum ecclesiæ sententiam hancce probat; ita præiudicium nonnullorum esse videtur. Nam Sc. vsum vocis *βαπτιζειν* si spectemus, vtramque complectitur ideam Matth. III. 13. 26. Act. VIII. 38. (quibus ex locis Paulli interpres eris Rom. VI. 4. Col. II. 12. Ebr. X. 22.) Marc. VII. 34. Luc. XI. 31. 1 Cor. X. 2. Ebr. IX. 10. Hinc circumstantiæ rem (nullum cum in institutione speciale mandatum) *determinent*: id quod Clinicorum quoque

que exemplum probat. Quoniam itaque infantum *teneritudo*, præcipue in locis frigidioribus hybernoque tempore; nec non *verecundia*, atque *honestas*, *immersionem* prohibere videtur; ideo non sine ratione, sed necessitate vrgente, hanc cum aspersione commutamus, ipsa, vt videtur, comprobante Sc. S. Act. II. 38. Matth. III. 5. vbi 1) *multitudo*, 2) *vtriusque sexus* neruum facit. Ast, *largiori affusione*, immo *largissima* quanta fieri possit, *superinfusione* ad similitudinem immersionis exprimendam, vti, melius esse non negamus. Ergo vel *totum corpus*, vel eius *præcipua* pars, *caput* vel *pectus*, potest similique salutis medio, i. e. circumcisione in qua *minima* pars *omnimodam* afferre repurgationem potuit, adspergi; vt adeo hac ratione *Socinianorum* dubia, quæ veri nominis baptismum, qui non immersione peragitur, negant, facile refelli queant; si modo inter *necessitatem* et *concessionem*, itemque inter *Ius* et *factum* distinguas. Largissima enim, quam commendauimus; superinfusio, similitudinem Paullinam Rom. VI. 3. 4. optime exprimit; immo cum quibusdam *nostræ ecclesiæ*, similitudines rerum non in omnibus, easdem esse necessarias, attendere debuissent. Hic vero immergendi seu affundendi actus, seu vt alii loquuntur, aqua in vsu legitimo posita, vel *qua* baptizamur, *materia*

proxima recte quia corpus *tangit*, vocatur (§. 63. Ont.). Ergo quæ præterfluit corpus, ad baptismum *proprie proximeque* non pertinet; omnis alias Iordanis Tiberidisque ita nominandæ essent, aquæ.

§. 979. Aqua hæc naturalis (§. pr.), vim regenerandi *per se* habere non potest. Ergo aliud quid accedat est necesse. Quum vero nec in verbis, quibus baptismus instituitur, nec aliis Sc. S. locis, deprehenditur aliud, quam verba illa in N. P. F. et Sp. S. verba hæc, *institutionis* recte vocantur, quibus ergo ob præceptum diuinum (§. 15. Prol.), in baptismo vti debemus; id quod etiam *imperatiuus* modus indicat Matth. XXVIII. nec non *salutis* per eum *conceſſio* (§. 974.). Quoniam vero nemo hominum salutem aliis æternam dare potest, sed DEVS Trinunus (§. 140.); ideo etiam *Trinitatis*, omnino fieri debet mentio. Qua ex ratione perspicere datur, cur *in Nomen* P. F. et Sp. S. baptizemur? DEI enim nomen cum ipsa sit essentia, summaque eius perfectio atque auctoritas (§. 959.), adeoque *misericordia* (quæ *causſa* salutis *impulſ.*) hoc indigitatur, DEVM Trinunum, *salutis causſam* (recte ergo dicto hoc probari Trinitas potest) impertiri baptizato, quæ ad salutem æternam pertinent. Quum vero nisi fide in Christum præditus

præditus, eam consequi possit (§. 816.); fidem vndis hisce concedere velle, rectequе *regenerationis* (§. 978.) lauacrum (quod hac ratione ex *Nomine* etiam *probatur*) dici posse, claret. Idem vero *in Nomen*, an *in Nomine*, quia vtraque Phrasi Sc. S. vtitur 1 Cor. I. 13. Act. II. 38. X. 48. (ad *vsum* ergo *ecclesiae*, respiciendum) quis baptizet, erit. Nouo hinc *distincte* dicendum P. F. et Sp. S. argumento conuincimur, id quod in V. ecclesia etiam obseruabatur. Vid. *Tertul. Iustin.* aliosque. Nam etsi in *nomine Christi* (*essentialiter* non *personaliter* sumti, alias omnino) rebaptizandos iam baptizatos dicamus; melius tamen, si verba illa κατα ποδα retineamus. Ast quia nec *terminus*, nec *persona*, aut *modus grammatice* sumti, determinatur; vel *singularis*: *baptizo*: vel *pluralis* prima: *baptizamus*, *baptizemus*; vel *Graecorum* more, *tertia*: *Baptizetur hic seruus Christi* in N. P. &c. vel *aequipollentia* vocabula (*laue*, *abluo*) adhiberi possunt. Varii circa hæc errores orti sunt, quos tamen, hodie quia non amplius propagantur, adducere omnes nolumus. Quis enim Baptismum, cum *Zacharia* Papa: in nomine *Patria*, *filia*, et Spiritua Sancta; aut cum Scholasticis, in nomine *Puf*, *Paf*, &c. vt *verum* (*horrenda dogmata!*) adsumit? vid. interim *Scherzeri* syst. p. 357. Q. ergo Baptismus non in hoc Nomine peragitur, inuali-

dus atque ſpurius eſt, adeoque *verior* ſubſtitui, hincque baptizatus, rebaptizari ſeu baptizari debet. Ergo et qui ab *hæretico* Trinitatem negante, baptizatur. Verum ſi *ſubſtantialia* obſeruat Hæreticus, omnino *verus* cenſetur; quamuis ab eo *in eccleſia*, peti non poſſit 2 Cor. VI. 14. Apoc. XVIII. 4. licet in *preſſa*. Matth. XXIII. 2. Adhibenda tamen, ne ius ſibi ſumant, *proteſtatio*, infantem ideo ad amplectendam doctrinam falſam non adſtringi. Quoniam itaque et per hæc *inſtitutionis* verba, ab aliis lauacris e. g. in balneis &c. diſtinguitur; non *neceſſariam* (ergo non *licita* tantum) ſolum hanc formulam, ſed et ipſam baptismi *formam*, vtpote quæ eſſe rei dat atque diſtingui (§. 64. Ont.), abſoluere, patet. Errant ergo I) *Remonſtrantes* et II) *Sociniani*, qui *neceſſitatem formamque* eſſe negant, et probant: 1) non legi tempore Apoſtolorum. Reſp. Negatur. *Tertulianus* enim iam ſec. II. a) præſcriptam a Domino memorat, de baptism. C. XIII. et b) tamen teſtimonium non reperitur *expreſſe* negatiuum. 2) Act. XIX. 2. X. 48. II. 38. Reſp. non a) *excluſiue*, ſed *incluſiue*; b) non *forma* his in locis, ſed *cauſſa efficiens*, aut ſi mauis, *finis* ſtabilitur; inprimis vero c) *incertum* (quod ipſe fatetur Limborgius in Theol. Chriſt. §. 16.) an verba hæc vſurparint Apoſtoli, eſſe. Ab incerto ergo

ad

ad *negationem* N. V. C. 3) 1 Cor. I. 14. 15. Resp. *Mutabilitatem* ex hoc formulæ inde minime *Paullus* concludit, sed potius contrarium. 4) virtutem (*Magicam* forte intelligunt) proprie dictam elementum (aquam) transmutandi, verbis adscribi. Resp. a) a *virtute qualicunque*, ad *determinatam speciem* N. V. C. b) *formulæ* inprimis virtus adscribenda, vti verbis primæ benedictionis Gen. I. 5) Rom. VI. 5. Sed disting. inter *formaliter* et *finaliter*. 6) 1 Cor. X. 2. Disting. a) inter Baptismum *proprium* et *improprium*, seu *typicum*; et b) non in *nomen* Mosis, sed in Mosen, seu doctrinam eius.

§. 980. Ex eadem formula §. pr. et Trinitatem, et Spir. S. sanguinemque Christi præsentem in baptismo esse, negabit nemo, etsi in verbis non sint determinata. Quum vero hae res ad materiarum proprie sic dictarum classem non pertineant (§. 61. Ont.); præterea etiam in Sc. S. de *materia coelesti* nil deprehenditur; non opus est, vt aliquid hic definiamus. Hinc *rem* coelestem potius, quam *materiam* nominare maluerunt. Discrepant tamen ipsi. Alii enim *Verbum* seu *rem verbo promissam*, *Spiritum*, *Sanguinem Christi*, *SS. Trinitatem* coniunctim ponunt; alii *solum Spiritum S. sanguinem* alii; rursus *Trinitatem* alii; et denique *aquam ex*

latere

latere Christi fluentem alii statuunt; alii vero *materiam* (non *rem*) *coelestem prorsus negant.* Verum si dicendum, quod res est, inter Logomachias referri haec controuersia videtur. Omnis enim res ad *materiæ notionem*, num *latiori*, aut *strictiori* significatu sit sumenda? redit (§. 61. Ont.).

§. 981. Quoniam vero medium est regenerationis et renouationis, baptismus (§. 978. 979.); sine qua salutem consequi nemo potest (§. 975.); præterea etiam a DEO ipso præceptus (§. 974.); *necessarius* est, a) præcepti b) mediique respectu; adeoque necessitate *ordinata* et *hypothetica*, siquidem *viam* hanc ipse aperuit Christus Ioh. III. 5. de salutis ordine cum Nicodemo disputans. Marc. XVI. 16. Matth. XXVIII. 19. Ergo quia necessarius præcepti mediique respectu (per antec.); adeoque *regenerationis* etc. lauacrum est (§. 976.); *omnis*, vbi fines hi obtineri possunt, est baptizandus. *Cuncti* ergo homines, naturaliter geniti, Ioh. III. 6. in lucemque editi, (siquidem REGENERATIO generationem supponit), adeoque et *mares* et *feminæ* Act. XVI. 15. VIII. 12. Gal. III. 28. *adulti* (§. 975.), *non repugnantes*, (quia alias dum libertate hominem non priuat DEVS (§. 121. Th. N.), finem consequi non possumus), et *infantes* sunt

sunt baptizandi. Præcipue ad *infantes* quod attinet, excludi certe non possunt. Nam non 1) profundissima *omnium virium et facultatum* solum corruptione laborant, adeoque regeneratione opus habent; sed et 2) nullum ipsis *aliud* salutis (ad quos etiam pertinet Marc. X. 14.) medium in Sc. S. est promissum. Recte hinc *Baierus:* Quoscunque Christus vult ad salutem peruenire, ipsi vero via ordinaria ad vitam æternam pervenire non possunt, nisi mediante Baptismo; illis baptismus, tanquam medium ordinarium, conferri non autem denegari debet; Atq. infantes, Christus vult saluos fieri Marc. X. 14. ipsi vero non aliter &c. Ioh. III. 5. *Ergo.* Deinde etiam: quoscunque Christus vult sibi *offerri*, vt *benedictione* spirituali fruantur, illi per baptismum, velut medium ordinarium, sunt adducendi ad Christum; Atqui infantes Marc. X. 14. *Ergo.* 3) *generale* et *vniuersale* est præceptum Christi Matth. XVIII. 19. 20. quod *omnes* species et indiuidua, adeoque et infantes continet (§. 56. Log.). 4) Successit in locum circumcisionis, qua infantes etiam frui potuerunt, baptismus (§. 975.); ergo et in *ius salutis*, infantibus cum adultis commune; gratia enim est vniuersalis. Quæ ratio, quia DEVS via breuissima ad scopum tendit (§. 102. Pn. Oc.), esse videtur, cur infantes

infantes *separatim* non sint nominati? 5) Quemadmodum *promissio* gratiæ fœderalis Act. II. 38. 39. coll. Gen. XVII. 7. ita et *sigillum* (§. 975.) ad infantes pertinet; ne iam 6) de *tota* ecclesia mundanda, cui et infantes inserendi, dicam Eph. V. 26. Præterea etiam rationes occurrunt *suadentes* etiam; siquidem sine dubio *familiæ* baptizatae, infantes etiam comprehendebant Act. XVI. 15. XVIII. 8. 1 Cor. I. 16. 8) Addi potest *primitiuæ ecclesiæ consensus.* Ita enim *Augustinus* L. X. C. XXIII. *semper* infantes in ecclesia fuerunt baptizati ex Apostolica traditione. *Cypriani* Epist. LXIV. ad *Fidum Presbyt.* qui non secundo aut tertio, sed octauo demum die recens natos, baptizandos putauit, cui concilio quodam contradixit. *Origines* in *Roman.* L. V. C. VII. *ecclesia*, inquit, *ab Apostolis* (ergo ad ecclesiam non vt Pontificii nos prouocamus) traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare. 9) Ne *Pelagiani* quidem parvulos baptizari oportere negarunt, teste *Augustino de Pecc. mer.* C.XXVI. 10) *I. Gent. Christianor.* defendit. Si ergo infantes baptizandi (per antec.); etiam *exposititii.* Nec obstat Schedula fortasse adiecta, vtpote quæ non meretur fidem (§. 180. seqq. Log.). Ergo quia incertus Baptismus, nullus est: nec ἀναβαπτισμὸς dici; nec *conditionate: Si non baptizatus es, ego baptizote* in N. D. P. F. et Sp. S. sa-

S. sacra vnda tingi potest. Nonne hæc perpetuam excitaret de veritate Baptismi, dubitationem? Præterea ex *oppositο* rite concludimus: Vbi fines (§. 976.) regeneratio cet. obtineri non possunt, ibi lauacrum hoc adplicari non potest (per antec.). Ergo nec baptizandi sunt *Indæorum Gentiliumque* liberi, si in patria potestate (quæ ita *etiam* læditur Eph. VI. 4) permanent (§. 307. I. N.) Ex. XXI. 16. Deut. XXIV. 7. 1 Cor. V. 13. Quodsi vero in nostra potestate, *iure*, sunt, ac manent, omnino baptizandi, sicut *excommunicatorum* et *meretricum*, quorum parentes *consentiunt* Ezech. XVIII. 20. Matth. XVIII. 14. Gratia enim DEI est vniuersalis (§. 457.). Iud. XI. 1. coll. Ebr. XI. 32. Nec obstat Deut. XXIII. 3. vbi de ecclesiastici muneris functione, sermo; multo minus Sap. Lib. III. 16. 17. siquidem apocryphus (§. 36. Prol.), subiectumque parentes imitans, intelligitur Ex. XX. 5. Ergo *etiam* ob Nom. diuini profanationem (§. 959.), nec baptizanda sunt *embryones*, nec *mortui*, nec *Campsores* Diaboli laruæ, nec *mola*, nec *campanæ*, nec *corallia*, nec *monstra* &c. Quoniam vero animæ sine dubio in cerebro locus est, ex quo corpus regit (§. 155. Psych.); ideo caput si adest humanum, reliqua licet membra deformia, homo habendum, adeoque baptizandum. Ergo et bicorporeum,

qua

qua duplex homo, Omnisque baptizandus, dupliciter vel numero duali. Errant ergo 1) *Sociniani, Fanatici* atque *Quakeri*, necessitatem qui impugnant 1) Gal. III. et 1 Petr. III. quæ in baptizatis aqua, non reperiuntur. Resp. Neg. immo a gratia amissa ad negationem collatæ N. V. C. 2) Ebr. IX. 10. VI. 2. in N. T. remonenda. Resp. non de Baptismo, sed de *lotionibus, leuiticis*, quod *Pluralis* indicat, agit. 3) 1 Cor I. 17. Resp. *comparatiue* Ebræorum more Paulus loquitur, l. c. 14. 16. 4) ex Romana esse ecclesia Baptismum. Resp. Neg. est enim a Christo; *si modo de superstitionibus non loquuntur:* nec maior conceditur, multa enim proba sunt ex illa ecclesia. 5) Act. XIX. 1. seqq. Resp. de miraculosis donis, vel de *incerto circumforaneorum* Iohannis disciplinam iactantium, textus loquitur 6) 1 Petr. III. 21. Sed non de ablutione *simpliciter* sermo. 7) 2 Cor. III. 6. Resp. non est ritus mere externus, neque excludunt spiritualia, externa. Errant II) rursus *Sociniani, Quakeri*, cum *Fanaticis* et *Anabaptistis* atque *Remonstrantibus*, qui Pædobaptismum reiiciunt; quia 1) nullum in Sc. *mandatum*. Resp. etsi non *expressum*, per bonam tamen consequentiam, quæ ipsum DEI verbum (§. 92. Prol.), II. cc. alias nec feminæ de quibus nullum in Sc. expressum mandatum, ad sacram admittendæ cœnam esſent.

essent. 2) Matth. XXVIII. 19. prius doceri iubentur. Resp. a) μαθητευειν significat, *discipulos reddere* vti Matth. XXVII. 5. 7. coll. Ioh. IV. 1. b) ordo *verborum*, non semper est ordo *rerum*, Marc. I. 5. vbi baptismus institutioni *præponitur*. Nonne c) circumcisi etiam ante informationem? 3) nullum in Sc. exemplum. Resp. per instantiam a feminis ad dub. 1. 4) nullum *Concilium* ante Sec. IV. Resp. Sed vide a) probationem nostram; neque b) fides nostra Conciliis nititur. Et ante mota certamina c) nullo opus erat, præcipue d) quia ecclesia *plantanda* maximam partem et pro *fine*, præcipue ex adultis colligebatur; hinc scopo etiam, hic verborum Christi ordo, est conueniens. 5) P. O. non sunt sordidati infantes. Neg. (§. 311.) aufert enim eius reatum, quo ipso necessitas intelligitur. 6) Baptismi, *fideique* non esse capaces. Resp. Actu credere ex Matth. XVIII. 14. patet; ab esse vero ad posse V. C. Deinde etiam distinguendum inter fidem *adultorum* et *infantium*; quarum confusio sine dubio errorem hunc, aliosque produxit. Notitia et assensus, etiam nec in adultis, ad partes pertinent necessarias, quamuis ea non excludamus, sed potius fidem generare dicimus (§. 816.). Ergo nec in infantibus quia per baptismum fides in iis oritur (§. 975.), distincte erunt necessariae. Hinc etsi

rationis vsus non capaces, ex distinctae notitiae consensusque, qui inde fluit, defectu, impugnari eorum fides nequit. Attamen, dicis, fiducia seu adplicatio meriti Christi est necessaria (§. 816.). Ita; sed sapientissimus quia DEVS est; et hic agat pro *receptiuitate* subiecti. Ergo infantium fides ab adultorum est diuersa. Non differre potest *essentialiter*, et *generaliter*, quia alias nulla esset; ergo *specialiter*. Hinc vt *genus* per determinationem, ex adultorum fide indagemus, est necesse, quod adultorum et infantium contineat; quo ipso rursus per determinationem, fidei species intelligere possumus. Fiducia in fide, est adplicatio meriti Christi (§. 817.). Qui sibi quid *adplicat*: adpetit, suumque facit. Qui *adpetit*, rem sibi coniungere studet (§. 98. Psych.); adeoque *conatum* seu vim aliquam, habet (§. 55. Ont.). Et quia meritum sibi adplicat Christi; quod maxima nobis attulit bona; *fides in genere*, nil nisi conatus est, seu vis in bona, per Christum parta. Quodsi conatus hic sese exserit *distincte*, seu per distinctas repræsentationes, habemus *adultorum*; si vero obscure et confuse; *fidem infantium*. Haec ergo an possibilis videndum. Omni et sic infantium animae, vim inesse repraesentatiuam, non est negandum (§. 172. Psych.); Quodsi ergo repraesentatio de Christo

Christo per Baptismum, a DEO (hinc instantanea eorum est regeneratio, ab adultorum modo, adeo distincta) in iis producitur; non potest non (quia ex vi conatus et adpetitus oritur §. 211. Psych.) inde conatus ad Christum, et sic porro ad bona per Christum parta, oriri; qui cum fides dicitur (per antec.); fidem in infantibus locum habere posse, patet. Ergo quia repraesentatio aliqua, est species *notitiae*: infantium vero ad conatum, pro DEI *sapientissimi* intentione producendum ad finem consequendum, repraesentatio, qua alias, quae in iis exsurgunt, repraesentationes atque conatus, reprimere possunt, *fortior* omnino erit; in *consensus* locum, quia sic non renituntur, subdita est; ita vt tres, si *conatum* seu *fiduciam* addis, fidei adultorum, in infantium etiam deprehendantur partes. Nullam vero horum conscientiam, aut si mauis adperceptionem infantibus esse, (hinc insciis et dormientes etiam baptizari possunt,) facile quidem, sed non dubium fidem eorum destructurum, concedo. Nam a) perfectionum, quibus ornati, et b) idearum immaterialium in somno, ob defectum *attentionis* atque *distinctionis*, quae adperceptionis rationes (§. 164. Psych.), nec *adulti semper* conscii sunt, nec esse possunt (§. 184.). Cur ergo in infantibus ideo negaremus?

Sunt ergo, concedo, in ſtatu adhuc idearum obſcurarum (ob quem in prouectiori ætate, nec ſibi eorum in infantia *fidem*, quod et in aliis rebus conſpicitur, repræſentare valent) et mox confuſarum, quae tamen magis magisque per repraeſentationum ſeriem (§. 70. Pſych.) euoluuntur; quo ipſo conatus continuo maior fortiorque euadit, ita vt in fide ſemper creſcere poſſint. Quodſi circumſpecta piaque (altiſſimum ergo hic vides parentum officium) deinceps educatio accedit atque informatio, quaeſtio omnino mouenda: *num quis in foedere baptismali ſemper perſiſtere poſſet?* Nec obſtant aliae, quae oriuntur forte ſenſationes, repræſentationes atque conatus, quibus, ex tua ſententia, a DEO excitatae, litura quaſi delentur. Nam a) *fortiora* illa ſunt, dum b) ceterae ſenſationes minus diſtinctæ, tam claram non admittunt viuidamque reproductionem (§. 9. 10. Pſych.); et ſi quae etiam infringant, non omnem c) repraeſentationem euellunt atque conatum, ſed adhuc d) in mente remanent, atque ſedatis rurſus ſuccedunt. Contrario vero modo rurſus amitti fides poteſt. Deduximus, quae de poſſibili infantium fide hactenus diſputauimus, ex cognoſcitiua atque appetitiua mentis humanae facultate, ex quibus, quae de mente dici poſſunt, ſunt, et recte quidem,

dem, desumenda (§. 216. Psych.). *Actualitatem* ipsa Sc. probat Matth. X. 14. seqq. XVIII. 6. Luc. I. 15. *Extraordinarium* (a quo ad ordinarium N. V. C.) si vltimum putas, distinguimus omnino inter *fidem*, quam cum O. communem habent, et inter *circumstantias, in vtero*, quae non. Sed quæ fidei nos infantium; alii educationi tribuunt; dum non baptizati, *prae baptizatis*, si experimentum capere vellemus, *maiorem*, vel saltem *æqualem; æquali* modo instructi, sanctitatem proderent; vel nullum in vita, pessimis etiam similes, fidei suæ signum ederent. Verum in priori casu a) experientiam negamus, adeoque b) figmentum declaramus, dum c) petitio est principii. Praeterea d) nec priuilegium non peccandi concedere Baptismum, affirmamus. Ex natura porro e) mentis humanæ procliue est, infantes in prouectiori ætate, non ex obscura illa *vnice*, sed ex claris etiam atque fortioribus sensationibus, et de malo repraesentationibus, suos deducere conatus et appetitus, quo ipso debiliores ex fide, cessare debent; sensatio enim maior obfuscat minorem (§. 9. 10. Psych.). Ergo et haec mentis conueniunt naturæ; ita vt, si modo contrarium de perseuerantia in bono concedatur, et nos totum concedere *Limborgio*, aliisque, qui eadem chorda oberrant, hocque maxime

vrgent, dubium poſſemus. Neque noſtris nos iugulare armis poſſunt, *fletum crebriorem* qui nos opponunt. Nam fortior omnino eſt actio DEI; quae impediri illo non poteſt. 7) *Gregorium Naziazenum* differre ad triennium optare. Reſp. Hoc alii non probarunt eccleſiae Patres. 8) 30 anno Chriſtus baptizatus. Sed a) ob circumciſionem eius, et b) Baptismum nondum vſu receptum (§. 974.), nec non c) nullis quia peccatis laborabat (§. 501.), ita vt d) baptismi nulla in eo neceſſitas. Baptizari tamen voluit, vt a) aquam baptismalem *ſactificaret,* et b) *eccleſiam* N. T. plantandam *erigeret,* atque c) munus publicum, praeſentibus permultis, *inauguraretur.* 9 et 10) Capacitas baptismi, etiam coenae dominicae (quod negamus 1 Cor. XI. 28.) et verbi diuini vſum inuoluit. Sed vide reſp. ad dub. 6. 11 et 12) nec *voluntarium* eſſe ipſorum baptismum (ſed tamen non repugnant, adeoque gratia DEI extollitur hoc modo, cui *omnia* in ſalutis via adſcribenda), nec foedus inire poſſe. Reſp. per conſenſum interpretandum. 13) Deum non ad Baptismum in infantia, ſed ad vitam probam reſpicere. Neg. (per antec.). Ergo idem de poenitentia, et verbi diuini auditione praematura, quod abſurdum, dicendum eſſet. 14) Libertatem cuique ſuam concedendam, neminemque a communione

nione fraterna propterea arcendum. Neg. Nam a) in iis, quae contra Sc. nulla libertas; b) fratres et hodie etiam esse non possunt, *Ius gentium Christianorum* qui nobiscum non assumunt. 15) Crudelitatem fuisse Apostolorum immersionem totius corporis. Neg. eadem enim sine damno et Graeca ecclesia hodie vtitur.

§. 982. Hypothetica tantum quia Baptismi est necessitas (§. pr.); non est *absoluta* (§. 41. Ont.). Ergo nec effectus eius, *salus aeterna*, quod latronis exemplo in cruce etiam patet, *absolute* ab eo pendet. Ergo saluari etiam *homo*, adeoque et *infans* potest, etiamsi sine Baptismo, decedat. Quamuis enim natura omnes, filii irae Eph. II. summe tamen misericors DEVS est, omniumque serio vult salutem (§. 457.), quam omnibus etiam sine dubio concederet, nisi ipsi peccatis essent impedimento. Quoniam vero satisfactione sua *vniuersali*, peccata expiauit Christus (§. 660.); per meritum eius salutem consequi omnes possunt, si modo illud adplicant sibi (§. 816.). Adplicatio vero supponit *possibilitatem* adplicandi. Ergo vel adplicare sibi meritum Christi 1) potest homo, sed non vult; vel 2) vult, sed non potest; vel 3) potest et vult; vel 4) neque potest neque vult. Quoniam itaque

imputatio, nisi quis sciens agit et volens, locum habere non potest (§. 25. Ph. Pr. Vn.); qui potest et vult, adeoque actu sibi adplicat, salutem omnino consequitur (§. 816.). Ergo qui nec potest, nec vult, itemque qui potest, sed non vult, iuste damnantur. Qui vero vult, sed non potest, quia nec sciens neque volens meritum Christi spernit, damnari non posse videtur. Hinc non *infantes* modo, ante Baptismum decedentes (siquidem *defectu* non *despectu* baptismo carent), quorum *velle* ex consensu interpretando rite concluditur, sed et alii, adulti etiam, modo si insufficientiam rationis ad salutem intelligant, mediaque sufficientia sibi exoptant (§. 39. seqq. Diss. Prol.), salutem consequi æternam posse videntur. Quoniam vero, qui per *actualem* mediorum salutis a DEO reuelatorum adplicationem, *per gratiam ordinariam*, qui non hoc modo, *per extraordinariam saluari* dicuntur; infantes dicti atque adulti, 1) per gratiam extraordinariam saluari posse videntur. Per principium ergo reductionis (§. 86. Psych.) omnes hi, et merito Christi et fide, licet non *explicita, consensu tamen interpretando*, per gratiam *extraordinariam* saluantur, ita vt *hac* in gratia, nec DEVS sine ratione obiectiua aliquid velit. Act. IV. 12. Accedunt porro 2) *preces* quibus DEO a parentibus *piis* commendantur.

dantur. Ps. CXLV. 19. Eadem porro 3) promissio semini Abrahæ data Gen. XVII. 7. etiam in N. T. viuentibus competit Act. II. 39; nec non 4) loca atque exempla Ex. I. 22. Ios. V. 4. 2 Sam. XII. 18. 23. 2 Macc. I. 51. Matth. II. 16. veterisque ecclesiae catechumeni ante susceptum baptismum martyres facti, *suadent*. Errant ergo *Augustinus, Greg. de Arminio, Scholastici* et *Pontificii*, qui infantes non-baptizatos, *poenam damni*, non *sensus* pati affirmant, et probant 1) Ioh. III. 5. 2) quia non credunt, et 3) P. O. quod ipsis non remissum, sunt infecti Eph. II. 12. Verum distinguendo inter gratiam *ordinariam* et extraordinariam, dubia solui facile possunt. 4) *ex ipsa Theologorum nostrorum sententia, qua de prole των εξω spem tantam non concipiunt*, sed iusto DEI iudicio permittunt 1 Cor. V. 12. 13. Verum subiectum, vti contextus loquitur, non sunt, qui *extra*, sed *in* ecclesia (alias nulla excommunicatio locum habet) nati. Melior sane hæc nobis responsio videtur, quam si ad figmentum, quasi ad futuram eorum fidem aut απιστιαν DEVS respiceret, confugeremus. Nam quia nec fides, nec απιστια talis hoc in vniuerso consequitur actum; impossibilis recte censetur. Impossibilium vero respectu, nulla locum habere potest imputatio (§. 25. Ph. Pr. Vn.). Minime vero gratiam illam

extraordinariam probare possumus 1 Cor. VII. 14. Loquitur enim Paullus non de *sanctitate interna* seu *fidei*, siquidem Peccato O. laboramus (§. 354.), adeoque Baptismo opus habemus (§. 981.), Ioh. III. 5. Eph. V. 6. sed potius, quod contextus indicat, de *externa, ecclesiae, ecclesiastica, politica, foederali*, qua omnes in societate quadam viuentes, præ aliis, maiori, ad res societatis, iure gaudent (§. 277. I. N.). Recte hinc *proprior* est ad recipiendum Baptismum in ecclesia natorum *habilitas*: quamuis ideo nondum sint *in* foedere diuino exhibito, quod conditionatum est. Gen. XVII. 10. Non tamen ideo ob gratiam vniuersalem (§. 457.), alii liberorum excluduntur Eph. II. 17. Errat ergo Anabaptistarum cohors, infantes Christianorum etiam ante Baptismum in foedere diuino existere asserens, 1) ex 1 Cor. VII. 14. 2) Gen. XVII. 10. Sed vide præc. 3) Habuisse fidem ante Baptismum. Resp. dist. inter infantes et adultos. 4) Ex Christianis natos, esse Christianos. Resp. Vocabulum *Christianus* non est nomen gentilitium. 5) Recte ergo Christianorum infantes vocari junge Heiden. Neg. quia sanctitate gaudent ecclesiastica.

§. 983. Baptismus 1) non ex Ministri dignitate dependet (§. 974.), maxime tamen

tamen 2) necessarius est (§. 982.). Quoniam vero 3) omnes Christiani, sacerdotes spirituales habentur (§. 929.) et 4) Baptismus in locum circumcisionis, quam feminæ etiam peregerunt (§. 969.), successit (§. 975.); ideo in *casu Necessitatis*, quiuis Christianus, mas et femina baptizare potest; quibus etiam *hoc in casu*, 5) prædicatio verbi est permissa Act. XVIII. 26. Rom. XVI. 3. Verum quia DEVS est ordinis, ob sanctitatem (§. 59.), et ab Heretico peti fere non potest (§. 980.); *ordinarie caussa ministerialis*, Minister ecclesiæ orthodoxus est et pius. Matth. XXVIII. vlt. coll. 1 Cor. I. 14. seqq. IV. 1. 2 Cor. V. 18. 20. Act. VIII. 12. 38. Sed obiicis: 1) mulieres non administrare S. coenam, ergo nec baptizare posse. Resp. ex eo est, quia non tanta est vt Baptismi necessitas atque vtilitas. 2) Denegatur feminis prædicandi facultas 1 Tim. II. 12. Disting. inter prædicationem publicam solemnemque, et priuatam et casum Necessitatis, de quo tantum sermo. 3) Feminas ad baptizandum non esse vocatas. Concedimus si DEI Oeconomiam respicimus; non vero si casum necessitatis, et sacerdotium spirituale. Ex causa hac *ministeriali*, quæ *tantum* gratiæ medium adplicat, videre est (quia regenerationis est lauacrum Baptismus §. 975.); non dari *duplicem* Baptis-

Baptismum *internum*, seu rem elemento tanquam signo significatam, et *externum*, qui elemento et verbo constet, satis claret. Elementum enim non regenerat renouatque (§. 979.), sine præsentia SS. Trinitatis. Ergo effectus hi vtrique *coniunctim* tribui debet, adeoque *vnus* tantum est Baptismus. Eph. IV. 5. Hinc aquam et Spiritum Ioh. III. 3. coniungit Christus; adeoque subordinatio ministri statuenda. Contrarium quidem 1 Petr. III. 21. probari videtur. Verum *negat* tantum abluitionem *sordium carnis* esse Baptismum, adeoque eodem modo, vti nos, coniungi. Nec est, vt dicas: sic omnes baptizati regenerarentur necessario, quod tamen experimentis contradicit. Verum disting. inter *infantes*, qui non resistentes omnino regenerantur, licet adulti in ea non perseuerent (§. 976.), et *adultos*, qui variis rationibus regenerationem impedire possunt. Quoniam vero Baptismo homines initiantur (§. 975.), DEI autem foedus, quod hac ratione nobiscum pangit, constans est (§. 73.), præterea altum in Sc. silentium; *iteratio* Baptismi statui *ordinarie* non potest. Rom. XI. 29. Ies. LV. 3. seqq. Gal. III. 20. Quodsi denique Iohannis cum nostro Baptismo comparamus; nullam deprehendemus differentiam. Habuit enim eandem *causſam instituentem* Luc. III. 2. 3. Matth.

XXI.

XXI. 25. *elementum* idem Matth. III. 11. eandemque *formam*, quod ex patefactione Trinitatis singulari patet, Matth. III. 16. 17. eundem *finem et effectum* Marc. I. 4. Luc. III. 3. Immo ipse Iohannes et Christi discipuli, vno *eodemque tempore* administrauere, fuitque Baptismus N. T. Marc. I. 1. 2. Differunt ergo tantum *accidentaliter*, scil. 1) Iohannes in Christum nondum passum et mortuum, quo respectu Apostoli baptizarunt. 2) Per Iohannis, dona Sp. S. visibilia (quæ sæpe per Apostolorum Act. XIX. 2. 3.) non erant collata. Ioh. X. 41. Male ergo *Pontificii* Anathema ponunt, quibus accedunt *Sociniani*, et probant 1) Matth. III. 11. Statum vero controuersiæ non recte ponunt; sermo enim tantum est, de initiatione ad Christianismum. 2) Act. XIX. 3. seqq. Vel agit locus de impostoribus, veram qui Baptismi Iohannis rationem non intelligebant; vel tantum de donis Sp. S. miraculosis, quæ per *impositionem manuum*, non per *rebaptizationem*, quæ nulla, acceperunt. 3) Iohannes non vt Apostoli in N. I. C. baptizauit. Negatur per antec. 4) Iohannes nec in N. P. F. et Sp. S. Licet expressis non adsit verbis, tamen quia idem auctor Baptismi, alia atque alia formula Baptismum instituisse, non est probabile. Nonne et Trinitas adparuit? 5) Iohannes tantum Iudæos baptizauit.

zauit. Negatur; omnes enim, adeoque et Gentiles poenitentia indiguerunt. 6) Præparauit tantum viam Christo. Resp. Ministerium Iohannis ita non debilitatur, neque etiam Baptismus, vt potius argumentum inuerti possit. 7) Iohannis Baptismus non regenerationis, sed poenitentiæ est. Sed poenitentes, dici etiam regeniti possunt (§. 876. seqq.).

§. 984. In permultis denique ecclesiis *Exorcismus* seu animosum (hinc *imperatiue* concipitur) præceptum, diabolo, auctoritate DEI factum, vt nullum sibi in Baptizandum ius sumat, habetur; qualis notio 1 Sam. XIV. 24. et 1 Thess. V. 27. occurrit; etsi vocabulum ἐξορκιζειν, *iuramentum exigere*, etiam denotare, non negemus. Gen. XXIV. 3. Ex. XIII. 9. conf. LXX. Ex definitione vero: de *miraculoso* in Nomine Iesu, adhibitis manuum impositione iisque precibus, Diabolum eiiciendi ex obsessis, primitiuæ ecclesiæ modo, nobis non esse sermonem, patet; neque de *effectiuo*; sed potius de *exorcismo significatiuo* et *adumbratiuo* efficaciæ Baptismi; ita vt dominium tantum eius atque tyrannidem in irregenitos indigitemus (§. 421. 427.). Minime ergo infantes adultosue ante Baptismum vel corporaliter vel spiritualiter obsessos affirmamus, id

quod

quod ex definitionibus (§. 266. 267.), perſpicere datur. Hinc miſſum faciat tantum Diabolus Baptizandum volumus, locumque diuinis operationibus relinquat. Hinc miſerrimum tantum irregenitorum 1) *ſtatum*, quo Satanæ ſubiecti ſunt poteſtati; itemque 2) *efficaciam Baptismi*, qua ex illa, per Baptismum liberandi; nec non 3) *ſtipulationem* DEO iam præſtandam *significat* (adeoque *per ſe* nihil *efficit*) quo ipſo Diaboli operibus ſimul renunciatur; *obligationemque* 4) baptizatorum communit. Ergo tantum quia ſignificat; *ritus* eſt, non DEI quidem verbo *præceptus* ſed tamen et non *prohibitus*, adeoque 5) *indifferens* (§. 30. Ph. Pr. Vn.). Quum itaque *et* in 6) *vet. eccleſ.* adhiberi, tam in adultis, quam infantibus, ſolitus (*Tertull. Gregor. Naz.* Orat. XL. *Cyrill. Hieroſol.*); nullaque 7) ſolennitas ſine *ceremoniis*; in noſtra *libere* eo *vtimur* eccleſia; quamuis quia indifferens, et 8) *accidentale* Baptismi eſt, ex definitione non proueniens; ſi res ita ferret, *mutari*, aut *omittendo*, aut aliam (*precationis*, e. g.) *formulam molliorem* (duriuſcula enim *videtur* ſolum) adhibendo, cum *totius* eccleſiæ conſenſu, vt *Iuris inde Gentium Chriſtianorum* (hinc nondum *hodie* abrogandi *intempeſtiua neceſſitas*), *lex* fiat, poſſet quoque Col. I. 13. 1 Cor. XIV. vlt. VI. 12. XI. vlt. XIII. 5. Gal. II. 4. ſeqq. Duplex ceterum

apud

apud *Pontificios*, pars est Exorcismi; *exsufflatio*, his verbis: *Exi ab eo immunde Spiritus et da locum aduenienti Spiritui S. da honorem DEO viuo ac vero*; et *adiuratio*, scil. ἐξορκιζω te, *immunde Sp. in N. P. F. et Sp. S. vt exeas et recedas ab hoc famulo DEI.* conf. *Becan.* Manual. Est etiam apud illos *exorcistarum ordo*, vnus ex 4 minoribus. Errant ergo, qui Exorcismum necessario abrogandum esse perhibent 1) quia baptizandi, non sunt obsessi. Resp. Non eiicimus, quod contra veritatem nobis imputatur, Diabolum; est enim nobis tantum *significatiuus*. 2) male a Diabolo iuramentum exigitur. Resp. est ignoratio Elenchi; nam *præceptum* est, non *iuramentum* (per def.). 3) Baptizandus, iam dicitur seruus DEI. Resp. non in statu, sed *ampliatione*. 4) Christo *solum* liberatio a Diaboli potestate competit. Sed dist. inter liberationis *acquisitionem* et *applicationem*. 5) 1 Cor. VII. 14. Resp. vide (§. 983.). 6) Quia indifferens, tollendus. Sed argumentum inuertimus (vid. præc.). 7) Act. XIX. 14. 15. de infidelibus sermo, qui *effectiue* male vtebantur. 8) est Ceremonia ex Papatu. Neg. est antiquior. (per praec.). 9) non vbique in vsu. Resp. Concedimus. Ergo indifferens et accidens, quod *adesse* et *abesse* potest salua re. Ita et *crucis formandæ* ritui, nullum adscribimus effectum, sed *signum* est solum *efficacia Baptismi* ex Christi cruci-

crucifixi merito; a quo ipsa quia 1) efficacia pendet (§. 979.), et 2) vetustissimi in ecclesia moris est, recte adhibere potest. Quod porro ad *sponsores, susceptores* seu *Patrinos* h. e. testes ad baptismum in baptizandi vtilitatem *spiritualem* vocatos, attinet; vti ad testimonium baptismi, ita ad omnia, quæ ad eorum vtilitatem *spiritualem*, quæ in Baptismo præcipue attenditur, pertinere videntur, per promissa, quæ hac in se occasione suscipiunt, sunt obstricti. Hinc pro baptizatis *orare*, in ipso actu baptismali *professionem fidei edere*, mortuisque parentibus, infantem in vera pietate *institui, curare* ipsis incumbit. Ergo minime *infantes*, aut *a vera doctrina pietateque abhorrentes*, similesque eligendi. Tot ergo 1) tantaque quum afferunt bona, et iam primitiuæ iis vterentur ecclesiæ (*Tertul.*) superfluos abrogandosque putabit nemo; etsi ex Iudæorum Baptizandi more (*incertum tamen*) originem sponsores ducant. Et cum foedus, baptizandi cum DEO inire solent (§. 976.); sponsoresque vtilitatem Baptizandorum promouere obstringuntur (per antec.); et quæstiones: de *abrenunciatione Satanæ*, per quam spectacula Gentilium præcipue etiam intelligebant Col. I. 13. *fideique professione*, quæ ab adultorum Baptismo desumitur (§. 975.); nec non *Baptismum petendi voluntate*, ob con-

sensum eorum interpretandum, omnium quia felicitas promouenda (§. 77. I. N.), inutiles esse negamus. Quum itaque *Baptismus*, actio sit a DEO instituta (§. 974.), in qua homines (§. 981.) aqua abluuntur (§. 978.) in N. P. F. et Sp. S. (§. 979.), vt fides in iis excitetur et confirmetur; (§. 975. seqq.); quæ §. hoc explicauimus ex essentia Baptismi non sequi, claret, adeoque ad accidentalia, quæ abesse possunt et adesse salua re; de quibus, aliisque huc pertinentibus, e. g. de *numero sponsorum*, manuum impositione, situ corporis etc. conf. *omnino Casp. Caluoer. Rit. ecclesiast.* Num vero *semel*, quo DEI *vnitatem*; vel *tribus vicibus*, quo *personarum Trinitatem* indicabant, abluendi actus peragatur, ob Sc. *silentium* et *consuetudinem primæ ecclesiæ* (*Tertul.*) perinde erit. Hinc quæ de Exorcismo disputauimus, et in reliquis adplicari possunt. Ceterum et Baptismi respectu, *mandatum* DEI (§. 974.), *elementum* (§. 978.), *promissionemque diuinam* (§. 975. seqq.) nos deprehendere, quiuis videt.

CAPVT XX.

DE SACRA COENA.

§. 985.

Agnus paschalis *comedebatur* et quidem totus (§. 971.). Quoniam vero typus Christi

Christi erat (§. 972.); et Christi Corporis commestionem necessariam esse, facile concludere quis potest; quæ autem absolui sine reali Eius præsentia non potest. Ergo præsentia, *si* epulum tale detur, omnino est necessaria Ebr. X. 1. Iam vero *visibilis* in his terris præsentia Christi non est. Hinc si baptismum, si circumcisionem, si ipsum cogitemus agnum paschalem, facile inducimur, vt symbola quædam, cum quibus sese coniungit, nobisque præsentem sistit, admittamus. *An* vero sint et *quænam*? perspicere, vt mihi quidem videtur, ratione, non valemus; adeoque inter *mysteria* recte referuntur (per def.). Ergo, quid Sc. S. doceat, dispiciendum. Deprehendimus vero *Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. *Luc.* XXII. et *Paullo* 1 Cor. XI. testibus, epulum tale descriptum, et a Christo institutum. Hinc *instituens*, seu *efficiens caussa principalis*, non tamen excluso Patre et Sp. quia vt mysterium opus ad extra §. 140, Christus est Θεανθρωπος 1 Cor. XI. 25. Ioh. VIII. 14. seqq. II. cc. *Materia* ergo *terrena panis* est et *vinum vera*. *Verus* autem censetur *panis*, qui ex farina et aqua pistus, ignisque virtute coctus. Hinc nullam quia vel quantitatis, vel qualitatis respectu, determinationem adiecit Christus, assumi vel *tenuior* (*oblatæ* seu *hostiæ*), aut *crassior*; vel *azymus* aut *fermentatus*, *libere* potest.

Idem etiam de *vino*, modo ſuccus ſit, ex vua matura expreſſus, valet. Ergo vel *merum* aut *pauliſper* (vini itaque portio *multo* fortior) *aqua temperatum*; vel *rubrum* aut *album* adhiberi poteſt. Errat ergo 1) *eccleſia Græca*, 1) *panem fermentatum*, *neceſſario*, itemque 2) aquam vino admiſcendam eſſe, probans 1) quia fermentato, paſchalem Agnum, *ante* Iudæorum, comedens, vſus eſt Chriſtus. Verum a) *omnino non*, ne *mnemoneuticum* quidem (§. 971.), Paſcha Chriſtus comedit. Verba Matth. XXVI. 2. enim α) diem *Mercurii* indicant, dum die *Veneris* traditus eſt, ἵνα σταυρωθῇ; quo etiam geneſis Paſchatis incidit. Paſchatis enim celebratio, Chriſto iam crucifixo, agitata eſt. Ioh. XVIII. 28. XIX. 14. 31. Paſcha vero hic non *agnum paſchalem*, ſed *azymos panes*, aut ſacrificia pacifica *Chagigah* dicta, denotare, quidam putant. Verum panis tunc fermentatus omnis exulabat, et ſic fame iis pereundum fuiſſet. De *Chagigoth* autem intelligi non poteſt, dum a recepto ſignificatu non temere eſt recedendum; et figmentum eſt, Iohannem ad Rabbinorum mentem, qui *Chagigas* etiam Paſcha dictas eſſe, affirmant (etſi et hoc non ſatis probatum), reſpexiſſe. Probandum ergo. β) Ioh. XIX. 14. παρασκευη τȣ πασχα dicitur, cum Chriſtus crucifigendus eſſet. γ) ευκαιρια Iudæ proditoris etiam probat, ſi quidem

quidem propter festum instans, e re captiuaturorum non semper erat, Christum capere. Hinc δ) Iudæorum *optimates* (*sacerdotes*, in templo suis rebus indulgentes non adducuntur), qui populi ad vrbem accessuri tumultum metuebant, Christi condemnationem adeo vrgebant. Et ita ε) rectus verissimusque Antitypus Agni paschalis sistebatur Christus, dum eo tempore sublatus, quo agnos *typicos* mactabant Iudæi. Idem etiam ζ) *Talmud*: *Iesum vespera paschatis esse suspensum*, testatur. Quatuor præter hanc adhuc sunt, de hoc Christi Paschate, sententiæ, in quas accurare inquirit cel. *Ruesius*, in Commentat. *de admissione irregenitorum ad coenam Domini*, quas pro scopo tamen non explicare, sed tantum enumerare volumus. *Vna* statuit, Christum *solum* circa finem diei Iouis, Iudæos vero ceteros omnes, exeunte die Veneris pascha comedisse. *Altera*, Christum Iudæos in Paschate agendo *anteuertisse*, sed *non omnes*, verum nonnullos, qui deinceps exeunte die Veneris festum celebrando subsecuti sint. *Tertia*, Christum pascha exeunte die Iouis comedisse, sed non solum, neque adhinniente tantum Iudæorum parte; verum cum *tota Iudæorum gente*. *Quarta* negat, Christum, antequam caperetur, pascha verum comedisse, sed commemoratiuum illi tribuit, aut quæ de paschate

locutus est locis citatis, de *mystico* interpretatur. Vnicum obseruo, sententiam: anticipasse Christum pascha, certo esse falsam, dum α) loca Gal. IV. 4. Matth. V. 17. id postulant, et β) nonnisi in templo mactari potuit. Nonne sic γ) violatæ legis, quod et sine dubio prodidisset Iudas, Christum accusauissent Iudæi? Et si vel maxime paschalem coenam egerit; Iudæi tamen statim exeunte die 13 *fermentum* conquisiuerunt atque ab eius vsu abstinuerunt. Vnde ergo vsus fermentati probatur? Probant porro 2) ab hæreticis, *Apollinari* atque *Nestorio*, azymum esse inventum. Verum, falsa fere sunt, quæ *Metrophanes* adducit; cum et azymos et enzymos adhibuit ecclesia, propter 1 Cor. V. 8. et Act. XX. 6. Quapropter etiam ob commoditatem distributionis, respectu fenum, ægrotorum aliorumque, *oblatis* recte vtimur. Cur enim ratione vini non tam scrupulosi sumus, vt in speciem eius operose inquiramus? Fortassis *ob casum necessitatis*, quia non semper *determinatam* speciem habere possumus, nihil determinauit Christus. 3) azymum, ne panis quidem nomine dignum esse. Resp. dist. inter essentialia panis et accidentalia. Gustus enim et sapor gratus aut suauis, non ad essentiam pertinet; nec *corpus* in coena nutriendum aut demulcendum. 4) Ex *Iustino Martyre* vino aquam

aquam miſcendam, probant. Reſp. Nec a) nos refragari, (ergo ad inſtitutionem prouocare non poteris) ſi vinum eſt *generoſius*, aut, vt in plagis orient. *fortius*. Tertullianus b) vero neceſſarium id non eſſe, etiam affirmat. De *neceſſitate* c) diſputamus. 5) Prou. IX. 1. Reſp. non de S. coena ſermo. 6) Ioh. XIX. 34. Reſp. nec hic de S. Coena agitur; alias non vinum, ſed aqua eſſet adhibenda. 1 Ioh. V. de Baptismo et Sacr. Coen. explicatur. Ita et II) *Pontificii*, vinum aqua mixtum adhibendum eſſe, quod κεραμα adpellant, docentes, non ſunt audiendi; nam miſtionem illam, naturarum in Chriſto vnionem, aut cum eccleſia, indicare *poſſe* concedimus; ſed hunc in finem coena a Chriſto non eſt inſtituta. Errant ergo III) *Sociniani*, alia qui materia, e. g. aqua (antiquiores enim *Gnoſticos*, *Manichæos*, *Artotyritas* caſeum etiam manducantes &c. *lac* aliaque *impura* ſubſtituentes vid. *Scherzer*. p. 381. ſeq. non curamus) myſterium hoc adminiſtrare licere, *abſtemiis* aliter conſuli non poſſe, docent. Verum, ſi abſtineant, per naturam ſunt excuſati. Errant denique IV) qui cum *Socinianis*, *oblatas* impugnant 1) quia nutriendi vim non habent. Neg. eodem modo vt alius panis, in maiori tantum copia ſumtæ, habent; vid. antec. 2) nullam cum corpore Chriſti analogiam indicare. Reſp. omnino;

sc. cum corpore Eius glorioso; nec hunc in finem coena instituta. 3) Vnum adhibendum esse panem 1 Cor. X. 17 Est vnus *specie* non *numero*. 4) *grandiorem* fuisse in institutione. Dist. inter *licitum* et *necessarium* et accid. 5) *verum* autem panem esse, ex definitione, supra adducta, constat. Hinc siligineus, triticeus, hordeaceus, in frustra, vel non fractus adsumi potest. Nec, quia *Epiphanii* Sec. IV. iam in vsu erant 6) ex Papatu ortum trahunt. Sunt vero nobis etiam rationes morales. Indicamus sc. hostiis nostris, a) corpus Christi nullo fermento peccati laborare Ebr. VII. 26. illudque, b) hostiam purissimam patri in cruce oblatum, qualis oblatio etiam in V. T. obtinuit Leu. II. 11. nec non c) cordis nostri, qua ad coenam accedere debemus, puritatem. 1 Cor. XI. 7. Ceterum siue azymum adhibuerit Christus, siue enzymum, ex *accidente*, dum alius ei non suppetebat, factum. Accidentalia vero quæ abesse et adesse possunt salua re, in essentialibus nihil mutare, quis nescit? Errant denique V) rursus *Sociniani*, cum *Fanaticis*, aliisque, qui sacram Coenam, ex *mensa* Iudæorum *secunda*, quam δειπνον απολυτικον nominant, extenuare, nihilque noui a Christo institutum esse, impugnant; dum apud Iudæos moris fuit, vt, peracta agni paschalis commestione, *panem azymum, herbas ama-*

amaras, et *vinum* adponerent, additisque verbis distribuerent: *hic est panis afflictionis, quem comederunt patres nostri in Aegypto &c.* Verum quia a) Pascha non comedit Christus (per ant.); ipseque agnus b) quod Talmud atque Rabbini testantur, vltimo loco, vt carnis eius in ore remaneret sapor, comedi debuit; falsam hanc sententiam esse, claret.

§. 986. Nostram autem, quam §. pr. 1) probauimus, corporis et sanguinis Christi comestionem ipse in verbis institutionis probat, dicens: *hoc est corpus meum* etc. Recte ergo 2) ob propositionum *exhibitiuarum* naturam, quæ semper cum vehiculo sumuntur (§. 124. Log.); inferimus: nos substantiam corporis Christi *in, cum* et *sub* solo pane edendi; sanguinis, *in,* cum et *sub* solo vino bibendi, accipere; et quidem, quia propriæ significationis, sunt (§. 125. Log.); nullum in iis tropum aut figuram neque rhetoricam neque grammaticam fingere licet; præcipue quia DEVS tanquam 3) ens sapientissimum atque benignissimum conuenientissima, et facillima in re tam graui, adplicare debet media; quæ etiam 4) ex constante omnium historicorum, quotquot institutionem litteris consignarunt, consensu, elucent; nec non 5) ex Paulli, per κοινωνιαν explicatione. 1 Cor. X. 16. XI. 25.

Accedit 6) Testamentorum, quæ, vt a sensu litteræ recedamus, non permittit, Gal. III. 15. coll. Ebr. IX. 16. et 7) verborum coniualium, quæ, si signum pro signato ponitur, ludibrio essent, natura. Omnis vero 8) res redit ad copulam EST; quæ, si pro *significat* sumatur, amitteret copulandi naturam, adeoque pars existeret *prædicati*, sc. *est significans*; cum tamen sensus sit: *hoc, quod vobis datur, eo ipso momento simul est corpus meum*; sic: hoc poculum, quod pro vobis effunditur ad remissionem peccatorum, est N. T. seu beneficium N. T. Quæ itaque explicatio, quia a) Christus in præsenti loquitur; διδόμενον, ἐκχυνόμενον; quod, b) Nominatiuo casu positum, vt recte laudatus *Ruesius* l. c. obseruat, alteri illi: αἵματι, casum Datiuum referenti iungi non potest; et c) corpus C. in cruce non est fractum Ioh. XIX. 36. omnino aliis præferenda. Si porro 9) *nouum* signum (panem et vinum) adeoque *frustraneum*, quod a sapientissimo ne fingi quidem potest, neque ad rem tam apte exprimendam, idoneum, cogitamus; itemque quod 10) Sec. demum IX. (prioribus enim nemo de *significatiuo* sensu vnquam dixit), *Bertramus* præsentiam nostram, negauit; nostram παρουσιαν veram, ecclesiæque primitiuæ conformem explicationem esse, videbit quiuis; inprimis, si 11) omnipræsentiam C. H.

N.

N. neque præsentiam τῦ λογῦ *tantum*; itemque 12) 1 Cor. XI. 27. 29. perpendis. Ergo quia sic præsentia corporis sanguinisque necessaria est; vnio eorum cum symbolis, quam deinceps *sacramentalem* vocabimus, et quidem *realis*, etiam est necessaria. Non ergo ἀπῦσιαν concedimus. Sed quia in propositionibus exhibitiuis, essentia vehiculi, in principalis naturam, non mutatur (§. 124. Log.); panis essentia nec mutari potest in corpus, nec vini, in sanguinem Christi; quæ cum *transsubstantiatio*, seu *transaccidentatio*, μετῦσια dicitur; et hanc, quia etiam experientiæ contradicit, figmentum esse, abunde patet; alias corpus Christi post consecrationem, vocare Paullus non potuisset panem 1 Cor. X. 16. 17. Immo, quod clarius infra, coenam hanc, quia elementum cessat, sacramentum adpellare non possent Pontificii. Non vero et nobis ipsis *consubstantiatio*, συνῦσια, s. *localis inclusio*, vbi duæ substantiæ in vno supposito, seu vnum mixtum ex duabus substantiis, tribui potest. Quoniam vero tres hæ sententiæ, re ipsa sunt diuersæ; 1) *Poiretum* errare, qui illas facile conciliari posse, dum *vnicuique* horum DEVM facere secundum fidem, *somniat*. Errant ergo 11) qui ἀπῦσιαν defendunt, nec contra nos illam probant, etsi, particulam: HOC, panem, sed non totum complexum deno-

denotare, quod etiam concedere possumus, dicant; nondum enim ita absentia statuenda; nec *significatiuus* sensus probatur. Nam 1) si, panem *proprie* non dici posse C. C, affirmant; concedere totum possumus; sensus enim: est *simul corpus meum*, 2) est, per *significat* explicandum, quia panis *proprie* non C. C. Resp. nec nos dicimus; vid. sensum nostrum. 3) *est, sacramentaliter*, h. e. vt externis signis, (quia signant) nomina rerum signatarum, tribuantur, vti e. g. Gen. XVII. 10. 13. Ex. XII. 11. Resp. a) petitio est principii, vt in dubiis prioribus. b) Neg. non enim signa sunt *nude* significantia, sed et simul *exhibitiua*; nec ibi circumcisio sumitur μερικως, pro amputatione externa; sed ὁλικως, pro *tota* actione. Nec agnus est transitus *Domini*. 4) in aliis Sc. locis *est*, explicandum per *significat* e. g. 1 Cor. X. 4. Gen. XLI. 26. Resp. a) Probandum, quod et in nostro; adeoque rursus est petitio principii b) Petra non *significabat* Christum, sed erat ipse Christus; ita et septem vaccæ *sunt* septem anni, in somnio præfigurati. 5) nos ipsos aliter, per particulas dictas, quam Christum, adeoque improprie explicare. Neg. hæc enim propositionum exhibitiuarum est natura. Errant ergo III) *Pontificii* transsubstantiationem defendentes, ita vt tantum *accidentia*, substantia transmutata, panis

panis et vini remaneant. Verum cum accidens sine substantia esse aut concipi nequit (§. 18. Ont.); hoc Cartesii aliorumque figmentum, contra prima cognitionis principia impingit; praeterea *Innocentius III.* sub finem Sec. XII. demum inter fidei eam retulit articulos. Probant 1) ex verbis Christi: hoc EST corpus meum. Resp. sc. in vnione sacramentali. 2) Deum omnipotentem transsubstantiare posse. Sed quaestio est, an velit? 3) ipse Lutherus vtitur phrasi: *Panis est C. C.* Resp. sensu vnionis sacramentalis; et non est biblica, sed *ecclesiastica.* 4) Propter vnionem, res diuersae nat. de se inuicem praedicari non posse. Resp. omnino, e. g. *homo est DEVS.* 5) panis, quia non *nutrit,* est superfluus. Verum id non est finis Coenae.

§. 987. Cum pane et vino accipimus C. et S. C. (§. pr.). Quoniam vero non cum omni vino et pane coniuncta, sunt; *determinata* omnino requiruntur. Hinc quia actum S. Coenae repetere Christus iussit (§. pr.); determinata sunt in actu repetitionis. Ergo intentioni voluntatique, quam sine dubio in institutione prima, quae idcirco exemplar omnium, expressit (recte hinc vocari *institutionis verba* possunt), conformiter fieri debet. Quapropter institutionis verba cum repetuntur, dantur symbola et accipiuntur, *vnio* sacramentalis existit; id quod non

non ex a) analogia solum cum circumcisione, atque baptismo (§. 968. 979.); sed b) verbis etiam: *hoc est* CORPVS *meum*; itemque c) ex κοινωνία 1 Cor. X. 16. quæ vnionis est *effectus*, claret. Quodsi vero actiones in S. Coena: *accipere panem, benedicere, frangere distribuere, edere, bibere* consideremus; quasdam omnino *necessarias*, quasdam ex accidente factas deprehendemus. Nam edere, bibere, adeoque et *accipere* et *distribuere*, itemque benedicere, ita necessaria sunt, vt, si vnum omittatur, verbis institutionis nullo modo satisfaciamus. Quoniam vero quiuis (hinc et dispensatorum *ordine seorsim* consequens manducatio, et bibitio, etiam *accidentalis*) Apostolorum de pane debuit participare, qui occasione Coenæ, vbi maior grandiorque placenta, adéoque *accidentaliter* ad manus erat distribuendus; frangi omnino (*actus* ergo *præparatorius*) debuit. Quodsi vero fractus iam adpositus fuisset; fractione non fuisset opus, adeoque pertinet ad accidentalia. Neque est, vt dicas esse, propter fracti C. C. *repræsentationem*; quod tamen fractum non fuit Ioh. XIX. 36. Ergo solum ob distributionem, adeoque *accidentalis*, et *minus necessaria*, adeoque in ecclesia *libera*. Hinc *tres* tantum *actus* remanent *formales*, in quibus itaque forma Coenæ consistit: Ευλογία, Δοσις, Ληψις. Ergo vbi hæc tria; sacra coena est, et vnio sacramen-

mentalis; in casu opposito minime. Nulla ergo, nisi in vsu symbolis sacramentali positis, sacramentalis vnio esse potest; siquidem *nil*, præter *hæc* (HOC FACITE) determinauit Christus; id quod Baptismi (qui extra vsum nullus est) exemplo, itemque ex institutione, in qua: *edite, hoc est C. meum* (minime vero alio tempore); nec non κοινωνια, (panis quem *frangimus*, non alius) 1 Cor. X. 16. patet. Ergo in *reseruatione et circumgestatione*, quæ primitiuæ etiam ecclesiæ praxi contrariæ sunt, sacramentalis vnio non est quærenda. Ergo nec hostiæ seu oblatæ sunt adorandæ; multo minus coram iis in genua procumbere decet. Ergo ob *formam*, tantum ad ληψιν s. comestionem et bibitionem vsque tantum durat; nec ens *permanens* dici potest; adeoque, quia finem hoc modo DEVS obtinuit; tunc rursus cessat. Hinc si propter ventriculi imbecillitatem, per vomitum, symbola sacra eiiciant forte ægrotantes; C. et S. C. minime eiecta dicuntur. Vnicum tantum adhuc obseruo: ευλογιαν s. benedictionem, ab ευχαριστια non fere differre, quod ex *benedictionis poculo* 1 Cor. X. 16. concludere licet. Est autem *benedictio* s. *consecratio*, panis et vini ad vnionem sacramentalem indiuidualis determinatio. Quoniam vero hoc modo separantur, seu sanctificantur (§. 60.); id quod per verbum

DEI

DEI fit, atque preces 1 Tim. IV. 5; *precibus, verboque* DEI, quod hic *institutionis verba* vtpote determinata (per antec.); absolui, palam est. Sed nulla quia precum formula est determinata; libertati ecclesiæ est relicta. Hinc, ob Doctoris auctoritatem, Oratione Dominica, ab ecclesia determinata, *libere* (alia ergo totius ecclesiæ consensu adeoque ex iure gentium Christianorum substitui posset) hodie vtimur. Et quia repeti consecrationem voluit Christus (per antec.); vnio illa fit ob promissionem voluntatemque Christi, (quæ ergo *impulsiua caussa*) ab ipso omnipotente DEO; siquidem a nulla prouenire potest creatura. Non ergo vnio illa a sacerdotis charactere (figmentum!) indelebili; multo minus ab ipsis, quoad litteras atque syllabas, institutionis vocabulis, quam *magicam vim*, aut *incantationem magicam* forte dixeris. Errant ergo 1) *Sociniani, aliique*, fractionem panis inter distributionem *repræsentatiuam* etiam, probantes 1) quia pertineat ad præcepta Christi; hoc *facite*. Resp. sed non ad *formalia*. 2) C. C. ob hanc repræsentationem dicatur fractum. Resp. *fractum*, ex more loquendi ebræo, idem est, quod *distributum*; et sic Christi corpus omnino fractum dici potest; non vero, si idem, quod in partes ruptum. 3) Act. II. 42. 46. XX. 7. Resp. disputatur adhuc, num de S. Coena? et si

vel

vel maxime; more loquendi Ebræo intelligitur. Nonne etiam ab aliis non-essentialibus, nomen accepit? Ne iam: fractionem in omnibus ecclesiis, non in vsu esse, dicam. vid. Iean d'Espagne gesamte Schriften, p. 251. Errant II) *Pontificii*, qui reseruationem et circumgestationem, processionesque præsertim in *festo* C. C. ab Vrbano IV. A. 1264. instituto, vna cum λατρειας cultu, probant 1) quia hostia, C. sit. Resp. destructa transsubstantiatione (§. pr.), destruitur etiam petitio eorum principii. Nonne sic mus et ignis absumere C. C. posset? nec est, vt dicas, figuram *tantum* externam absumere. Modus enim sine substantia esse nequit (§. pr.). 2) æquum sit, festum C. C. celebrare. Sed cur non potius S. Coenæ festum? 3) corpus C. præsens fuit statim in consecratione; non ergo tantum in vsu. Sed hæc contra institutionis verba, intentionemque C. 4) Copulam EST, tempus denotare *præsens*. Recte, in vnione personali. 5) ita præsens C. C. non esse vi consecrationis, sed tantum vsus. Resp. coniungenda non debent separari. 6) ex vsu ecclesiæ, vbi ægroti, et peregre viventes, accipiebant hostias consecratas. Sed non vt S. Coenam. 7) C. esse adorandum. Sed hostia non est Christus. 8) Arcam Foederis, quæ Typus, circumgerebant Israelitæ. Negatur Typus. 9) adoratio cum vsu coniungi

potest; sed non *debet*; neque vt transmutatum corpus. 10) Ps. XXI. 5. XCIIX. Ioh. IX. non de S. Coena agunt. Errat III) *ecclesia Græca*, quæ a) Sacramentum, ens permanens; b) *inuocationemque Sp. S.* ad Consecrationem, *necessariam*, contra Sc. S. ex Patribus, qui tamen post Sec. IV. et V. præcipue adducuntur, defendit. Verum ex *Iustino Martyre* contrarium patet. Patres etiam, quos adducunt, non *de efficacia Sp. S. in symbola*, cum C. et S. C. vnienda, quam *corda hominum rite disponenda*, loquuntur; etsi επικλησιν illam, si modo non vt necessarium consecrationis requisitum habeamus, simpliciter non damnemus.

§. 988. Si ergo corpus Christi eiusque sanguis in S. Coena præsens est (§. pr.); nullumque in Sc. S. determinatum *aliud* indicatur; idem quod in cruce mortuum, et cum anima in resurrectione reunitum; illumque sanguinem *incorruptum* (§. 797.), ob delicta nostra effusum, sine dubio, *ipso Christo comprobante*, accipimus. Quoniam vero relationem innuit *præsentia*, inter entia, vbi vnum *immediate* agit in alterum; C. et S. C. in Communicantes, vti dicuntur, *immediate* agunt. Nam actionem tantum *mediatam* si concedas, vt S. Coenam instituisset Christus, opus vix fuisset. *Actio* autem *entis in aliud, mutationes* in illo producit. Ergo et C. et

et S. C. in conuiuis; qui itaque vel in peius mutari hac ratione debent, vel in melius. Prius a *sanctissimo* exspectandum non est; ergo posterius. Ergo omnium cum salutem serio intendat (§. 457.); hanc impertiri conuiuis studet. Quoniam vero sine fide, salutem consequi nemo potest (§. 816.); et *excitare* in iis, qui ea *destituti* sunt, et certiorem reddere h. e. *confirmare* habentibus, adeoque ad B. O. impellere (§. 827.), adlaborat; quam etiam probare et illustrare thesin, ex ipsius Christi institutionis verbis, possumus; itemque ex *analogia* cum Agno Paschali (§. 973.). Quod ad institutionem attinet; instituit Coenam, in commemorationem sui. Per imaginationis vero legem fieri aliter non potest, quam sic vt omnia nobis bona, per Christum parta, in memoriam reuocemus (§. 17. Psych.). Bona quia voluptatem pariunt et felicitatem (§. 89. Psych. et §. 136. Ph. Pr. Vn.); cum istis, cum eoque, ea qui in nos, et per quod confert, per legem adpetitus (§. 17. Psych.), nos coniungere adlaboramus; quæ cum *amor*, dicatur coniunctio (§. 113. Psych.); amorem in Christum atque DEVM, *excitare* S. Coenam et *confirmare*, palam est. Cum quo nos coniungimus, adeoque et amamus; illud nobis adplicamus. Ergo, vt bona per meritum Christi parta adpetamus, nobisque adpli-

cemus, per S. Coenam impellimur; quæ cum fides dicatur (§. 816.); et *fidem* excitare Coenam et *confirmare*, claret; id quod etiam, quia veraciſſimum vt DEVM, Chriſtum cogitamus, quique pro NOBIS, (recte quæ *commemoratio adplicatrix mortis Chriſti* vocatur) ad *remiſſionem peccatorum*, traditum effuſumque eſſe, affirmat, optime inde concludimus, credimus, certioresque reddimur. Actio vero, qua de remiſſione peccatorum, certiores reddimur, *obſignatio* dicitur *fidei*. Ergo noſtra, per S. Coenam fides obſignatur. Ergo, quia per fidem in foedus DEI recipimur (§. 816.); *obſignatio etiam foederis DEI*, per S. Coenam in nobis producitur. Ioh. VI. 56. ſeq. 1 Cor. XI. 25. Quoniam porro reuera C. et S. C. accipimus (§. pr.); cum Chriſto hoc modo arctiſſime coniungimur, quæ, *inſitio in Chriſtum*, coniunctio audit; cuiusque adeo per Coenam S. participes reddimur. Voluptas ex bonis his reſultans, cor antea contritum reficit, erigit atque ſuſtentat; quæ actio, *ſpiritualis ad vitam nutritio* adpellatur. Ergo per Coenam S. ad vitam etiam nutrimur. Vt paucis multa complectar, omnibus, quæ (§. 898. et §. 935. ſeqq.) ex fide deduximus, bonis vti fruique per Coenam S. poſſumus. Hinc *vivis* in his terris, *prodeſt* tantum. Denique DEVM qui Chriſtumque amat, omnes vt cum lege con-

conueniant, ſuas actiones dirigit, præcipue amabit proximum, 1oh. II. 10. Ergo mutua inde communicantium quoque exſurgit dilectio, eccleſiæque membrorum coniunctio. 1 Cor. X. 17. Hinc vt quæ vera membra ſint, *maiorque* per præſentiam Communicantiam ſenſatio oriatur atque amor (§. 14. Pſych.), *publice*, ſumma niſi vrgeat neceſſitas 1 Tim. II. 8. Ioh. IV. 21. tanquam *communio* in eccleſiæ conuentu, accipiatur. 1 Cor. X. 17. XI. 20. ſeqq. XIV. vlt. Ebr. X. 25. Quoniam itaque et excitatur fides per Coenam S. et confirmatur (per antec.); *confirmationis tantum* fidei reſpectu, inſtitutam eſſe, qui affirmant, errare credo; vbi etiam *Lutherum* habemus conſentientem Tom. III. Ien. Germ. et *formul. Concord.* Quum ergo tot tantaque per Coenam S. obtineamus bona; *finem* hæc conſtituere *cuius*, quiuis ſentiet; dilectionem quidem proximi &c. *ſecundarium*, cetera vero *primarium* (§. 83. Ont.); ſed et *coeleſtem* etiam in ea occurrere *materiam*. Dicimus enim *materiam coeleſtem*, quæ gratiæ diuinæ operationem præcipue coniunctam habet, ſeu, quicq. cum P. et V. accipimus, quæque adeo C. eſt et S. C. (per antec.). Non ergo de *ſpirituali manducatione et bibitione*, nobis ſermo eſt, ſeu de fide, quatenus nobis adplicamus C. et S. C. in mortem traditum, vel vt Theologi

loquuntur, quatenus fertur in C. C. pro nobis in mortem traditum, et quatenus fertur in S. C. pro nobis effusum, de qua Ioh. VI. 35-51. seqq. sed de *orali* (§. pr.). Errant ergo 1) *Sociniani, Remonstrantes, Anabaptistae,* cum *Schwenckfeldianis* aliisque, veram qui realemque C. et S. C. in S. C. praesentiam negant 1) quia corpus in multis locis *simul* esse non potest. Resp. C. C. est a) *glorificatum,* de quo nulla nobis est notio, adeoque nec reiicienda; praecipue b) cum in infinitam ὑποστασιν τȣ γογȣ est euectum; et c) de Corpore *naturali* eiusque praesentia, tantum dubium valet, adeoque ignoratio est elenchi. d) Manet ergo mysterium. 2) esse contra sensus, veritatemque humanae C. naturae destruere; et ex vno Christo, duodecim, tredecim &c. cudi. Resp. a) non duplex *corpus* Christi, sed duplex praesentiae *modus,* quem non intelligimus, oritur, respectu corporis C. quod mensae assedit, et quod manibus gestabatur. Deinde b) durat sacramentalis vnio tantum in vsu (§. pr.), vt sic omnino, plures, illud accipere queant. Nonne sic c) in vnione mystica tot Dii et Sp. S. essent assumendi, quot fideles Christiani, quod tamen absurdum? d) omnes in S. Coena panes prò vno habentur 1 Cor. X. 17. Ergo et vnum corpus. 3) sic C. C. ab ipsius sanguine separatur. Resp. Dist. inter vnionem

nem *naturalem* et *sacramentalem*, qua vinculum minime rumpitur; nec C. C. in S. C. præsens statuimus, quæ aduersariorum sententia, *naturaliter, extensiue, circumscriptiue:* vbi tamen ab hoc præsentiæ negato *modo*, ad negationem præsentiæ realis omnimodam, consequentia non valet. Qua distinctione et alia eiusmodi, dubia, u. g. 4) nullum nobis corporis aut sanguinis gustum esse; aut 5) a tot millibus quotidie comedi posse, cadunt; vbi et responsiones antecedentes repetendæ; non enim corpus naturale, naturaliter præsens semper adesse debet. Hinc et 6) eorum exploditur, ex paragrapho huius *initio* desumtum, quia naturale est, naturali etiam modo nos accipere. 7) hominem pro cibo assumere, flagitium esse. Resp. si ille destruitur et læditur. 8) Ergo et in, cum et sub pane esse adorandum. Resp. nisi panis simul, argumentum concedimus; alias et fideles adorandi. 9) Institutam tantum esse S. Coenam ad *commemorationem*, non ad *manducationem*. Resp. vnius rei plures esse possunt fines, nec inter se hæc pugnant; præsentisque etiam recordamur *effectiue*. Neque 9) pugnat cum scopo et intentione Christi. Corpus enim *quod*, non *quatenus* pro nobis traditum et crucifixum est, manducari voluit. 10) ex Matth. XXVIII. 6. Ioh. XII. 8. XVI. 28. Ebr. VIII. 4. Verum hæc, non *simpliciter*

negant præsentiam, sed tantum *certum praesentiæ modum;* adeoque ex contextu sunt explicanda. 11) Si C. C. omnipræsens est, sub omni pane manducari potest. Resp. Dist. inter præsentiam *generalem* et *specialem;* de hac enim sermo, eiusque certo præsentiæ modo, qui omnipræsentiam non destruit, e. g. Matth. III. 6. Act. II. 3. 1 Cor. III. 6. 12) Panis et Vinum sunt tantum symbola et signa. Sed non nude significantia, verum *exhibitiua.* 13) Si verba hic proprie sumantur, sequi etiam: DEVM habere corporis membra, Christum esse vitem; nos palmites. Resp. alia est ratio in his locis, et in S. C. vbi *testamentaria* reperiuntur verba, non vero in illis. Errant ergo II) *Fanatici* cum *Remonstrantibus* et *Socinianis,* vsus finesque, qui pro *mero symbolico* et *historico* S. C. *vsu,* adeoque *nostros* reiiciunt, pugnant 1) 1 Cor. X. 16. vti *spiritualem* tantum communionem admittunt. Verum contrarium potius adparet. 2) 1 Cor. X. 4. Resp. Israelitas *inter se,* sed non *nobiscum,* vsos, textus loquitur; illi quidem *spiritualiter,* nos *sacramentaliter;* 3) Ioh. VI. 63. Sed non de carne *Christi* sermo; 4) regnum DEI non esse escam et potum; indignosque non sentire fructus S. C. Resp. prius est ignoratio elenchi; posterius vero ab *accidente* (seu quod per accidens fit), tantum concludit. 5) Mysterium haud esse,

sed

sed meram ceremoniam. Probandum; contrarium potius ex definitione Mysterii patet. Modum enim, etsi existentiam, indicare non possumus. 6) esse tantum similitudinem, inter fractionem panis, vinique effusionem; et inter C. C. fractum, et sanguinem effusum. Resp. neg. vid. Ioh. XIX. 33. neque hæc est Coenæ finis (per antec.). 7) omnes conuiuæ firmam habere debent fidem; ergo confirmationem, si ea quis iam præditus, superfluam esse, præcipue in Apostolis. Resp. Neg. Nam confirmationis non solum, sed *excitationis* etiam medium est (per antec.). Nonne etiam sunt gradus fidei? 8) coniunctionem cum Christi corpore sentire nos non posse. Non ergo et effectum. Resp. Neg. per experientiam. 9) morte C. non eius recordatione, peccatorum obsignari remissionem. Resp. dist. inter *acquisitionem*, et *adplicationem*, quæ fide; et *obsignationem*, quæ sacra coena fit. Errant III) et *Pontificii, mortuis* etiam, *beatis*, immo in purgatorio laborantibus, prodesse defendentes. Errant IV) qui C. et S. C. *materiam coelestem esse negant*, itemque, qui præter hæc, *Sp. S.* materiam cœlestem, vocant. *Priores* ad probandam sententiam, adducunt 1) Luc. XXII. 20. et 1 Cor. XI. 25. Verum dist. inter propositiones doctrinales et *morales*, quales sunt ll. cc. 2) ipse C. de pane edit; ergo et semet ipsum.

Resp. sed non de pane eucharistico (§. seq.). *Posteriores* vero probant ex 1 Cor. XII. 13. Resp. non de *actu*, sed *fructu*, sermo.

§. 989. Tot itaque tantosque cum S. Coena coniunctos habeat vsus (§. pr.); *saepius* et *necessario* (*hypothetice* tantum ergo, non *absolute*) ea vtendum, id quod præceptum etiam Christi innuit Luc. XXII. 19. Ioh. VI. 53. Et quia etiam fidei medium excitationis est (§. pr.); non *regeniti* solum, sed et *irregeniti*, *conuiuae*, adeoque *subiectum cui* esse possunt; h. e. qui fines *cuius*, et *secundarios* obtinere possuut, et *primarios* (§. pr.). Quodsi vero fines cuius, ob DEI sapientiam, obtineri debent; Christus *sibimet ipse* S. Coenam non porrexit, quod *silentio* etiam Sc. S. probamus. Hinc quia etiam commemoratio mortis Christi *adplicatrix*, inter fines primarios refertur (§. pr.); qui hanc commemorationem nec obseruare, nec instituere valeat subiectum cui, non admitti posse, satis claret. Recte ergo *Ethnici*, *infantes*, *obsessi*, *furiosi*, lucida qui non *interdum* (tunc enim admittendi) interualla habent, *doctrinae Christianae*, et præcipue S. Coenæ *cognitione destituti*, nec *conuicti*, *Turcae*, *Iudaei*, Hæretici, aut Catechumeni, arcentur. Non vero ad hanc referre classem possumus *surdos* atque *mutos*, quippe qui variis modis veram sibi (ne de gratia hic extra-

extraordinaria dicam) acquirere doctrinam possunt, *desiderium* etiam atque *poenitentiæ signa* monstrare. Quoniam vero manducatio etiam necessaria est atque bibitio (§. 986.), item que ecclesiæ membrorum coniunctio (§. pr.); *nondum baptizati*, et *qui nostræ non est ecclesiæ membrum, mortui, absolute abstemii* (quibus spiritualis manducatio sufficiat et bibitio §. pr.), non sunt admittendi quoque. Verum nostrum, nostris principiis, iugulum premere putas, concludens: ergo nec *irregeniti*, commemorationem mortis Christi instituere recusantes, sunt admittendi. Verum dist. inter *posse* et *velle*. Instas: qui non vult, ac si non posset, est censendus. Verum nego. Tanta enim per Coenæ vsum, cor peccatoris commouere DEVS vi potest, vt officia sibi debita exsoluat; diuinoque prius pudore malitiæ ingratitudinisque suæ memor, suffundatur, h. e. *poenitentiam* agat. Præter vero iam adductam rationem *excitandi* fidem, et alias adducit cel. *Ruesius* l. c. *Verbi* enim *diuini*, itemque *Baptismi* analogia, quibus etiam fides excitatur (§. 975.), adeoque irregenito adplicari debent, comprobat. Accedit, quod, quia ad gratiam vniuersalem recte refertur, ad voluntatem DEI *antecedentem* pertineat, neque dum ergo conditionem fidei includat. Quodsi finem *secundarium*, quo membra se nostræ ecclesiæ esse, falsamque religionem abhor-

abhorrere commonstrant, cum *primario*, minime pugnantem, perpendis; præterea etiam *Iudam*, Eucharistiam, a Christo *accepisse* et *vsurpasse* Matth. XXVI. 20-26. Luc. XXII. 3.7. 21. Ioh. XIII. 2. seqq. (ad poenitentiam enim sic atque fidem, quam excitare in Iuda intendit, perducere voluit Christus); itemque Matthæi verba: εις αφεσιν αμαρτιων; nec non, communicantium, *modo sint orthodoxi*, præstare *officia* 1 Cor. XI. posse (sc. a) *annunciare mortem Domini*, non ergo tantum *enunciare Magnalia DEI, in liberatione populi ex Aegypto*, quod apud Iudæos, quos *Corinthii* iudaizantes, quo Paullus respicit, sequi voluerunt, in *Paschatis celebratione*, moris fuit. b) *corpus Domini diiudicare*, adeoque cauere, vt a Iudaicis ritibus abstineat, insignemque, quæ inter Paschatis corpus, et ipsum Domini corpus intercedit, differentiam consideret, vers. 21. c) *sese ipsum probare*. Quid vero hæc verba velint, ex versu 18. 19. vbi δοκιμοι, *schismaticis* opponuntur et *hæreticis*, adeoque κυριακον δειπνον non celebrare, sed Iudæos esse, larua Christianismi tectos. Ergo sensus vt recte *Ruesius*: Quodsi *Christiani* hos abusos *deuitauerint*, quodsi rixas, odia, æmulationes, schismata ad sacrum ritum non attulerint, quodsi *hereticarum* quicquid est et falsarum opiniuncularum, quo mortis Christi annunciatio obnubilatur, *abhorruerint*, et

et orthodoxa mente ornatos sese ecclesiæ præstiterint: illi mandato Paulli, satisfeciſſe censendi erunt. Immo si et laxiori, δοκιμασιαν sensu sumas, et sollicitam in *poenitentiam, fidem et nouam obedientiam*, inquisitionem intelligas; et hæc irregenitos, alias conuerti non possent, facere posse, negare non poteris), nec non vitam quæ poenitentiam, fidem aliaque inde fluentia includit, S. Coenam conferre, Ioh. VI. 53. seqq. et S. Coenam, quemadmodum *verbum* et *Baptismus* 1 Ioh. V. testem esse; denique nullum in Sc. S. locum esse, qui irregenitos excludat, nec fidem, vt *essentiale* et *formale* S. Coenæ adduxisse probe consideres; de admissione irregenitorum ad S. Coenam, nullo dubitare modo possumus. *Consentientes* etiam libros, quos euoluas, *symbolicos* deprehendes. Destruere quidem hanc videntur rationes sententiam, quarum prima ab Apostolis est desumta. Verum nonne et Iudas aperte irregenitus, interfuerunt aliique Apostolorum imbecilles? Nil ergo præter hoc sequitur; quod, qui *salutare cum effectu* vti velint S. Coena, debeant esse fide præditi. Distinguenda ergo sunt *forma, essentia*, et *effectus* seu *fines* et *consecutiua* S. Coenæ. 2) 1 Cor. XI. vbi *fides* requiritur. Resp. Non tam *Practica*, quam *doctrinalia* (per antec.); vel sermo est de vsu salutari. 3) 1 Cor. X. 21. absterrere Apostolum Iudæorum exemplo,

qui

qui simul ausi olim fuerint, miscere se scortis et epulas agere in honorem Deorum, simulque πνευματικον βρωμα φαγειν &c. ita multo magis Christiani. 4) 1 Cor. XI. 20. Resp. de abusibus iudaicis, ritus intrudere e. g. in S. Coenam, non mortis Domini annunciandæ, sed liberationis ex Aegypto celebrandæ causa conuenire, et simul festiuitatibus ac *lautis dapibus* S. C. rationes obnubilare, non de nostris irregenitis est sermo, 5) irregenitos carere fide, quæ os et stomachus spiritualis. Verum non fides est *os spirit.* Sed *intellectus, voluntas animaque facultates.* Homo enim irregenitus, spiritualiter mortuus est Eph. II. 1. 2. Naturaliter mortui stomachus *nouus,* si medicamentum ad vitam daretur, non creatur; ita nec spiritualiter. 6) ita nullos plane indignos dari. Resp. Neg. Nam *indignus rei* est, officia, qui circa rem alias obseruanda, negligit. Quum vero irregeniti officia præstare *possunt* (per antec.); *prorsus indigni* non sunt dicendi; præcipue quum et *post* S. C. vera fide præditi, quæ ipsis præscribuntur, queant peragere. Ergo indigni tantum fiunt per accidens; et quidem vel *post,* vel *ante* S. C. vsum. Hinc *indigni* et *irregeniti,* non ad eadem hac in re, classem pertinent. Obseruata ergo inter *indignos* et *irregenitos,* nec non inter vsum seu accessum, et eius consequentia, distinctione, omnia fere

fere dubia cadunt. 7) ita ſecuri fiunt homines, omnemque præparationem ſicut eccleſiæ leues miniſtri adhortationem negligunt. Verum Reſp. hoc fieri per accidens. 8) Habilia requiri ad Sacram hanc actionem, fidem ſc. qui habent, ſubiecta. Reſp. eſt petitio principii; ita, etiam a verbi diuini tractatione arcendi eſſent. 9) irregenitis non eſt deſtinatum. Concedo, *qua* irregenitis; ſed media tamen ipſis offert DEVS ad ſalutem. 10) Matth. XV. Panem, ſacramenta; irregenitos *infideles*, (*hereticos* forte dixeris) canes eſſe negamus. 11) celebrationem primam, eſſe exemplar omnium (§. 985.). Reſp. concedimus ſed tamen Iudas interfuit. 12) nec ſic finem nos ſecundarium obtinere (§. pr.). Neg. et argumentum inuertimus. Obtineri enim primo fidelium reſpectu poteſt; et ſi irregeniti conuertantur, maior inde erit numerus. Quodſi enim, quæ fini alicuius rei contrariantur, aut circa quæ finis conſecutio difficilis eſt, ſeparare atque remouere vellemus; DEI verbum audire irregeniti non poſſent, plurimaque in mundo eſſent fere deſtruenda. Plura qui deſiderat, cel. *Rueſium* adeat, optime qui rem hanc pertractauit; cui etiam multa debemus. Irregenitis ergo quia ex intentione Chriſti deſtinata eſt (per antec.); *ſeparatiſmum* defendentes 1) errare, patet. Nam ex 1 Cor. V. 11. proba-

probare thesin non possunt; quia vel de *familiari consuetudine;* vel de iis locus agit, qui excommunicatione maiori premuntur. Contrarium potius, *frequentem* sc. et *numerosum* eius *vsum* maxime *necessarium,* ob bona quæ affert, omnino concludimus 1 Cor. XI. 26. Equidem *quotidianum* eius vsum, aut die saltem dominica qui primis Christianorum *ob pericula,* placuit, nemini obtrudimus; *Lutheri* tamen sententiæ, non dignos esse, qui Christianorum numero censeantur, nisi anno quolibet, *ter quaterque minimum* sumant, subscribimus. Ergo *iteratio* frequens necessaria 1 Cor. XI. 26. Errant ergo II) *Fanatici,* qui pro *intermissione* omnimoda vrgent 1) olim in ecclesia Apostolica, *imbecillium* caussa celebratam esse; et *spiritualem* tantum *vsum* a Christo commendatum Ioh. VI. Resp. prius negamus, quod Martyres, fidei Heroes probant; posterius vero, vsum non *excludit* sacramentalem; 2) ex Iudæorum ceremoniis esse. Resp. Etsi concederemus; ad maius tamen et salutare institutum euexit. 3) Apoc. III. 20. Spiritualis, non *excludit* sacramentalem. Tunc demum ille qui iam in V. T. locum habuit, obtinet, si quis sacramentali potiri nequeat. 4) Rom. XIV. 17. Col. II. 16. Ignoratio est elenchi; dum non de cibis vulgaribus, iisdem ex more Iudæorum leuitico, aliis seligendis aliisque reiiciendis, in

in S. C. sermo. 5) Quemadmodum, quæ Joh. XIII. Act. XV. Jac. V. commendata sunt desierunt; ita et S. C. Resp. Est ignoratio elenchi. Nam haec a Christo non vt *media salutis* sunt instituta; nec ad finem vsque mundi frequentanda. 1 Cor. VIII tot. et X. nec non Col. II. Rom. XIV. Errat ergo III) *ecclesia Graeca*, quae pro *communione infantum*, prouocant 1) ad Marc. X. 14. Resp. fit hoc per *Baptismum*, non vero (vid. prob. nostr.) per S. C. 2) Joh. VI. 53. Resp. non de S. C. sermo; vel si etiam concedamus, capacitas ob nostras rationes, requiritur. 3) 1 Sam. I. 28. fit per Baptismum, extraordinariique quid ad templum occurrit, quod ad S. C. de qua in textu nil est, non adplicari potest. 4) antiquitatem eccles. prim. Resp. Cuius in rebus sine consensu S. Sc. auctoritas nulla est; inprimis qui demum Sec. III. seq. mos ortum traxit, adeoque non pertinet ad Apost eccles. *Decimo* enim vitae et *quarto* die anni discretionis inchoare, solent.

§. 990. Quodsi ergo et irregenitis destinata est (§. pr.); omnes, et pii et impii, hypocritae, indigni, infirmi in fide, pusillanimes, et perturbati, etc. C. et S. C. accipiunt 1 Cor. XI. 27. 29. Ergo ob maxima, quae inde fluunt bona, *posteriores praesertim*, ex Lutheri consilio (vbi Cathechis. ait: (*Büttneri Curs. Theol.*) Mmm *quam*

quam vt in sinum, proprium inspiciant, videantque, num ipsi quoque carnem et sanguinem habeant etc.) saepe saepius hac coena vti, sunt obstricti. Errant ergo, qui haec negant; inter quos, ex nostra etiam ecclesia, sunt, qui sententiae huic accedunt; sunt et in aliis. Illi, vt conscientiam, irregenitorum, quos excludendos putant, respectu, tranquillam habeant, ad hanc delapsi sunt sententiam; quemadmodum, qui sub *conditione fidei* S. C. porrigendam esse, docent. Verum vtraque per nostra cadit principia, ita vt confugere, ad figmenta necesse minime habeamus. Ergo quia omnes C. et S. C. accipiunt (per antec.) prima etiam, exemplar omnium est (§. 988.); *nullius* respectu in S. Coena aliquid est mutandum. Ergo quum *edere* et *bibere*, vtrumque seorsim instituit Christus; administrare coenam, ita vt Laici aut Clerici non conficientes, *tantum* panem benedictum sine calice accipiant, non licet; quae administrandi ratio, *communio* dicitur *sub vna*: ratio vero, qua calicem et panem benedictum porrigimus, *sub vtraque* (specie). Haec ergo retinenda; illa vt falsa et impia reiicienda; idquod eo magis sequendum, quia, quod mirum, DEIque ex sapientia, omniscientiaque deducendum, vt expressis verbis, vocabulo, de *calice* si sermo (non de pane): OMNES, vtitur Matth. XXVI. 27. XIV. 23. et

et Paulus 1 Cor. X. 14. XI. 23. 28. Immo Pontificii ipsi Sec. XII. et XIII. et Laicos sub vtraque vsos esse, fatentur. vid. Alt und Neues A. 1701. p. 189. Non de *Clericis solis*, quae *Pontificiorum* sententia, sed de qualicunque conuiua loquitur. Ex eadem ratione et *intinctio*, et *intritio Eccles. Graec.* error, est reiicienda. Haberemus quidem et de *eleuatione*, quae tamen in ecclesia Graeca, *veneratio* solum et *repraesentatio Christi in cruce pendentis*, minime vero, vt apud *Pontificios*, λατρεια seu *adoratio* est; itemque de vino *rubro*, pro cuius necessitate fere pugnat, dicenda; verum cum haec *accidentialia* tantum tangunt; libertati Christianae relinquimus. Probant quidem 1) Rutheni et Eccles. Gr. 1) Infantes panem solum deglutire non posse. Verum destructo eorum errore atque principio (§. pr.); conclusio etiam cadit. 1) Periculum *effusionis* vitandum. Sed destructa, de durabili etiam extra vsum, rei coelestis cum materia terrena, vnione (§. 987.); et periculum etiam nullum est. 3) ex consuetudine ecclesiae primitiuae. Resp. Non omnium, sed quorundam fuit, siquidem et Julius Epist. Rom. Sec. iam IV. contradixit; ne, Christi determinationem et institutionem, maioris ponderis esse debere, iam dicam. *Pontificii* II) *communionem sub vna*, probant 1) quia nullum corpus sine sanguine.

Resp. a) contra institutionem est. Ergo et b) Clerici ita assumant. Distinguendum c) etiam inter vnionem naturalem et sacramentalem. 2) Joh. VI. 50. Luc. XXIV. 30. Resp. S. Coenam fuisse *probent*, nos negamus; alias ob eandem locutionem etiam Matth. XIV. 19. Marc. VI. 41. 3) abstemiis consulendum. Sed vid. (§. 989.); nulla, melior enim est, quam mutilata. 4) graues, ex eorum sententia, rationes, leuissimae sunt. *Poculum* enim *absterſorium* (Spülkelch) non est benedictum; b) irreuerentia etiam, si gutta in barbam etc. decideret, errorum transsubstantiationis sapit; et c) inopia vini, nulla est. 5) Clericos fuisse Discipulos. Resp. Ergo et ne panem quidem accipiant Laici. b) Si Clerici non conficientes erant Discipuli; cur calix non porrigitur illis? Errant ergo III) *Anabaptiſta* et *Schvvenkfeld.* qui Hypocritas, indignos etc. non accipere C. et S. C. dicunt 1) quia profanatio symbolorum. Verum non *acceſſus* et *vſus*, sed *modus* damnat (§. pr.). 2) Omnes sic viuificari. Neg. quia salutares operationes impediunt (§. pr.). 3) 1 Cor. X. 20. Sermo de *iure*, non de *facto*. 4) 2 Cor. VI. 15. Locus non agit de S. C. sed de inhabitatione gratiosa. 5) infideles reiicere Christum. Ergo et corpus C. Resp. de effectu salutari concedo, quod vero vnionem sacramentalem non tollit. 6) Matth. VII.

VII. 6. Resp. de S. C. non est sermo (quia cœna sola, non indicatur per sanctum et margaritam; ergo nec sola solius S. cœnæ denegatio, dicto hoc continetur); neque de irregenitis, quos postulamus, *orthodoxis*. Sues ergo et canes stylo scripturæ, *Pagani, Schismatici* et *hæretici* Psal. LXXX. 14. Matth. XV. 26. Apoc. XXII. 15. Deinde non *arcendos* esse, locus dicit, sed *cauendum* (ergo non praeceptum), ne detrectantibus *obtrudatur*. 7) irregenitos non vnum, quod tamen 1 Cor. X. requiritur, corpus cum fidelibus esse. Resp. De membris ecclesiæ, qualia et irregeniti sunt, eorumque causa sermo; non de S. C; quatuor enim adsunt termini.

§. 991. Verbum DEI atque Baptismus vt inter gratiae media, referenda (§. 962. 979.), sic etiam S. C. (§. 988.). Quum vero gratiae media, ad DEI Oeconomiam ordinemque pertinent, cuius dispensatores ecclesiæ sunt ministri 1 Cor. IV. 1. ob 1 Cor. XIV. 40. *causa ministerialis, ordinaria*, ecclesiæ est minister Joh. XIX. 30. Verum ad *solos* illos Sc. S. administrationem non adstringit *exclusiue*; Probandum enim! omnisque ergo ex sacerdotii spiritualis iure (§. 929.), peragere posse videtur. Quoniam vero absolutæ necessitatis non est S. C. (§. 989.), facileque pericula confusionesque, si Laicis concederetur, in ecclesia, nec

non male administratæ formido, oriri possent; præterea etiam manducatio etiam spiritualis sufficit (§. 988.); in *casu* quoque *necessitatis* (*extra* hunc enim nulla controuersia) *denegare* aut certe *dissuadere*, tutius erit. Non ergo I) cum H. *Grotio*, potestatem hanc et Laicis qui tribuit; multo minus II) cum *Socinianis*, qui *decori tantum* gratia, ministris ecclesiarum concedunt; minime omnium vero III) cum *Anabaptistis* aliisque *Fanaticis* facimus, qui omnibus Christianis, *sine discrimine*, et *sibi* et *aliis*, facultatem porrigendi, defendunt. Nam etsi ob principia *finis cui*, et *ipse consecrans*, in casu necessitatis, cui omnia cedunt *commodius* (vt eo propius, ad primum exemplar accedat) nisi haberi possit, esse conuiua queat, licet ob defectum rationis atque fundamenti *ante dispensationem*, non esse *debeat* (§. 989.); etsi porro non ex ministri dignitate (ita ut etiam irregeniti ceteris paribus, administratio, valida iudicetur et efficax) S. C. pendeat (§. 985.); non tamen in ecclesia, in principiis errante, capere nos posse, probamus (§. 989.).

§. 992. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, *denominationes* S. Coenæ intelligere etiam poteris. Sunt vero 1) *Biblica: Eucharistia, Eulogia, Coena Domini s. Dominica, Synaxis* seu *conuentus* et *congregatio, Communio, Calix* et *mensa Domini, Nou. Test.* ἀγαπη, ἀγροκλασια, *synecdochice,*

dochice, ita vt *potus* non excludatur; 2) *eccleſiaſtica*: λειτυργία et ἱερυργια ſ. adminiſtratio, *myſterium* et quidem *horrendum*, ἐφοδιον, θυσια *ſacrificium*, προσφορα *oblatio*, quia, quod in cruce oblatum et ſacrificatum eſt, iam diſtribuitur (non ergo ratione *ſacerdotalis* actus), *Sacramentum altaris*, non *ſacrificii*, ſed *menſae* ſ. *altaris*, vbi donaria deponebantur, *ad menſam Domini*, *Viaticum*, *Collecta*, *Miſſa* a dimiſſione populi, non a ſacrificio Miſſæ *Pontificiorum*, des HErrn Nacht- oder Abendmahl, *conuiuium Dominicum*, *Coena myſterii* etc. 1 Cor. XI. 26. 24. 20. X. 21. 16. Luc. XXII. 20. XXIV. Act. II. Licet vero *Miſſam* denominemus S. Coenam, et *ſacrificium* (per antec.); *ſuperſtitioſam* tamen, *Pontificii* quam praeeunte Tridentino, *definiunt*: ſacrificium incruentum N. T. propitiatorium et ſatisfactorium, in quo Sacerdos *proprie* dictus et ſolus communicans, ſuper altari proprie dicto, Patri coeleſti eundem Chriſtum, eandemque hoſtiam, quæ in cruce oblata fuit, ſub ſpecie panis et vini, pro viuorum, ac mortuorum purgatorio nondum plene purgatorum peccatis, poenis, ſatisfactionibus, aliisque neceſſitatibus offert; cum *piis Confeſſoribus noſtris*, non admittimus: ſed *Chriſtianam*, ſeu legitimam S. Coenæ celebrationem; id quod non ex ſacrificii definitione §. 973. ſolum, ſed inde etiam probatur, quia

animal in S. C. nec occiditur aut per mortem destruitur nec a Christo, rem in S. C. offerendam, mactandam, mandatum. Accedit, Ebr. IX. 22. quod, quia sine sanguine peragitur, esse propitiatorium non possit; dum Christi *etiam*, quia repeti debet, imperfectum sacerdotium esset Ioh. XVI. 10. Rom. VI. 9. Ebr. VII. 27. IX. 25. 26. X. 3-14. Recte hinc *Scherzerus*: Q. *αγραφον, αντιγραφον*, in Christum eiusque meritum contumeliosum, N. T. euersiuum, idololatricum, impium, primitiuæ ecclesiæ plane incognitum est, et infinitis contradictionibus se ipsum premit; illud ceu monstrum horrendum et abominandum idolum, e templo Domini, a veris Christianis est ejiciendum. At vero Missa Pontificiorum, talis omnino est, vid. *Scherz.* Minorem fuse probantem. Ergo. Errant ergo 1) *Pontificii*, qui sacrificium *piaculare* et *proprie* sic dictum adpellant, itemque II) *ecclesia Graca*, quæ idem agit atque docet, etsi nomine eodem non vtatur. Probant *hi* non aliter fere, quam priscæ ecclesiæ nomenclatura. Verum *improprie* tale intelligunt, ita vt verbis ad instituta Iudaica accomodatis, vtantur, sed N. T. congruenter ea intelligi velint; Mal. I. 11. Ier. XXXIII. 18. aut *materialiter*, seu C. C. in cruce tantum, non vero *formaliter*, pro actu sacrificandi. *Improprie* vero *sacrificium tale*

tale omnino concedimus; quo nomine in Sc. varia indigitantur. Sic enim non *preces* solum Ebr. XIII. 15. Apoc. V. 8. *cultusque N. T.* Rom. XV. 16. XII. 2. Phil. II. 17. 1 Pet. II. 5. Sed et *officia erga proximum* Phil. IV. 8. Ebr. XIII. 16. omnisque actio, qua, cum DEO, arctius coniungimur. Quibus observatis, et *Pontificiorum* dubia, refellere poteris. Nam 1) Gen. XIV. 18. non DEO, sed *Abrahamo* oblata erant; et 2) Agnus Paschal. nec Sacrificium erat, (§. 973.) nec typus S. Coenæ, sed Christi (§. 972.), 1 Cor. V. 7. 3) Act. XIII. 2. Verum non omnis λειτουργος, missam celebrat, exemplo Paulli et Angelorum Rom. XV. 16. Ebr. I. 14. et 4) Christi Sacrificium, in morem Melchisedechi *aeternum* est, respectu *valoris*, Ebr. X. 10. non *reiterationis*. Vbi vero 5) Maior illa probata est? *N. religionem esse sine sacrificio constanti.* Et si vel maxime vera esset, habemus Christi æternum. 6) Το *facite*, autem, Matth. XXVI. non est, *sacrificare*, quod ipse testatur *Estius*, in IV. Dist. IIX. §. XI. et annot. ad Luc. XXII. quia alias non cum *Accusatiuo Actionis*, sed potius cum Accusatiuo generis (*facere sacrificium*), aut obiecti proprii (*facere victimam*), aut speciei (*facere holocaustum*), vel cum *Ablatiuo rei* (*cum faciam vitula*), construendum esset. Hinc definiri S. Coena potest: actio, qua, mediante pane benedicto, verum et

ſubſtantiale C. C. manducandum, et mediante vino benedicto, verus et ſubſtantialis eius ſanguis bibendus exhibetur, et accipitur. Ceterum et S. Coenæ reſpectu, *mandatum DEI* (§. 985.), *elementum* (§. eod.), *promiſſionemque diuinam* (§. 988.), nos deprehendere, quiuis videt.

CAPVT XXI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET TESTAMENTIS DIVINIS.

§. 993.

Etſi nec Sacramenti *vocabulum*, ſiquidem ex Romanorum lingua; nec determinatæ eius in Sc. quæ ſigna Rom. IV. 11. myſteria etiam adpellat 1 Cor. IV. 1. quaeque per Sacramenta reddit *Vulg.*) legantur notæ; facile tamen ex Logicæ, de abſtractione, doctrina, formare nobis ideam vniuerſalem poſſumus (§. 43. Log.). Adſumas enim ex *quatuor* illis, quæ Sacramenta alias ſine controuerſia fere vocantur, *duo* aut *plura* (non enim Circumciſionem, Agnum Paſch. Baptismum et S. Coenam, ſacramenta admittunt omnes), quæ velis; *definitio* exſurgit; quod ſint: actiones diuinitus præceptæ, quibus per elementum, cum inſtitutionis verbo coniunctum, foederis euangelici bona exhibentur

bentur. Non ergo *profano* hic, sacramentum admittimus sensu, 1) pro *pecunia* victori cedente, a litigantibus olim deposita, aut 2) quouis *pignore*, aut 3) *iureiurando militari*, quod *Tertullianus*, quem secutus deinde *Augustinus*, ad denontandum actum, quo, se sub vexillo Christi pugnaturos, baptizandi promittunt, adhibuit, sed potius *ecclesiastico*: cuius respectu tamen rursus nec *generatissimum* et *latissimum*, vbi pro re *sacra* et *arcana* s. *mystica*, e. g. Christi incarnatione 1 Thim. III. 16. amamus; multo minus *specialiorem* seu *strictiorem*, quo rei sacræ symbolum nude significans, e. g. Apoc. I. 20. XVII. 7. indigitatur; sed *specialissimum* s. *strictissimum*, qualem iam per abstractionem formauimus. Noster tamen interdum vel ὁλικῶς sumitur, pro *tota* actione sacramentali; vel μερικῶς, pro parte aliqua essentiali, e. g. aqua in baptismo etc. Errant ergo I) *Pontificii*, sacramenti vocabulum ἐγγεάφον affirmantes, cum nec in *Vulgata*, nostro sensu, sacramentum, sed potius *mysterium*, dicatur. Ex hac tamen ratione II) nec *Carolostadius*, nec *Sociniani* et *Fanatici*, cum *Remonstrantibus* et *Schwenkfeldianis*, nec *Christianus Democritus* im Glaubens-Bekenntnisse, audiendi, qui Sacramenti nomen *explodunt*, et ceremonias superstitiosas, immo et idololatricas partim dicunt; et *effectiuam* ipsis *vim* bona foederis euan-

euangelici exhibendi, denegant; id quod de *circumcisione, agnoque paschali,* contra (§. 970. 973.), affirmant *Pontificii.* Nam 1) quia ex *definitione,* ad Sacramenta, tria referuntur: *mandatum DEI, elementum* cum institutionis verbo coniunctum, et *promissio gratiae,* seu bonorum foederis euangelici; quæ vero in *Circumcisione, Agno Pasch. Baptismo* et *S. Coena* deprehendimus (§. 970. 973. 984. 992); sacramenta hæc esse, quiuis intelligit. Verum actiones hæ, effectus producunt salutares, fidem vel producentes, vel confirmantes, omnes (§. §. citt.). Hinc minime gentium erroribus subscribere iam memoratis possumus; gratiam præcipue si 2) perpendimus vniuersalem (§. 457.), qua omnibus salutem, verbum etiam DEI (cuius maxima inde φιλανθρωπια, qua manum peccatoribus etiam porrigit, variisque, et non per verbum *tantum,* ad se trahit), recusantibus etiam, sacramentis, impertiri studet. Quodsi porro 3) *obsignationis* gratiæ spiritualis *necessitatem* Rom. IV. 11. coll. Col II. 11. 12. nec non 4) DEI, de ritibus in ecclesia seruandis, *praeceptum* 1 Cor. XII. 13. cogitabis; itemque 5) locum 1 Ioh. V. 5-11. perpendes, nostræ te calculum adiecturum esse sententiæ, credo. *Vocabulum* vero quod attinet, quia signum est arbitrarium, a quo sine necessitate, non temere est recedendum, omni-

omnino retinemus (§. 80. 99. Log.); faciliores tamen nos hac in re, si placet, etiam præbemus. Interim non tanti sunt Fanaticorum, contra *vocabulum* hoc, prolata dubia. Nam 1) Spir. S. etsi *non vtatur*, nec prohibuit, tamen nec alia, quibus Fanatici vtuntur, adhibuit. 2) ab Ethnicis, quod objiciunt, et alia accepimus et ipsam Ling. lat. et Gr. Rejiciamus? 3) quia a *Tertulliano*; non est, quod volunt, ex *Papatu*, nec omnia ibi sunt mala. Quantum vero ad *efficaciam*, probant 1) vmbras cessasse. Resp. Neg. Sacram. esse vmbras. 2) Ioh. IV. 24. Sed non excluduntur Sacram. 3) Eph. I. 14. Resp. Sp. S. est caussa *principal*; Sacram. *instrumentales* seu organicæ. Nec 4) disputatio de numero, quam objiciunt, *tollenda* esse non probat, sed potius, quæ vera, inquirendum. 5) quia Sacramentorum vis et *efficacia*, nec *physica* sit, nec *moralis*; ergo nulla. Resp. Neg. Nam Q. sua natura effectus producit, est *caussa physica* (§. 80. Ont.); Sed Sacramenta (§. 970. 973. 984. 992.); Ergo 6) Signum non est instrumentum et medium *exhibens*. Naturalia et nude significantia concedo; quæ non sunt Sacramenta. 7) nos petere principium, quia iam de gratia promissa persuasi simus. Negatur, vid. §. pr. dub. 5. 8) *Immediate* sacramenta effectus producere, et tamen instrumenta esse, sunt contradictoria. Resp. Neg.

Neg. Respectu DEI enim, per ea qui agit, sunt instrumenta; si vero *in se*, ea consideramus immediate agunt. 9) nihil esse in Sacramentis mysterii. Resp. Neg. Nam non in *repræsentatione* et naturali ad mentem h. m. instruendam *respectu* talique operatione, efficacia eorum consistit. 10) Luc. XVII. 20. Resp. Ergo a) et ipsa prædicatio verbi excluditur? absurdum! nec b) locus de *mediis*, sed vera *pietate* loquitur. II) errorem de sacramentis, saluti, (vt *Sociniani*), eiusque fundamento, obesse; neque adeo totam (quod *Remonstrantium*), controuersiam alicuius momenti esse; Resp. Neg. Nam sic media salutis, hoc modo negliguntur, et perperam adhibentur; ordoque salutis et oeconomia DEI impugnantur. *Pontificii* vero: Typi sunt signa; Atq. Sacramenta. Ergo. Sed vide (§.); deinde etiam dist. inter signa theoretica et practica; nude significantia et exhibitiua. Ita nec quia obsignant Sacramenta, concludere possunt; ergo sunt signa. Disting. enim inter *vsum*, et *essentiam*. Multo minus Augustini definitio: *signa visibilia inuisibilis gratiae*, quæ falsa, contra nos valet.

§. 994. Quum itaque sacramenta efficacia ad salutem media sunt (§. pr.); salutem vero concedere, nisi DEVS, potest nemo; Deus, et quidem Trinunus (§. 140.),

140.), *cauſſa* eorum eſt *inſtituens*. Et quia per vnionis gratiam, qua homo etiam diuinam poteſtatem habet Chriſtus (§. 623.), et ſecundum vtramque naturam noſter mediator eſt, qui media ſalutis præſcribere poteſt; et *Ieſus Chriſtus*, recte etiam ſecundum humanam naturam, inſtituens cauſſa ſalutatur. Male ergo I) *Chriſtianus Democritus* l. §. pr. c. aliique *humanis traditionibus ac ritibus iudaicis* eadem accenſent. DEVS enim, ſi vel maxime eſſet, vt Naturæ Dominus, omnia ad maiorem vſum euehere poteſt. Male ergo et II) *Pontificii*, Chriſtum, *qua hominem*, Sacramentorum auctorem negant, quia deſit potentia diuina; quod vero ob vnionis perſonalis gratiam, negatur. Et quia fidem producunt ſacramenta et confirmant (§. pr.); quæ fidei *cauſſa impulſiua*, eadem et ſacramentorum, *interna* ſcil. miſericordia DEI; *externa*, meritum Chriſti (§. 824.), et anſa cenſetur ſcil. *hominum miſeria*, Eph. I. 3. Recte ergo a) ex cauſæ inſtituentis et b) impulſivae (per antec.), nec non c) ex tribus, quae neceſſaria ſunt, requiſitis (§. pr.); nec a *morum ſanctitate adminiſtrantis*, nec ab eius *intentione*, efficaciam eorum pendere, concludimus; ſiquidem d) *inſtrumentaliter* tantum (inſtrumentum autem non *ex ſe*, ſed ſecundum *eius*, a quo tractatur, vim atque virtutem agit) ſeſe habet. Quodſi enim veritas doctri-

doctrinae, vis insuper et efficacia a ministri dependeret sanctitate et intentione (quod ideo e) etiam falsum, quia *veritas*, ordo eorum est, quæ rei conveniunt, quique non a ministro, sed DEO constitutus, atque f) *immutabilis* (§. 23.); nunquam g) cor cogitationes que ministri inspicientes, de veritate et integritate cuiusdam rei aut actionis, certi esse possemus atque securi. 1 Cor. III. 7. Rom. III. 3. Joh. III. 5. VI. 51. Matth. XXVI. 28. Gal. III. 27. Phil. I. 15. Ex. IV. 25. Quodsi ergo dispositionem somnia verba actionesque, ad essentiam Sacramenti pertinentia, adhibet et ad nutum DEI (stiftsmäßig) tractat (quæ *materia remota*), quam etiam *intentionem externam*, sed præter *necessitatem*, dicunt; *interna* s. actus quo finem serio vult obtinendum, *necessitate ipsius sacramenti*, non simpliciter est necessaria, quamuis a) necessitate præcepti, et b) ratione της συχνημοσυνης c) officiique ministri, omnino necessariam iudicemus. 2 Tim. IV. 5. 1 Tim. III. 2. Hinc attentus sit et animo præsens, non somnolentus, et animo peregrinanti. Ergo et ab irregenito adplicari, sine damno possunt et accipi. Errant ergo *Donatistæ* et *Anabaptistæ*, aliique, Sacramentorum qui efficaciam pietati ministrorum adscribunt, et ministerium *malorum* inutile et inefficax dicunt. Nam insufficiens ipsorum, quam adducunt, ratio

ratio est: Q. Sp. S. non habet, beneficia Sp. S. alteri conferre nequit, quod ex idea *instrumenti*, quod tantum sunt ministri, claret. Causa enim principalis (DEVS) potest. Errant etiam *Pontificii*, qui præter *habitualem*; *virtualem* (quæ reuera nulla est), si non adsit *actualis*, intentionem requirunt, et probant 1) quia alias omnis e.g. Baptismus etc. per ludum et iocum, sacramentum esset. Resp. neg. quia hæ, non essent *sacræ*, s. diuinitus praeceptae, quales definitio (§. pr.) postulat. 2) Matth. XXIV. 45. Concedimus ratione sui, non ratione Sacramenti. 3) Nullam actionem proæreticam, sine intentione esse posse. Resp. si de externa; concedimus, non vero si de interna, quæ interdum etiam contraria est e. g. in *gratulatione*, in *exsecutione mandatorum* etc. Hincquia a DEO (per antec.); in *substantialibus* et *essentialibus* mutare quid potest nemo; etsi in *accidentalibus*, quae abesse possunt et adesse: 1 Cor. XIV. 40. e. g. respectu hostiarum, immersionis etc.

§. 995. Per Sacramenta exhibentur foederis evangelici bona (§. 993.). Quoniam vero libertatem hominum, non tollit DEVS (§. 121. Th. N.); bona *malitiose* resistentibus non *obtrudit*; adeoque non *prosunt opere operato*, seu vi *sola* actionis externae. Ergo *adplicantibus* sibi bona illa, tantum ad salutarem

fructum prosunt h. e. *fidem habentibus;* quamuis non ad substantialem Sacramenti integritatem requiratur fides (§. 994.). Ergo etiam non prosunt ex *opere operantis,* siue merito obedientiae eius, qui Sacramentum suscipit. Ebr. IX. 6. Rom. IV. 16. III. 14. Non vero hoc modo contradictoria docemus, siquidem diuersa hic fides considerari *relatione* potest, vt *effectus* sc. qui nostro concipiendi modo praecedit, et *organon recipiens,* Marc. XVI. 16. Luc. XXII. 19. 20. Si vero bona foederis euangelici, exhibent, quae fides sunt, itemque iustificatio, sanctificatio, ceteraque quae supra Capp. X - XVI. descripsimus; remissio non peccatorum solum, sed et fidei excitatio et confirmatio, adplicatio et obsignatio, et quae hinc ll. cc. sequuntur, *fines cuius* sunt, et quidem *primarii.* Hinc ob bona, quae conferunt, *necessaria* sunt, necessitate *medii,* itemque praecepti (§. 994.). Verum, quum certum respiciunt ordinem, nec vbique locorum haberi possunt, gratiaque extraordinaria cum homine, tunc DEVS agit (§. 982.); non *absoluta,* sed *conditionata* seu *ordinata* ipsis necessitas est adscribenda. Hinc recte *Bernhardus:* non *defectus,* sed *despectus* Sacramentorum damnat. Interim Baptismus magis est necessarius, quam Coena, non autem ex hac ratione, quia haec sit confirmationis (§. 981. 988.).

Errant

Errant ergo I) *Pontificii*, ex opere operato conferre gratiam, affirmantes, 1) quia vi diuinitus indita ſaluant. Sed diſt. inter vim *abſolutam* et *ordinatam*; et inter *oblationem* et *collationem*. 2) exemplo Baptismi infantium. Sed fide, quam accipiunt infantes (§. 982.), ſibi adplicant. 3) quia fides, vt ipſi docemus, non ad eſſentiam pertineat. Verum diſt. inter *vſum* Sacramentorum *formalem*, et *finalem* ſeu *ſalutarem*: duplici, enim fides in ſacramentis relatione, conſideratur (per antec.). 4) Sacramenta ſic non eſſe media *immediata*. Reſp. diſt. inter *media offerentia* et recipientia. Medicamentum enim e. g. eſt medium, non tamen os aegroti excluditur. Errant etiam II) qui ad *integritatem conſtituendam*, fidem requirunt, quia alias vſus abeſt. Verum diſting. inter vſum *externum*, et *ſalutarem*. Ita nec 1 Cor. X. 21. eorum probat ſententiam; ſiquidem ibi non de fide; ſed de falſa doctrina, ſermo. Errant ergo III) et *Sociniani*, *Arminiani*, *Anabaptiſtæ*, *Schwenckfeldiani* et *Weigeliani*, et ex parte, *Pontificii*, qui fines primarios reiiciunt, ſupra a nobis refutati (§. 993.).

§. 996. Quodſi itaque neceſſaria ſacramenta ſunt (§. pr.); negligere ea non licet. Ergo per illa, a) coetus fidelium, diſtingui poteſt ab aliorum Societate; b) monumen-

taque sunt beneficiorum Christi (§. pr.) Ergo ob fines primarios (§. pr.), c) motiua etiam praebent ad B. O. Deut. X. 16. Ex. XII. 26. Rom. VI. 4. 1 Cor. XI. 26. et d) vnionem Christianorum promouent (§. 988.). Quum vero hoc modo vsum habent, qui fines DEI sunt (§. 37. Th. N.); inter fines Sacramentorum, et haec recte referuntur, et quidem *secundarios*. Ergo et *omnibus*, quia non sunt negligenda (per antec.), ob gratiam DEI vniuersalem (§. 457.), sunt dispensanda, modo ea sint conditione, vt *finibus* et primariis et secundariis *vti fruique possint*, qui adeo recte *finis cui*, vocantur. Ergo finium qui participes fieri possunt, sunt admittendi; qui non; arcendi; ex quo principio facile hinc concludi, qui finis cui, possunt, quod etiam in singulis iam demonstrauimus. Quodsi vero dispensanda (per antec.); ad sacramenta, quae *formale*, pertinet 1) Δοσις; quae 2) sine ληψει esse non potest. Sed elementum *solum* non constituit sacramentum; *accedat* ergo 3) *verbum* (vt recte *Augustinus*) s. recitatio verborum institutionis, *ad elementum, vt fiat sacramentum* (§. 993.); id quod ex inductione sacramentorum etiam probari potest (§. cit.). Cui vero *dispensationem* DEVS concredidit? ex finibus iam secundariis, eruere facile responsionem possumus. Sunt enim coetus fidelium s. ecclesiae

notae

notae (per antec.). DEVS itaque cum ordinem amet 1 Cor. XIV. vlt. ordo vero, quem constituit, vt ministri ecclesiae rite vocati et ordinati, mysteriorum (quae et sacramenta continent §. 993.) sint Oeconomi, postulat 1 Cor. IV. 1. Ebr. V. 4. et Christus ipse Apostolis hoc demandauit Matth. XXVIII. 19. Luc. XXII. 19; *ordinarie* ministris competit ecclesiae. Sed quoniam varii, in quibus ordo hic obseruari nequit, oriri casus possunt; *extraordinarie*, et quia sine summa et extrema necessitate, ordinem non seponit sapiens, in casu necessitatis memorato, ob spirituale sacerdotium, administrare etiam Laicus potest. Vide tamen, quae (§. 991.) adnotauimus. Quibus obseruatis, *Fanaticorum*, nos non defendere, ambitionem, se non minus aut rectius administrare posse, existimantium, quam Clericorum vllus, facile videbis. Denique quia vnionem Christianorum promouent, et notae sunt ecclesiae (per antec.); *publice* in ecclesia, nisi necessitas vrgeat et circumstantiae *permittant*, sunt celebranda; quod *preces* ecclesiae etiam suadent. Ceterum sollicite *actus* distinguas *antecedentes* s. praeparatorios, paedagogicos e. g. exhortationes, fidei confessionem etc. ab *essentialibus* s. formalibus, constituentibus et *consequentibus* s. finalibus et effectibus, vt Logomachias euitare discas.

§. 997. Diuiduntur alias Sacramenta, a Theologis, in V. et N. T. Hinc, vt intelligere ea queamus, prius, quid V. quid N. T. sit, dicendum. Est vero *Testamentum*: dispositio, qua post mortem, bona, quibusdam promittuntur. Et hoc quidem vel *sine* conditione indicatur; vel cum conditione, quam obseruare debent, qui haeredes scribuntur. Quum itaque in Sc. S. bona nobis promittuntur, quod ex Cap. X. - XVI. et infra elucet; quarum vero aliter, quam morte Christi, participes fieri non possumus (§. 816.), itemque fide (§. 816.); dispositionem seu ordinationem aliquam circa haec bona deprehendimus, adeoque Testamentum, et quidem *conditionatum* Ebr. IX. 15. 16. Sed ante Christi in orbem terrae aduentum, typi erant, qui mortem eius praefigurabant, *hominesque* certiores de obtinendis bonis faciebant (DEI enim respectu, qui in foedere gratiae cum filio, eius mortem, tanquam *typice et moraliter* praesentem, iam ratam habuit, non fuit opus §. 436.); Apoc. XIII. 18. hinc hoc respectu, duplicem statuere dispositionem s. Testamentum possumus; V. sc. quod illa DEI de nostra salute dispositio est, quae typis inuoluta, ante Christi aduentum obtinuit, Ebr. XI. 39. 40. itemque N. seu Dei de nostra salute dispositionem, quae per ipsum filium DEI *ενσαρ-*

κον

κον, eiusque mortem obtinuit Ebr. IX. 15. 16. Ier. XXXI. 31. Gal. IV. 21 - 26. Facile hinc quid *testamentum diuinum in genere* sit, perspicimus; dispositio sc. DEI de salute hominibus danda, Testatoris morte confirmata. Hac itaque relatione, ad *mortem* si respicimus Christi; *testamentum*: si vero ad *promissionem* et DEI (qui ob foedus cum filio (§. 433.), et nobiscum foedus pangit) et *hominum*, qui sine fide in Christum, bonis promissis (salute) frui non possunt (§. 816.), animum intendimus, *foedus*, haec DEI dicit *voluntas* potest; quam, si duas has, quod tamen (definitiones si *confers*) *necesse non* est, ideas coniungunt, deinceps *Testamento-foedus*, *Testamentum foederale*, *foedus testamentarium* (Testamentlichen Bund) nominare Theologi solent. Qua ex ratione videre est, cur vocabulum ברית, quo Sp. S. vtitur, ab *Aquila* et *Symmacho*, συνθηκη (pactum), a *septuagint.* vero διαθηκη (dispositio siue *foederalis* sit, siue *testamentaria*) vocetur? Quoniam vero haec testamenta, et ratione temporis, et speciei mortis differunt (per def.); ideo nec cultus diuinus, nec ecclesiastici forma regiminis, nec media salutis, in vniuersum *eadem*, in vtroque esse possunt. Verum, quia pactum euangelicum, et Testamentum, hominum respectu, pepigit Christus, morteque sua confirmauit (§. 437.); nullusque sine fide,

salutem consequi aeternum potest (§. 816.); in vtroque, peculiari ratione, *auctor* est Filius DEI; Pf. II. 7. et (quia est opus ad extra, §. 140.) tota etiam SS. Trinitas; conditio porro (*fides*), et *bona*, ex fide quae proueniunt, Capp. X. - XVI. explicata, *eadem*: Gen. XVIII. 18. Iesa. XLIII. 25. Rom. IX. 4. Act. IV. 12. X. 43. XV. 11. Ebr. IX. 15. XI. 10. adeoque eadem haereditas Act. XV. 11. Ergo quia fides et quae ex ea sequuntur bona, in vtroque locum habuit Testamento Gen. III. 15. eademque haereditas (per antec.), errant I) qui *spem* tantum, non vero *fidem*, ad V. T. itemque II) παρεσιν, non αφεσιν Rom. IV. 3. Act. X. 43. XV. 11. adeoque III) haereditatem solum terrae *Canaan*, pertinere, putant. Male ergo et, qui IV) a legislatione Sinaitica V. T. suum principium habuisse, docent. Quod ad duas attinet *Coccejanorum* sententias priores; ex locis, quae excitauimus, satis elucet veritas, ita, vt de dubiis dicere non habeamus opus; conf. etiam Eph. II. 21. Ioh. V. 46. Luc. XXIV. 27. Ebr. XI. 21. Tertiam vero eorundem, quae et *Anabaptistarum* et *Socinianorum* est, supra (§. 297.) confutauimus. Probant quidem 1) Ebr. VIII. 6. Resp. praestantius est *ratione conditionis*, quae fides, non vt in V. perfecta legis impletio; itemque ratione *claritatis*, et *efficaciae*, ita vt etiam N. T.

T. vires, id quod de V. dici non potest, suppeditet. 2) Ebr. VII. 19. Resp. non *promissionem* respicit, sed *rationes* ad promissionem perueniendi. 3) 2 Tim. I. 10. Dist. inter vitae aeternae *promissionem*, et vlteriorem manifestationem. Quartam vero non ex Gal. III. 15. 16. 17. Ebr. IX. 15. sed et inde probamus, quia omne, ad V. T. quod antiquandum et abolendum, quorsum et *Mosis*, et *Abeli*, *Noachi*, *Abrahami*, nec non ipsa circumcisio, quae iam *ante* Mosem erat, pertinet (§. 970.), (duratio ergo tantum temporaria) est referendum. Accedit quod, quia Noah, Abraham, omnesque ante Mosem fideles, neque in V. sic, nec N. T. scripti, sic non fuissent coelestis hæreditatis haeredes. Sed falsum est posterius Ebr. XI. 10. Ergo et prius. Probant quidem 1) Gal. IV. 24. Resp. Gr. Διαθηκαι, duo *foedera*: non ergo statim *testamenta* (per antec.); vt ita Agar, repræsentet tanquam *mater*, *iustitiam* propriam, ex operibus *legis*; *Sara*, *iustitiam*, quæ est ex fide. 2) Ier. XXXI. 22. Resp. locus non de Testamento, *formaliter* loquendo, sed de foedere gratiae, sed sub Oeconomia legali spectato, et de lege Sinai, (quae in se non est Test.) sermo. 3) V. T. generare in seruitutem, qui tempore Mosis initium sumsit. Sed dist. inter T. quod non seruitutem generat (per def.), et adiunctum eius accidentale.

dentale. Et sic 4) Agarem V. T. *typum*, Saram N. fuisse, negamus; vid. ad n. 1. 5) O. quae ad V. T. requiruntur, e. g. hæreditatem terrae Canaan (quae potius *pignus* est et *signum* melioris haereditatis Ebr. XI. 26.) et mortem typicam Testatoris, post Mosen reperiri. Neg. per antec.

§. 998. Quodsi vero V. T. ab Adami iam temporibus originem trahit (§. pr.); omnes eius posteri, *subiectum quod*, dici possunt; id quod ex gratia etiam in Foed. gratiae vniversali (§. 457.), ita vt Testamenta, illius foederis obiectum sint (per def. Testam. et §. 25. Ont.), patet. Ergo et *Israelitae* et *Gentiles*; qui adeo sepimento Mosis non excluduntur. Ex. XIX. 5. Deut. VII. 6. Rom. IX. 4. Noui vero, O. homines et *Iudaei*, qui ob societatem ecclesiasticam, propius Ius habebant (§. 277. I. N.) Rom. XV. 8. Act. III. 25. et *Gentiles* Eph. II. 14. 19. Gal. III. 28. Dicis: sed ita statim a Christi *Natiuitate*, aut minimum ab eius *ministerio*, initium habuit N. T. quod contra definitionem, vbi a *morte* Saluatoris, initium faciendum. Verum Logomachia est, totumque dubium concedendum, modo inter *vim* N. T. distinguas, et eius *promulgationem*. Quodsi ergo haec, et §. pr. dicta obserues; facile et *conuenientiam* intelliges V. et N. T. et *differentiam*. *Conueniunt* ergo

1) ratio-

1) ratione 1) *Auctoris* (§. pr.), 2) *bonorum* temporalium et aeternorum (quae alii *promissionem* seu *haereditatem* adpellant) (§. pr.), 3) *conditionis*, fidei. Hos. II. 20. 4) *generis*, quod est dispositio DEI (§. pr.), 5) *confirmationis*, vtrumque, *morte* est confirmatum atque *sanguine* Ebr. IX. 18. 6) *Legis* in vtroque *moralis*, dum nullibi iustificare hominem potest Gal. III. 10. 7) minarum ex negligentia conditionis, quia tantum sunt conditionata (§. pr.). *Differunt* vero 1) ratione *temporis* 2) *ecclesiasticae formae regiminis*, 3) *quorundam mediorum salutis*; in V. circumcisio et agnus Pasch. in N. Baptismus et Coena Domini, 4) *testatoris*, in V. *incarnandi*, in N. *incarnati* Luc. X. 13. 5) *luminis* in V. minoris, in N. maioris 2 Cor. III. 18. 7. Ebr. X. 1. 6) *cultus*, in V. difficilior, in N. facilior Ioh. IV. 21. seqq. Act. XV. 10. 7) *durationis*, V. senium habet, N. minime (§. pr.), Col. II. 16. 17. Ebr. IX. 10. Ier. XXXI. 31. Ebr. VII. 16. 8) *mediatoris*, in V. Moses, in N. Christus Num. XII. 7. Ebr. III. 4. Ioh. I. 17. 9) *confirmationis substantiae*, in V. sanguis typicus, in N. Christi. Ex. XXIV. 8. Ebr. IX. 20. 10) *Ceremoniarum*, in V. plurimarum, in N. pauciſſimarum, 11) *dignitatis* et *praestantiae*, in V. vmbra, in N. Corpus. Ebr. X. 1. 12) *latitudinis*, in V. intra pomoeria ob Oeconomiam DEI, beneficia concluſi erant, *Israelitica*; Eph. II. 12. in N.

vnio

vnio facta est vers. 14. 13) *spiritus,* in V. Seruitutis et Metus Rom. VIII. 15. in N. libertatis 2 Cor. III. 17. Ioh. VIII. 36. Col. II. 20. 21. 22. Gal. V. 1. 14) *effectus,* in V. minae, paedagogia, coactio, anathema (quae Apostoli Luc. IX. 54. 55. in mente habebant) sine concessione virium; in N. sine illis, fiducia et παῤῥησια donatio virium (vid. Cap. XVII.), Gal. IV. 12. 15) *donorum spiritus,* in V. paucitas, in N. copia et vbertas. 16) *legis ceremonialis,* in V. valor, in N. abrogatio. 17) *solutionis,* in V. typicae, in N. realis, per obedientiam Testatoris actiuam et passiuam. Quodsi ad has V. et N. differentias attendimus, maioribus, fideles N. T. splendere bonis, prae fidelibus V. T. claret. Quum vero haec, eorum dicantur *prærogatiuae;* prærogatiuas, illos habere constat. Hinc, quia ex comparatione, iam a nobis instituta, clarent; non opus est, vt speciatim omnes, breuitatis studiosi, recenseamus. Denique ex dictis intelligere etiam poteris, nos ob definitionem nostram (§. 997.), V. T. 1) non pro *statu ecclesiae* ab O. C. vsque ad adventum Christi; neque 2) pro *pacto legali* in monte Sinai, inter DEVM et populum; multo minus 3) pro *scriptis diuinis,* historiam ecclesiae ante Christi aduentum, delineantibus; neque etiam 4) pro *foedere gratiae,* cum patribus iam post lapsum, inito, sumamus.

Testa-

Teſtamentum enim, potius, noſtro concipiendi modo, *obiectum* eſt et *conſequens* foederis gratiae, quod ſine foedere antecedente, nunquam eſſet productum, Gen. III. 15. vbi a) ſemen promittitur, (ecce foedus!) deinde b) conteres calcem (habes teſtamentum!) Minime omnium vero, 5) pro *lege;* quamvis ſit *legale* vid. Cap. XVII. aut 6) pro *foedere Operum.* (Cap. V.). Sic ex N. T. definitione (§. 997.) nos illud non 1) pro ſtatu eccleſiae, poſt N. C. 2) neque pro *Scriptis* Euangeliſtarum et Apoſtolorum; neque 3) pro *Euangelio,* quamuis ſit *euangelicum;* neque 4) pro *foedere gratiae.* Ex variis autem, quas hic adduximus, notionibus, enodari facile controuerſia poteſt: an V. et N. T. differant quoad *ſubſtantiam,* an tantum quoad *accidentia?* In *noſtro* enim, non *eſſentialiter* aut quoad *ſubſtantiam* differre, ex definitione, et differentiae, ab *accidentibus,* vt videre eſt, deſumtae conſideratione, patet. Quodſi vero in *alio* ſignificatu ſumis; etiam, quoad ſubſtantiam differre dicas, per me licet, cum res ſit *Logomachia.* Et ſic Theologos noſtros conciliamus; itemque *Calouio, vnicum* tantum Teſt. ſtatuenti ſubſcribere poſſumus, et *aliis,* qui N. et V. *ſpecie* inter ſe differre, docent. O. enim res ad hactenus dicta, atque ad definitionem ideae ſeu notionis *eſſentialis* et *accidentalis,* itemque principa-

cipalis et acceſſoriae (§. 14. 40. Log.), redit.

§. 999. Quodſi igitur Sacramentorum, cum Teſtamentorum definitionibus comparemus (§. 993. 997.), itemque cum actionibus, ibi praeceptis; nullas, ad quas *notae* Sacramentorum adplicari poſſunt, inueniemus, quam in V. *Circumciſionem* (§. 970.) et *Agnum Paſchalem* (§. 973.); in N. *Baptismum* et *S. Coenam* (§. 984. 992.); probandum enim! Nam quae actiones, notas (§. 993.) habent, ſunt *vera* ſacramenta; in caſu oppoſito, minime. I) *Pontificiorum* ergo *Confirmatio, poenitentia, extrema vnctio, ordo* et *matrimonium*, quae etiam II) *eccleſia graeca* defendit, non ſunt Sacramenta. Nam *Auguſtini*, quam ſine probatione adſumunt, definitio, falſa eſt (§. 993.); et ex Graecorum harmonica hac, ratione numeri, doctrina, nil ad probandam ſententiam aſſumere, quod tamen faciunt, Pontificii poſſunt; ſiquidem *Metrophanes* Cap. V. *Confeſſ.* praeter Poenit. Bapt. et S. Coen. quatuor reliquos ritus, ὁμωνύμως ſacramenta nominat; et *Ieremias*, Patriarcha, poſteriora *quinque*, in *Act. Wirtenb.* f. 240. ex *eccleſiae conſtitutione* (non ergo ex Verbo DEI) deducit; nec omnes, eadem admittunt; dum pro poenitentia, ſtatum monaſticum etiam ſubſtituunt. Multo minus nobis diſſonantiam in doctrina hac, obiicere Pontificii, quam valde

valde vrgent, possunt. Nam, quam vt Sacramentum, in *Apolog. art. VII. ad art. XIII. Aug. Confess.* adducere videntur, *conditionate*, posita sc. definitione, et non *absolute*, sacramentum, dicitur *poenitentia*; eamque instantiis a) *verbi diuini* et b) *orationis* (quibus adde et V. T. *sacrificia, lustrationes, absolutionem, ministerium verbi* etc.), quae sic etiam sacramenta essent, destruere adlaborant. Probant quidem 1) Ies. XI. Sed quae consequentia? nonne etiam effectus, dona potius illa sunt, quam sacramenta et *organa*? 2) ex comparatione cum natiuitate, et adminiculis vitæ spiritualis. Resp. Insulsa haec comparatio, et sic plura, quam septem, numerantur. *Confirmationis vnguentum*, (quod vna cum impositione manuum *elementum* dicunt), probant 1) Act. VIII. 17. 2 Cor. I. 21. Verum de oleo (quod apud *Graecos, sacerdos* quiuis, apud *Pontificios, Episcopus* necessario, adplicat, et ibi cum formula: Sigillum doni Sp. S. Amen!) *spirituali*, s. Sp. S. sermo; qui propter *vim*, ita nominatur. In S. Sc. autem de vnguento *materiali*, post baptismum adplicando, nil reperitur. 2) Sp. S. Christo baptizato superuenisse. Sed *extraordinarium* hoc; vbi vero vnguentum materiale? 3) thesaurus obsignetur; ergo et baptizatus. Resp. Simile non est ex Sc. S. *Poenitentiam* vt Sacr. probant 1) Ioh. XX. 23. Sed, si omnia conceda-

cedamus; deest visibile elementum. χειροθεσια enim non est necessario ibi definita; adeoque nota deest (§. 993.). 2) Act. XIX. 18. Resp. sc. vt *signum* poenitentiae, *libere*, non vt necessarium. Nam de enumeratione *singulorum* peccatorum, neque h. l. neque Iac. V. 16. Marc. l. 5. vestigium reperitur vid. Cap. XXIII. Et si omnia recte; nondum tamen probatum Sacramentum. 3) *Tympaniticorum* s. mortuorum excommunicatorum *statu* miserrimo. Resp. Fortasse hi effectus, e. g. *intumescentia corporis* etc. vel per accidens existunt; vel falsi; vel vindicta diuina; nondum vero inde Sacramentum esse, sequitur. Poenitentia etiam in V. T. locum habuit; ergo non est Sacramentum N. T. De *extrema vnctione* egimus (§. 978.). De *Sacerdotio, ipsaque ordinatione Sacerdotum,* omnia fere concedere possumus; hoc tantum, propter falsum Missae Sacrificium (§. 992.), illos, thesin hanc docere, adnotamus; vid. interim Cap. XXIII. *Sacramentum* vero esse, nondum probarunt; vbi enim bona foederis gratiae? nonne saepissime irregenitus est? Denique *Coniugium,* Sacramentum probant 1 Tim. IV. 15. Sed fons, μυστηριον legit, quod non *Sacramentum.* Ceterum quia Sacramenta V. et N. T. gratiam conferunt, atque obsignant (§. 993.); 1) *Pontificios,* qui V. T. gratiam euangelicam tantum significasse, aiunt;

aiunt; et II) alios: qui inter sacramenta *ordinaria* distinguunt et *extraordinaria* et e. g. diluuium, iridem, nutritionem per Mannam, abluitiones leuiticas, etc. sacramenta dicunt, errare patet. Ad haec enim notae (§. 993.), adplicari non possunt; nisi in sensu latiori, aut latissimo sumas; quod etiam caussa, cur et nostri *forte*, in Apologia, poenitentiam, Sacramentum affirment, esse videtur.

CAP. XXII.

DE ECCLESIA.

§. 1000.

Verbi diuini praedicatio, itemque Sacramentorum adplicatio, quibus ad salutem homines perducantur (§. 989.), ecclesiae competit ministris (§. 996.). Verum fines hos consequi, ob varia impedimenta non possunt, nisi cum auditoribus in societate viuant. Hinc societas inter auditores et verbi diuini ministros, salutis caussa instituta, est necessaria; quae vocatur *ecclesia* (a collectione omnium membrorum) *synthetica*. Non ergo pro *loco conuentuum sacrorum*, seu *templo*, *ecclesiam* sumimus; neque in sensu *generali*, seu quouis conuocato coetu Act. XIX. 32. 39. 40. etsi,

vocabuli si deriuationem spectes (siquidem ab εκκαλειν. *ab euocando, coetum ciuium,* ad percipiendam Senatus sententiam, euocatum, *ecclesiam* dixere *Athenienses*) ita sumenda videatur. Ex nostro autem significatu videre est, cur in Sc. S. *Regnum coelorum* Matth. XIII. XX. 1. *Domus* DEI 1 Tim. III. 15. *Coelum* Ebr. XII. 22. 23. *Sponsa Christi* Ies. LIV. 5. Hos. II. 19. *Ædificium spirituale* 1 Petr. II. 2. 5. *Ouile Christi* Ioh. X. 16. 28. 29. *Hortus* Cantic. IV. 12. *Vinea* Ps. LXXX. 9. Ies. V. 1. *Domus* 1 Petr. II. *Ciuitas* Ies. II. 1. Ps. LXXX. VII. 3. *Corpus Christi* Col. I. 24. *Populus* Tit. II. *Templum* Eph. II. *Olea* Rom. XI. *Ager* DEI 1 Cor. III. *Grex* Luc. XII. et apud Prophetas etiam *Zion, Ierusalem, Israel, Iacob* etc. *Ebr.* קהל, עדה. *Gr.* συναγωγη. εκκλησια etc. vocetur. Ex his itaque facile de *caussis,* quae in Scholasticorum Theologia traduntur, ferre iudicium possumus. Nam si Societas ecclesia est ad salutem; eaedem et hic, quas supra in salutis ordine demonstrauimus, caussae sunt ecclesiae. Scil. *efficiens principalis,* DEVS Trinunus (§. 140.), 2 Petr. I. 9. 10. Matth. XXII. 2. 2 Cor. XI. 2. Eph. V. 27. et Christus θεανθρωπος Act. XX. 28. *Impulsiua* vero et *interna* quidem, fauor gratuitus 2 Tim. I. 9. *externa, meritum Christi* Eph. I. 3. *ansaque,* hominum miseria. Iisdem ergo et *mediis* ecclesiam suam colligit DEVS; evangelii verbo

verbo scil. et sacramentis, nec exclusa hic, quia excitationis etiam est (§. 989.), sacra coena; 1 Pet. I. 25. Ioh. III. 5. iisdemque hodie verbi diuini ministris, rite vocatis et ordinatis, *caussis ministerialibus*, in V. T. Patriarchis et Prophetis Ebr. I. 1. in N. olim Apostolis. Eph. IV. 2. Et quia 1) finis DEI eiusque intentio, ecclesiae respectu, est salus hominum (per def.), quam sine fide adipisci non possumus (§. 816.); ex intentione DEI, *ecclesia*, ex solis credentibus, atque sanctis (quae ergo recte *partes* et *membra* adpellentur) *proprie* constare debet; quod etiam ex mediis, quibus ad *collectionem* (nondum ergo his mediis collecti, esse in ecclesia possunt) vtitur, perspicere datur; itemque 3) ex efficiente caussa, quia cum malis sese non coniungit DEVS (§. 61.), 1 Cor. XIV. 33. 1 Pet. II. 4. 9. 2 Cor. XI. 2. Hos. II. 20. Eph. IV. 16. Luc. XVII. 21. Ioh. XVIII. 39. Hinc definiri *ecclesia stricte, sanctorum, et proprie* sic dicta, societas vere credentium, quos DEVS triunus, mediis gratiae, ad mutuam aedificationem (quae ergo *finis intermedius*, noua hinc 4) nostrae ideae probatio), et salutem (*finem vltimum*) evocauit.

§. 1001. Quodsi vero hodie homines attendimus; peruerse agunt plurimi, qui conuerti tamen possunt, si modo verbo vtuntur atque sacramentis (§. pr.), h. e. si in

ſocietatem ad ſalutem inſtitutam, ſeu ecclesiam (§. pr.), coaleſcant. Quum vero 1) omnis vſus ſit finis DEI (§. 37. Theol. N.); ipſeque 2) ob gratiam vniuerſalem (§. 457.), omnes vt conuertantur, ſerio velit; vult etiam, vt nondum conuerſi, ad hanc ſocietatem accedant, neque vocationi diuinae reſiſtant; qua ex ratione, *eccleſia vocatorum*, aut ſi mauis, *ſynecdochice ſic dicta*, adpellari poteſt. Etſi enim abſtractione, vocatorum eccleſiam ſepares; eccleſiae tamen nomeu ipſi ob definitionem competeret (§. pr.). Immo hominum ſi 1) peruerſitatem hodie, cogitamus; 2) foedusque baptismale rumpentium, vbi tamen non ſtatim excludi ab eccleſia poſſunt; ipſasque 3) eccleſias primitiuas, notionesque 4) a Chriſto ſuppeditatas Matth. XIII. XXII. 10. Luc. XIV. 21. non eſt, cur a) vocatorum eccleſia diſcedant, eamque b) reiiciant ſancti; praecipue ſi 5) cogitent, conuertendi ſic media aliis fere praeſcindi: iniuriosque 6) eſſe in proximum, cuius ſalutem promouere, coniunctis viribus facilius potuiſſent; finemque DEI 7) ſic corruere (per antec.), 2 Tim. II. 20. 24. ſeqq. Hinc vnicum quia principium Salutis eſt Sc. S. (§. 46. Prol.); et vocatorum et ſanctorum eccleſiam, ſecundum *hanc*: ſua dirigere debere, ſatis liquet; quae ergo vocari *norma generalis* poteſt. Ergo ſymbo-

symbola, seu confessiones, sibi specialiores si conficiant ecclesiae; consentire cum Sc. S. debent (§. 90. Prol.). Si hoc; ecclesia in haec symbola consentiens, vocatur *vere orthodoxa*; si non *heterodoxa*, 1 Tim. V. 8. 2 Tim. II. 18. Tit. I. 13. III. 8. 10. etsi, falsa quia ex Sc. S. formare sibi principia possunt (per exp.); omnes, vnius in ecclesiae symbola consentientes, orthodoxi; omnes reliqui, στεροδοξοι, seu κακοδοξοι adpellari possunt. Quoniam vero sine orthodoxia, ecclesia nulla est (per antec.); male per *conuitium*, *Dippelius* aliique de orthodoxia, tanquam flagitio et crimine loquuntur. Qua ex ratione, nec *Schismatici*, nec *heterodoxi*, s. *manifesti haeretici*, nec *iuste excommunicati*, nec *Angeli*, ad nostram pertinent ecclesiam. Sunt autem *Schismatici*, qui sine rat. suff. se ab ecclesia diuellunt; quorum rationes variae esse possunt. *Occultos* vero *haereticos* 1 Cor. XI. 19. Act. XX. 30. (qui licet *in* ecclesia, non tamen *de* ecclesia) *iniuste excommunicatos*, de quibus infra pluribus, Ioh. XVI. 21. Luc. VI. 22. *irregenitos*, et *peccatores*, *Catechumenos*, Christiana religione imbutos, sed nondum baptizatos, quia nostris cum symbolis consentire possunt, aut etiam videntur, in ecclesia tolerare debemus. Errant ergo *Sociniani*, qui, non obstante sententiarum dissensione, ex illis nobisque, vnam conflare

posse et debere ecclesiam, docent. Probant 1) Socinianos symbolum adprobare Apostolicum. Resp. a) non omnia in se continet dogmata necessaria, neque b) contenta sincereet recte credunt, e. g. resurrectionem carnis, aliaque, quae ex controuersiis elucent. 2)notam,ex qua spiritus probandi sunt, esse 1 Ioh. V. 1. IV. 2. 1 Cor. XII. 3. Resp. a) Nota haec non est absolute vniuersalis; sed tantum ad illa, quibus scriptum hoc est, tempora, respicit; b) nec talem Iesum assumunt Sociniani, qualem Sc. S. depingit, adeoque manifeste sunt haeretici; eaque propter minime nostrae ecclesiae membra. Quoniam itaque ecclesia et sanctorum, et vocatorum, media salutis eadem adhibet, normamque eandem, Sc. scil. S. (per antec.); vtraque *vera* esse potest (§. 34. Ont.); id quod ex definitione etiam (§. pr.) patet. Nam si societas est ad salutem; media etiam, sine admixtis erroribus, quibus finis hic obtinetur, adplicare debet; ita vt *vera* ecclesia illa demum sit, quae secundum verbum DEI, societatem suam componit; quae non; *falsa*. Matth. III. XIII. XX. XXII. 2 Tim. II. 19. 20. Errant ergo *Nouatiani, Donatistae,* et *Anabaptistae,* qui ecclesiam vocatorum, veram esse negant, 1) quia ecclesia, *sanctorum* sit societas. Resp. vnum non tollit alterum (per antec.). 2) quia se ad regulam Christi

Christi non conformant. Resp. etsi non omnes, aliqui tamen; immo *prorsus* remota vocatorum ecclesia, bona per Christum parta, hominibus non tam clare innotescerent; neque sanctorum, existere posset. 3) Christus mundat ecclesiam. Resp. hac in vita *inchoatiue*, in altera, *consummatiue*. 4) Cantic. IV. 7. Dist. inter ecclesiam sanctorum et vocatorum; quae diuisio omnia eorum dubia tollit. scil. 5) 1 Cor. X. 17. 6) 2 Cor. VI. 18. Dist. inter separationem internam et externam, mentalem et localem.

§. 1002. Quodsi vero, secundum verbum DEI, suam componit societatem, ecclesia vera (§. pr.); mediis ad salutem iisdem, quae in Sc. proponuntur, vtitur; quae *primario*, verbum DEI *purum*, sine admixtis in damnum ecclesiae erroribus *fundamentalibus* (§. 133. Prol.), et Sacramenta, *secundario* (§. 994.). Notanter *distinctionem* adiicimus. Nam, quia non semper, et a mundi principio, sacramenta erant instituta, neque etiam semper vbique locorum haberi possunt (per exper.); ideo *primario* inter et *secundario* distinguimus. Ergo per haec distingui potest, ecclesia vera, quae et *pura* vocatur, a falsa aut *impura*. Quum itaque haec verae ecclesiae competunt, ad eiusque *interna* pertinent (§. pr.); interna vero,

quibus ab omnibus aliis distingui res possunt, earum dicuntur *notae* s. *characteres*; purum verbum DEI, h. e. publica fidei dogmata, in S. Sc. reuelata, quae alii, *verbi diuini praedicationem* adpellant Act. XV. 21. (quae vero nostra expressione, non semper *actu* necessaria est); itemque legitimam Sacramentorum administrationem, ad ecclesiae verae characteres et notas pertinere, palam est; quas iam primitiua etiam Apostolorum ecclesia constituit Act. II. 40. 41. 42. Quo magis vero hae notae, cum Verbo diuino conueniunt, (quia veritas eo melior, quo *distinctior*, adeoque in veritate, gradus deprehenduntur (§. 20. Log.); eo purior est ecclesia. Hinc *gradus* intelligi puritatis possunt, qui maiores omnino euadunt, quo maiori modo, disciplina moresque cum prioribus conspirent. Deduximus autem notas ex ipsa re, adeoque sunt essentiales (§. 14. Log.). Verum *externa*, seu *accidentalia*, quia abesse et adesse possunt salua re, *infallibiles* constituere notas non possunt, siquidem aliis *etiam*, maximopere diuersis e. g. Paganismo &c. tribui queunt. Errant ergo *Pontificii*, ab *externis* tantum, verae ecclesiae notas deducentes. Extollunt enim 1) Nomen catholicum 2) Antiquitatem 3) durationem diuturnam 4) amplitudinem s. multitudinem credentium 5) successionem Episcopo-

ſcoporum ab Apoſtolorum temporibus 6) conſpirationem in doctrina cum eccleſia antiqua 7) vnionem membrorum inter ſe et cum capite, Rom. Pont. 8) ſanctitatem doctrinae, eiusque 9) efficaciam 10) ſanctitatem vitae primorum Patrum 11) miracula 12) lumen propheticum 13) Aduerſariorum confeſſionem 14) infelicem hoſtium exitum 15) felicitatem externam defenſorum. Verum *nomen catholicum* non ſemper in vſu fuit, vt potius et haeretici ſibi tribuerent; *antiquitas* vero (Diabolus etiam antiquus) et *duratio*, quae nil eſt niſi antiquitas, nullam efficit notam, ſiquidem et Mahomedani, eodem modo argumentari poſſent, id quod etiam de *amplitudine* valet; ne dicam, *Adami Noachique* temporibus, amplitudinem fuiſſe nullam. Vnio vero, quam praedicant, etiam in falſa, e. g. *Ariana, Münſteriana* etc. locum habuit. Immo et falſam fictamque hanc vnionem eſſe, optime probant *Leibnitius* atque Cel. *Canzius*. Ille ita: Q. non credit aliquid verum, quia Papa definiuit, is ſecundum Romanam eccleſiam, non eſt vere catholicus. Sed magna pars Romanenſium, non credit Articulos fidei in Rom. eccl. definitos, quia Papa definiuit, ſed quia in antiquitate eccleſiaſtica ſe reperire putat; id quod ex analyſi Wallemburgii, Veronii, Arnaldi et Gallorum contro-

versias scribentium pene omnium, patet; ergo magna pars Rom. eccles. non est vere catholica. Nec est, cur ad singulas horum respondeamus notas, quippe quae vel apertae falsae e. g. felicitas temporalis 2 Tim. II. 12. vel instantiis facile refutari possunt. Quoniam vero in impura etiam verbum DEI et sacramenta adhibentur, quae semper efficaciam coniunctam habent (§. 53. Prol. et §. 995.); etiam in impura et falsa, non autem *quatenus falsa*, DEO, filii spirituales gigni possunt Es. LV. 16. Tit. III. 5. 1 Petr. III. 21. Eph. V. 26. Multo ergo certius vocatorum ecclesia, DEO, spirituales filios gignit, vtpote quae, quia notae etiam in ea conspiciuntur, vera (§. pr.). Quoniam itaque et liberos, vocatorum ecclesia DEO gignit (per antec.); ad hunc vsum ab aliis, a DEO est separata, quae relatio cum sanctitas dicatur (§. 60.); vocatorum etiam ecclesiam, *sanctam* esse dicendam, non negamus. Quodsi vero sanctitatem ad mores tibi referre placeat; per *synecdochen partis pro toto* (pars enim potior sancta), nomen hoc etiam meretur; quod ipsi quoque Sc. imponit 1 Cor. I. 2. addito tamen *vocatorum*: cum alias sanctorum ecclesiam, quae etiam *electorum* dicitur, *absolute* nominet *sanctam* Eph. I. 1. Phil. I. 1. Col. I. 1. Ex hac autem sanctitatis notione, DEO etiam qui, vt causa effici-

efficiens ipse sanctam fecit (§. 1000.), *placere* recte concludere possumus. Quo magis ergo finem suum consequitur DEVS, eo melior sanctiorque ecclesia est habenda; si vero salutem hominum parum promouere laborat, *corrupta* dicitur. Non ergo vocatorum semper etiam esse debet corrupta. Dubium autem, quia DEVS peccata odio prosequitur (§. 72.), adeoque vocatorum ipsi non gratam ecclesiam esse, facile corruit, si modo inter ecclesiam, *materialiter* et *formaliter* talem, distinguas. *Materia* enim, homines sunt, qui in societate ecclesiastica viuunt; et hoc modo, quia et irregeniti, in vocatorum ecclesia sunt (§. 1001.), DEO ex omni parte, grata acceptaque esse non potest. Quoniam vero homines, *quatenus* ad salutem *vniuntur*, consensumque doctrinae, et de Sacramentis participationem amant, quae *forma vocatorum externa* (secundum quosdam), gloriam DEI promouere student; DEO placere possunt. Matth. XXII. 9. 10. 14. Marc. XVI. 15. Rom. X. 14. 15. 16. In forma ergo hac consentire debent. 2 Ioh. 10.

§. 1003. Diuidunt ecclesiam *proprie* sic dictam (§. 1001.), in *militantem*, in qua contra hostes spirituales (§. 426.), hac in vita pugnare, tenentur membra, Eph. VI. 10. 1 Ioh. V. 4. Rom. VII. 14. et *triumphantem*, in

in qua beati cum Christo, salute iam obtenta, reuera fruuntur Apoc. II. 10. IV. 4. VI. 5. De *laborante*, in purgatorio, ficta Apoc. XIV. 12. quam Pontificii statuunt, infra sumus dicturi. Vocatorum vero, in *plantandam*, quae ex hominibus, *extra* ecclesiam natis, est colligenda; et *plantatam*, *ordinariis* mediis, *regulariter* conseruandam et propagandam 1 Cor. XIV. 22. diuiditur. Homines vero extra ecclesiam nati cum infideles sint (per def.); nec verbum Dei legunt semper, nec ipsi doctores, *ordinariis* viribus, cursum verbi diuini promouere possunt. Hinc *extraordinariis* χαρισμασι locus est, *praecipue* in ecclesia, quae alias non habet similes, quales erant *iudaica* et *Christiana*. Quodsi vero similis iam ecclesia existit; existunt etiam in ea, verbum DEI, et *maximam partem*, sacramenta; quibus, vt mediis ordinariis, vti conuertentes seu plantantes possunt; adeoque quia DEVS miracula non edit, si viribus quid naturalibus efficere potest (§. 122. Theol. N.); nec hodie *facile* (§. 135. Th. N.) extraordinaria χαρισματα, aut miracula exspectare possumus. Noli autem cum *Socinianis*, veram te ecclesiam, vbi sit inquirere, eamque, certis notis a falsa distinguere, non debere, putare. Nam etsi DEVS, caussa ecclesiae efficiens (§. 1000.), omnesque varie vocat (Cap. XI.); tuam tamen libertatem, qua

acci-

accipere vocationem velis, siue minus, non tollit. Et quia ex §. 1. Prol. sine reuelatione, quae non in vnici hominis domo reperitur (§. 34. Prol.), salutem consequi te non posse perspicis; coetum, in quo haec deprehendatur, quaeras est necesse h. e. ecclesiam; id quod eo faciliori fieri modo potest, quo extantiores sint verae ecclesiae notae (§. pr.). Quodsi nos competentes non indicasse, cum *Pontificiis* negas; certe erras. Probant quidem 1) quia praedicatio verbi ab ecclesia separari possit, adeoque non sit vera nota. Sed resp. non verbum DEI, quod sub praedicatione intelligimus (§. pr.). 2) Ab ecclesia discendum, quae pura verbi diuini praedicatio, adeoque nota, quam dedimus, non notior est, re notata, quod contra rationem. Resp. Non ex *sola* ecclesiae testimonio, sed aliis etiam signis, quae vera reuelatio et verbum DEI sit, cognosci potest; (§. 34. Prol.). Distinguendumque etiam est inter hominem conuertendum et conuersum, itemque inter cognitionem probabilem et certam. Et quum forma ecclesiae non sit *veritas* doctrinae possessionisue (§. pr.); in *singulis* haec deprehenditur, qui vero non sunt ecclesia. 3) non sunt certae et distinctae 2 Tim. II. 19. Resp. Dist. inter ecclesiam sanctorum et vocatorum, de qua sermo. 4) omnes sectae pro-

vocant

vocant ad puritatem doctrinae. Resp. Ergo est vera nota. 5) forma ecclesiae non est eius nota. Resp. Prius indagemus doctrinam; deinde ecclesiam; in casu opposito praeposterum est. 6) qui veram doctrinam habet, iam est in ecclesia; ergo non necesse habet, vt inquirat. Negatur; saepe enim vera ecclesiae membra non nouimus, etsi doctrinam habeamus, 1 Reg. XVIII. 22. Ex collatione denique distinctionum h. §. patet: irregenitos contra hostes spirituales pugnare non posse (§. 427.). Hi ergo ad ecclesiam proprie sic dictam seu sanctorum non pertinent (§. 1001.). Errant ergo rursus *Pontificii*, qui externam fidei professionem, ad vera ecclesiæ membra constituenda, sufficere aiunt. Ceterum et vocatorum ecclesia, in *liberam* diuiditur et *pressam*. In hac, veritatem proponere membra impediuntur; in illa id fieri potest absque obstaculo. Quodsi in libera, praeter verbum DEI purum, et Sacramenta legitima, sancta deprehenditur vita: ecclesiae status dicitur *florens*; sin minus; *collapsus* (eine verfallene Kirche.) Ies. l. 3. seqq. Matth. XXI. 13. Luc. XIII. 7. Gal. III. et IV.

§. 1004. Militans (§. pr.) quia iam in V. etiam T. locum habuit, diuiditur in V. *frequentius* quae Synagoga, Iac. II. 21. aut *Israelitica* et

et *Iudaica* dicitur, et N. T. seu *Christianam*. In V. vero nemo, nec verbo DEI puro, nec sacramentis, excepto populo Iudaico, est gauisus. Hinc illa diffiniri potest: societas cum populo iudaico salutis caussa, inita. N. vero est, societas, cum populo Christiano, salutis caussa, inita. Quemadmodum vero V. iam T. desiit (§. 997.); ita et eius ecclesia. Deut. IV. 8. Act. VII. 37. Quoniam vero gratia DEI est vniuersalis (§. 457.), et per societatem, coniunctis viribus, melius obtinetur finis: N. T. ecclesia, quae semper *fere* (Iac. II. 2.) *ecclesiae* nomine venit, perpetuo et sine interuallo durabit, ad finem vsque mundi. Dan. II. 44. Luc. I. 33. Eph. III. 21. Matth. XVII. 18. Es. LV. 10. seqq. Matth. XIII. 29. seqq. Ies. LIX. 21. Errant ergo *Sociniani*, hanc qui thesin negant, et probant 1) quia *vim* alias hominibus inferret. Resp. Neg. (§. 121. Th. N.). Nonne vero DEVS est omniscius? adeoque praedicere futura contingentia optime potuit, et per prouidentiam dirigere poterit. 2) 1 Tim. IV. 1. seq. 2 Tim. IV. 3. 2 Thess. II. 3. 9. 2 Pet. I. 2. Apoc. XVIII. 3. Resp. dist. inter Apostasiam magnam, quae praedicitur, et *vniuersalem* omnium indiuiduorum. 3) Ecclesiam cessasse, experientia probat et probabit. Resp. Neg. 1 Reg. XVIII. 22. 4) ad Matth. XIII. excipiunt; ex parabolis argumenta firma

non

non peti. Verum vid. comm. 40. seqq. vbi Christus ipse, Parabolae explicat scopum. Nec 5) audiendi, si ad Matth. XXVIII. promissiones *hypotheticas* fingunt; cum tamen categoricae sint. Quod vero ad militantem vtriusque T. attinet, in variis locis, ecclesiae, quas praeeunte Sc. S. Act. VIII. 1. 1 Cor. l. 2. 1 Thess. l. 1. et definitione (§. 1000.), recte ita adpellamus (quia et in plurali, terminus occurrit Act. XV. 41. 1 Cor. XVI. 19.) deprehenduntur. Quoniam autem in V. et N. T. vna salus est (§. 997.); omnes tam in V. quam N. tanquam corpus, in quale Sc. ecclesia dicitur, *morale* (§. 275. I. N.), considerari possunt. Hinc in *vniuersalem* ecclesiam, distinctio et *subdiuisio* oritur, et *particularem*. Haec, societas est in *loco certo*, salutis caussa inita; et in *simplicem*, quae ex aliis ecclesiis non constat; et *compositam*, ex aliis constantem, rursus diuiditur; quae distinguitur 1) ratione *Regiminis saecularis*, e. g. *imperii* olim *Romani* respectu, in orientalem et occidentalem s. Graecam et Latinam. 2) *ratione Regiminis ecclesiastici*. Sic *vna* est ecclesia, quae sub eodem regimine ecclesiastico, s. Consistorio, est constituta; *plures*, quae sub diuersis. Olim in V. ecclesia in maiori Prouinciae vrbe, Episcopus residebat, cui in circumiacentes ecclesias erat inspectio, et haec erat ecclesia *Dioecesana*

cesana. Qui totius Prouinciae ecclesias curabat (quique Episcopos inspectioni suae commissos habebat) *Metropolitanus,* a Metropoli, dictus, eiusque ecclesia, *prouincialis.* 3) ratione *Nationis,* Germanica, Danica etc. 4) *ratione vnitatis doctrinae,* quam ecclesiae alias distincte profitentur. vid. *Hollaz.* Quod vero ad *vniuersales* attinet, rursus vel *absolute,* vel *respective,* seu *secundum quid tales,* statui possunt. Illa *omnes,* omnique *tempore* et *loco,* continet fideles; Haec vero *omnes, eodem* qui tempore vivunt. Ps. II. 8. LIX. 14. LXXII. 8. Act. XV. 11. XVI. 4. seq. 1 Cor. I. 2.

§. 1005. Quas a §. 1000 - 1004. explicauimus ecclesiae diuisiones, et docentes comprehendunt et discentes. Quum itaque personae, societatem aliquam constituentes, eius dicantur *membra;* et docentes et discentes, membra ecclesiae esse, facile patet. Docentes vero et Discentes in ecclesia sunt, vt salutem consequantur aeternam (§. 1000.), quam in militante, hostes spirituales, variis pestilentissimisque impedire student artibus. Quum vero viribus suis, haec remouere impedimenta non possunt; alius, virtute, ecclesiae membra regere debet, sufficienti, vt finem consequantur. Qui vero Societatem ita regit, eius dicitur *caput.* Capitis ergo ecclesiae

neceſſitas, negari nequit. Quae ergo caput conſtituit, perſona, non abſolute et ſine reſpectu vt *perſona*, ſed *relative* ad ſocietatem, conſiderari debet. Vbi caput et membra; ibi corpus. Eccleſia ergo recte dici corpus poteſt. Facile hinc, quis caput ſit, quaeque ipſi officia incumbunt, ex a) definitione et cum b) noſtro capite, *comparatione*, diſcimus. Nam ſi membra regat; non ſolum membris bona et vires, concedere easque augere, ſed et conſeruare ea, defendere, munire, actiones mediis conuenientibus dirigere et determinare, ne in peccata ruant cauere, aut rurſus excitare, ad bona impellere debet, et quae ſunt alia, ad finem neceſſaria. Quis vero ex his, caput et membra viua requiri, non intelligit? Hinc concludimus: quemadmodum caput cum membris coniunctum eſt arctiſſime exque eo praecipue cerebro et medulla ſpinali, per neruos, qui per totum deinceps corpus expanduntur, et ſuccum in iis, ſpiritus animales dictum (§. 319. Phyſ.), omnibus membris, vitam concedit atque motum, ornat praeterea corpusque ſplendidum auctoritateque praeditum, efficit; ita et caput eccleſiae. Caput porro, quod membris contingit, ſentit, percipit ſuumque facit, et vice verſa, felicitatemque non internam ſolum, ſed externam etiam membro-

membrorum promouet, nullisque exceptis; aegrota quoque sanat, inque ordinem redigit, putrida vero et mortua dissoluit; ita et caput ecclesiae. Sed plura brevitatis studiosi, non addimus; quiuis enim ex fontibus iam indicatis, si modo ad similitudinem caput inter et membra, attendat, concludere poterit. Ex his autem quae capiti conueniunt, luculenter discimus: ecclesiae caput (quia membra per totum terrarum orbem fere *innumera* sunt, quorum cura, ob periculi magnitudinem, non cunctanter, sed vno quasi momento et statim, est suscipienda) *omniscium* esse debere, *omnipotens* et *omnipraesens*. Quum vero haec nemini, nisi DEO competunt attributa (§. 87.); ecclesiae caput, DEVM esse debere, claret. Verum caput atque membra, vnius fere naturae atque essentiae, nisi monstrum fingis, sunt concipienda. Ergo simul quoque esse debet homo, h. e, θεανθρωπος, qualis vero praeter Christum, nemo. Hinc caput ecclesiae est Christus; qui, cum visibili non amplius in his terris reperitur modo; caput ecclesiae, non est *visibile* sed *inuisibile*. Col. I. 17. Eph. I. 22. 23. IV. 16. Col. III. 19. Quoniam igitur qua Caput, Christus efficit, vt membra, secundum intentionem DEI viuere queant (per antec.); meritoque suo nos consequimur, vt bonorum

omnium participes reddamur (§. 816.); actus vero, quo quis efficit, vt aliud ens, ad certum finem obtinendum, agere queat, *influxus* dicitur; duplex Christi, in ecclesiae membra, est influxus. *Prior* vocatur *realis* s. *physicus*, etsi is, quia *immediate* agit, *supernaturali* fiat modo (§. 70. Cosmol.); posterior *moralis*. Per hunc autem influxum, itemque ex corporis, quod ecclesia est, idea, *vnionem* membrorum cum Christo capite, non fieri tantum posse, sed et reuera existere, claret. Vnio autem sine fide, cum Christo esse nequit (§. 899.), siquidem cum creatura mala, DEVS, se non coniungit (§. 61.). Vnio ergo haec, fide oritur, per charitatem efficaci (§. 827.), qua inter se membra deuinciuntur; quaeque *formam ecclesiae* (sanctorum) constituit *internam* s. *essentialem*. Eph. IV. 15. seq. Gal. V. 6. III. 27. 1 Cor. VI. 17. Ioh. XIII. 35. *Externa* ergo seu *accidentalis*, quia haud raro abesse possunt, professio fidei est, et exercitiorum charitatis mutuorum. Eph. IV. 4. 16. seq. 1 Cor. XII. 13. Forma enim *vocatorum*, in externae professionis doctrinae orthodoxo consensu, et de iisdem sacramentis participatione, consistit. (§. 1002.).

§. 1006. Quum itaque praestare hunc influxum hominum nemo poterit (§. pr.); praete-

praeterea etiam iudex controuersiarum theologicarum *personalis*, nullus est (§. 98. Prol.); *influxum internum*, per quem, membris, vita conceditur spiritualis, ab hominum nullo, exspectare possumus, neque etiam *externum*, seu gubernationem ecclesiarum totius orbis terrarum. Nam et sanctorum et vocatorum ecclesiae, haud raro, quod experientia confirmat, sunt incognitae, ita vt gubernari ab hominibus fallibilibus non possint. Hinc *vicarius Christi* seu caput ecclesiae visibile, quod loco Christi, per totum terrarum orbem, ecclesias gubernat, non est a) *necessarius*, quin potius, quia Christus eiusque medium, quo gubernat, Sc. sc. S. sufficiunt, 2) *frustraneus*. Quum vero a DEO frustra prouenire nil potest (§. 102. Pn. oc.); nec caput illud, seu Christi vicarius adsumi debet. Accedit 3) quod nullus in toto Bibliorum codice occurrat locus, etsi saepius de *capite* ecclesiae sermo Col. I. 17. Eph. I. 22. 23. IV. 15. qui id euincat. Contrarium potius 4) ex locis quam plurimis discimus. Nam a) omnibus omnino Apostolis (atque docentibus hinc), post adscensionem, *aequalem* (qua, gradus cessant), potestatem dedit Matth. X. XVIII. 19. Ioh. XX. 21. 23. Neque 5) huius capitis, vbi tota *Hierotaxis* commemoratur 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. fit mentio.

Potius c) omnes homines, nullo excepto, in ordine ad Christum, *sibi inuicem membra*, vocat Apostolus Rom. XII. 5. Quodsi porro 6) historiam monumenta evoluimus, Episcopum, qui consentientibus Imperatore aliisque Episcopis et Patriarchis, *oecumenicus*, dicebatur, inuenimus ante *Phocae* tempora, nullum; ita vt recte *Gregorius M.* L. VI. Epist. 30. Q. se *vniuersalem sacerdotem* vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua, Antichristo praecurrit. Nullus ergo hominum, cum sit vicarius (per antec.); nec *Petrus* erit, nec *Pontifex Romanus*; vtpote 7) qui Christi auxilio et gubernatione opus habent; alias 8) corpus biceps, ecclesia esset. Errant ergo *Pontificii*, 1) qui *necessitatem* (haec enim probanda) capitis visibilis probant 1) quia ecclesia corpus est visibile. Sed a) non semper tale, *necessario* habeat caput *visibile, monarchicum* e. g. sunt Respublicae, Democratiae, Aristocratiae etc. et b) *Minor*, quae adeo negatur, (§. pr.), sine limitatione vera non est. Semper enim de *visibili* et *vocatorum* ecclesia loquuntur Pontificii, cum tamen praecipue de sanctorum, disputandum. Nec est, vt ad Pro-Regem in regnis prouocent; siquidem c) Regum, hunc, impotentia et absentia postulet. 2) Monarchicum est optimum et perfectissimum imperium. Resp. Concedimus a) respectu Christi; b) in genere

genere vero negamus (ob princ. Polit.). II) *Pontificii* errant, *Petrum*, per 25 annos et amplius Romae, Pontificem Max. monarchica potestate, fuisse dicentes. Sed, quamuis, quod alii faciunt, *Petrum* Romae fuisse, ob *Clementis, Dionysii, Irenaei, Lactantii* testimonia, et Martyrem etiam, non negemus; non tamen, quam Pontificii conclusionem inferunt: *Pontificem fuisse*, affirmamus. Nam 1) martyrium, *teste* Lactantio, sub *Nerone*, cui ob multorum conuersionem innotuit, sustinuit, quod ex Sp. S. 2 Pet. I. 14. praesagiebat. Diuturnam igitur sedem ibi figere non licuit. Esto vero; sit Episcopus. *Oecumenicus* etiam? negamus! Praefuit enim ecclesiae particulari. 2) Actis Apostolorum repugnat. *Baronius* enim initium sessionis eius, in *Claudii* annum secundum collocat. Sed ex Act. XII. 14. claret: Petrum ab *Agrippa* Hierosolimis, quarto Claudii anno, coniectum fuisse. Et cur non *Paulus* Act. Cap. vlt. Romae aduenienS, consilium accepit a Petro? cur hunc non salutauit, illustribus inter Apostolos salutatis Rom. XVI. 3. 7. 9. Et cur tam *tranquille* Petrus, cui tamen *circumcisionis* ministerium (maximum Peccatum!) commissum erat Gal. II. Romae sedit? Porro 3) sententiam nostram probant 2 Cor. XI. 5. XII. 11. Gal. II. 11. 14. et Act. VIII. 14.

5) silentium Lucae in Actis, leniora alias referentis. 6) praerogatiuae *Paulli*, prae *Petro*. Nam a) Act. IX. 6. b) 2 Cor. XII. 2. 4. c) Act. IX. 15. Ergo *Paullus* potius Romanorum Episcopus. d) 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. XI. 23. adeoque curam pro omnibus ecclesiis, gessit; et quod *Bellarminus* concedit, plus profuit. e) doctior fuit, etc. 7) *Clementis*, inscriptio epistolae, qua *Iacobum*, Episcopum Episcoporum nominat. 8) *Tridentinum*, sub *anathemate*, hoc non proposuit; nec adeo. 9) est haeresis. Probant quidem 1) Matth. XVI. 18. Verum vel, quod etiam *contextus* testatur, ipsa intelligitur Petri de Christo *confessio*; vel *ipse Christus*, qui, digito in corpus suum conuerso, se illam, quam Petrus vocauit, Petram esse, (*Augustino*, et Cardinali de Alliaco testantibus) annuit, atque confirmauit. 2) Matth. XVI. 19. Sed claves, non vt *principi*, sed ministro et Oeconomo multo minus *soli* vers. 15. 16. Matth. XXVIII. 18. Ioh. XX. 23. dedit 1 Cor. IV. 1. Nonne enim *clauis*, potestatem remittendi et retinendi peccata denotat? 3) Ioh. XXI. 15. 16. 17. Resp. Vocatio haec trina fuit, propter trinam abnegationem; et rursus non *Monarchia* et principatus, sed *pascendi* munus Matth. XX. 25. quod et aliis iniunctum Apostolis. Act. XX. 28. 1 Pet. V. 2. 4. 4) Luc. XXII. 31. Resp. precibus his pro

pro Petro, *singularibus* (pro omnibus alias orauit quoque Ioh. XVII. 20.), lapsum grauiorem et maius periculum indicantibus, auertere studuit Christus. De fratrum vero confirmatione, nullam Monarchiam indicante vid. 1 Thess. III. 2. 5) ex praerogatiuis, quia primo semper loco ponitur, Matth. X. Marc. III. etc. Sed prioritas haec tantum est aetatis aut vocationis; non iurisdictionis et potestatis, id quod ex prima eius Ep. Cap. V. 1. itemque Gal. II. et praerogatiuis Paulli (per antec.). clarum erit. Errant denique III) *Pontificii*, Petrum, monarchicam potestatem, in Pontifices Romanos, seu successores Petri, iure optimo transmisisse, affirmantes. Nam, Episcopum Romae non fuisse, nec sub *Nerone*, Christianorum persecutore, monarchicam potestatem habere potuisse, ex antec. *etiam* satis patet. Et si haec vel maxime; nulla tamen de *successione* Rom. Pont. conclusio valet. Nam neque in *Cathedra* eius est successor, siquidem succedunt Petro, qui Apostolus circumcisionis erat Gal. II. 7. epistolasque *Iudaeis dispersis* scripsit; nec in *doctrina*. Conferantur enim ratione *Sc. S.* 2 Pet. I. 9. cum §. 77. Prol. *fundamenti salutis* Act. IV. 12. cum meritis et B. O. propriis et Sanctorum, et votis nonasticis; etc. *magistratus* 1 Pet. II. 14. *Papae ambitio*, qua

clericos eximit, *certitudinis salutis* 2 Pet. l. 10. §. 830; *Missae* 1 Pet. III. 18. §. 992; *fundamenti* et *capitis ecclesiae*, 1 Pet. II. 6. 25. cum §. praec. et nostro. Nec eius est successor in *moribus*; quod ipse *Baronius* Annal. ad Annos DCCCXCVII. et DCCCC. fatetur: *Sedem Pontificiam istis seculis, inuasisse monstra hominum, fures, latrones, vita turpissimos, vsque quaque foedissimos* etc. Pertinent huc etiam, quae sub initium huius §. de capite visibili diximus. Addimus tamen ex H. E. sequentia: a tempore Apostolorum, vsque ad Constantinum M. nullam fuisse Episcoporum Monarchiam; tunc vero per Patriarchas, Metrapolitanos et Episcopos, regebatur. Nunquam vero Ius *de* non *appellando* R. Pont. fuit concessum, quod, si iuris diuini potestas esset, sine dubio *Zosymus*, violationem Diu. Iur. vocasset. Patet nostra etiam veritas ex *Augustino*, Epist. 32. Gregor. M. itemque ex Concil. Carthag. VI. Probant quidem 1) Papam, Petri successorem esse. Sed est petitio principii, quam iam confutauimus. 2) semper hoc ius R. Pont. a Constantini M. tempore fuit concessum. Resp. non ergo 1) fuit Ius *diuinum*, nec 2) Primatus Monarchiae et Iurisdictionis, sed honoris et sedis: vid. etiam Conc. Constantinop. II. Can. 3. vbi Episc. Const. *aequalia* priuilegia sunt decreta. 3) V. T. ecclesiae, etiam

etiam visibile caput fuit. Resp. Sacerdos in V. T. non fuit Monarcha; sed tantum reliquorum Director; nec fuit Rom. Pont. *typus*, sed Christi.

§. 1007. Quod percipere ex nota quadam possumus, *visibile*, quod non, *inuisibile, generali* sensu vocatur. Quae ergo mediis ad salutem ita vtitur, vt hoc modo, societatem ad salutem existere, alii cognoscant, *visibilis* vocari *ecclesia* poterit; in casu opposito, *inuisibilis*. Quo maior itaque, quoque clarior distinctiorque aliorum, hac de ecclesia, cognitio est; eo magis visibilis est, et contra; ita vt *gradus* hic omnino statuere cogamur. In ecclesia ergo libera, maximus fere; in pressa (quae vtraque rursus gradus admittit) *minor*, et certo respectu, minimus. Quoniam vero 1) et libera existit, atque pressa (per experient. §. 1003.) nostra haec reiici Sc. etiam adprobante, distinctio nequit. 1 Reg. XIX. 10. 18. coll. Rom. XI. 3. 4. Apoc. XIII. 17. Verum visibile quia relatio est (§. 58. Log.); correlata et hic probe sunt attendenda (§. 62. Log.). Qua obseruatione, omnes, quae hanc circa distinctionem, oriuntur, difficultates euanescent. Nam quae nobis interdum *inuisibilis* videtur, qualis interdum est proprie sic dicta (§. 1001.), DEO erit

visibilis

visibilis. 2 Tim. II. 19. coll. Rom. II. vlt. 1 Sam. XVI. 7. Non ergo haec, *generis* est diuisio in suas *species*, sed tantum *relatiua*, et sub *certo modo*. Quodsi porro ecclesiam cogitas, 2) *vniuersalem* (§. pr.), per totum terrarum orbem, omni tempore dispersam; praeterea etiam 3) corpus, quale ecclesia est (§. pr.), *mysticum*, actusque 4) internos (nam de *externis* illis notis (§. 1002.), adeoque de vocatorum nobis sermo non est, sed de *sanctorum*) *cultum* scil. diuinum; itemque 5) fidem, qua membra inter se et cum capite, (quod 6) ipsum inuisibile est) vniuntur (§. pr.); minime, cum *Pontificiis*, ecclesiam *inuisibilem* te, vtque non contradictoriam, negare non posse, credo; abesse enim ad *posse*, valet consequentia. Nam 1) eorum dubium, visibilem et inuisibilem esse, ex Logica corruit, siquidem vna res, varias contrariasque habere potest relationes (§. 63. Log.). 2) vnitatem ecclesiae vrgent, adeoque non esse posse duplicem, visibilem et inuisibilem. Sed conf. resp. praec. et distingue inter *essentialia* et *relatiua*. Nonne etiam Planeta quidam, hoc modo visibilis et inuisibilis esse potest, cum tamen essentiam non mutet? 3) Coetus hominum videri potest. Atq. ecclesia; E. Resp. dist. a) inter *materiale* et *formale*; b) rursus hic est relatio (quam in omnibus, circa hanc controuer-

trouerſiam obſerues.). Nonne ſocietatem aliqui inſtituere poſſunt, quam nemo, quia inſtituta ſua ſilentio inuoluunt, ad tempus ſaltem, cognoſcit? 4) Matth V. 14. Sed de *florente* et *vocatorum*, ſermo eſt, itemque de *munere Apoſtolico*. 5) Pſ. XIX. 5. 6. Reſp. Senſus eſt: Chriſtum verbo ſuo in N. T. per totum terrarum orbem, habitaculum parauiſſe, ſicut ſol totius terrae orbi lucet. 6) Si inuiſibilis; nemini ad eam pateret aditus. Reſp. Limitatio addenda: a) *ſemper*, et b) ratione formae *internae* et *externae*: qua dubium corruit, 7) preſſa eſt viſibilis, alias nulla perſecutio. Ergo non inuiſibilis. Reſp. a parte *ante* et *poſt*. 8) Eccleſia eſt Respublica, quae viſibilis. Neg. in omnibus cum Republ. comparari poſſe; ſiquidem haec, *externa*: illa *interna*. 9) Fides cognoſcitur ex operibus; ergo viſibilis. Reſp. non vero et vice verſa. Etſi vero et inuiſibilis, quae ſanctorum, DEO placeat; non tamen *Fanaticis, Indifferentiſtis, Pſeudopoliticis*, etc. accedimus, quorum ſententia haud raro auditur: parum Chriſtiani intereſt, *in eccleſia viſibili verſari*, dummodo inuiſibilis ſit membrum. Nam nemini, vocatorum deſerere eccleſiam licet (§. 1001.), facileque alias, ſi media ſalutis ſpernit, maximum ſibi attrahit damnum, quod eo grauius, quo maior vel in peccatis, vel praeiudiciis oritur habitus

habitus. Dubia enim nullius sunt momenti. Nam 1) N. ecclesiam visib. pure per omnia, proponere Verbi DEI. Resp. Neg. 2) in Heterodoxa plurimos saluari. Resp. si ecclesiam et media vsitata non spernunt.

§. 1008. Si itaque ecclesiae caput, Christus est, cum quo per fidem vniuntur membra (§. 1005.); ecclesia etiam est *catholica*. Nam, quia, qui salutem consequuntur, fidem habere *omnes* debent (§. 816.); veraeque ecclesiae *primaria* nota, verbum DEI purum (§. 1002.); recte his, ex ipsa ecclesiae essentia deductis notis (quae adeo *essentiales* sunt) absolui *Catholicismus*, debet; qui hinc relatio est, qua ecclesia, vera fide puroque DEI verbo, est ornata. Vocatur ergo ideo *catholica*, quia omnes ad salutem adspirantes, *ea* profitentur. Quodsi vero hoc, ad O. *locum, personas* atque *tempus* restringas, nunquam, experientia etiam reclamante, habebis catholicam, quia hae tantum *accidentales* notae sunt, id quod ex inuisibi facile probari ecclesia potest (§. pr.). Recte ergo hunc, *externum*; priorem vero, *internum* Catholicismum dicimus. Nobis ergo (internum enim, minime vero cum *aliis tantum*, nisi cum interno coniunctum, externum amamus), catholica, quamuis interdum quia doctrina Christi fidemque profitetur, ita

ita sumatur, orthodoxa est ecclesia; vbi καθολικη, *haereſi* opponitur; quo sensu et particularis, catholica adpellanda. Et quia Catholicismum internum *Apostoli* etiam praedicarunt, quorumque verbo plantata, eique tanquam fundamento superstructa Eph. II. 20; ideo hoc respectu, *Apostolica* vocari etiam potest. Si vero nil nisi Christianismum propagarunt Christi Apostoli; hac relatione Catholica et Apostolica, dici etiam omnino Christiana potest. Denominationes enim *in re ipsa*, inter se conueniunt *omnes*; adeoque diuersa tantum relatione, quae in rebus ipsis non existunt (§. 61. Log.), et sic diuerso tantum *loquendi modo*, hisce insigniuntur nominibus. Recte ergo quia hoc modo sunt synonyma; vnum vocabulum, alterius substitui loco potest. Optime ergo nomen *catholicum*, Christliche Kirche, reddidit *exposuitque Lutherus*; ita vt sine ratione, falsi fraudisque eum hac in re, accusent *Pontificii*. Ergo catholica quia *omnes* in toto terrarum orbe fideles continet (per princ. h. §.); et extra Christum, nulla salus Act. IV. 12. omnes hi (propter influxum etiam §. 1005.) tanquam *vnum* corpus et *vnicum* considerari possunt (§. 27. Ont.); Hinc etiam vnum *caput* (§. 1005.) Eph. IV. 15. Cant. VI. 8. coll. V. 1. vnus *DEVS* et *Dominus* Eph. IV. 5. 6. (excluditur ergo *Papa*, quem

Paniga-

Panigarola includit) *vna doctrina* Ioh. XVII. 17. vnum *Baptisma* Eph. IV. 5. vnum *Euangelium* Gal. I. 8. 9. vna *Eucharistia*, vna *fides* et *sanctitas* vitae, et *spes vitae aeternae*. Eph. IV. 4. 5. recte recensentur. Et quia denique ecclesia etiam *sancta* dicitur (§. 1002.); *tria* recte cum Symb. Nicen. ecclesiae statuere *attributa*, seu *affectiones* vel *adiuncta*, possumus: *vnitatem*, *sanctitatem*, *Catholicismum*: quod etiam Lutherus innuit: a) eine b) heilige c) Christliche Kirche. Sunt quidem qui *Apostolicismum* sed praeter rationem addunt, (per antec.); sunt etiam, qui *perpetuitatem*, qua, per *totalem* fidei interitum, deficere non potest. Verum *Catholicismus*, ex quo fluit, et hanc simul includit, quamuis res abeat in Logomachiam. Quas vero iam, vt nonnulli loquuntur, *affectiones* descripsimus; *internas*, ex essentia quia ecclesiae fluunt, dicere solent. Ad externas vero referunt a) *visibilitatem*, b) *splendorem variatum*, quia vt *accidens*, abesse potest et adesse; id quod etiam varius ecclesiae, per omnia fere tempora, status, probat. Nam et *ante* diluuium Gen. VI. et *in* diluuio 1 Pet. III. 20. itemque *Abrahami*, *Israelitarum in Aegypto*, *Eliae*, Regum *Achazi*, *Manassis*, *Ammonis* 2 Reg. XVI. *captiuitatis Babylonicae* temporibus, nullo gaudebat splendore externo. Quid de ipsis *Christi* et *Apostolorum* temporibus dicamus? Nonne etiam

etiam per trecentos priores, post C. N. annos, et cum *Ariani* occuparent sedes episcopales, et ipsi imperatores a partibus eorum starent, omnis fere splendor abfuit externus? Errant ergo *Pontificii*, contrarium affirmantes. Aliud indicat *Christus* Matth. XI. 29. *Petrus* 2 Epist. I. 5. 6. *Iohannes* Apoc. XII. 6. et *Paulus* 2 Thess. II. Probant quidem 1) Ies. LX. Sed de *interno*, non *externo*, sermo. 2) quia splendor, *amplitudinem* denotet. Resp. Sed non in illa plusquam regali magnificentia, qua Pontifex R. vtitur cum Collegio Purpuratorum, consistit; verum in extensione et dilatatione regni Christi. 3) Matth. V. 14. Resp. propter DEI, cuius promouebant, gloriam, veramque fidem et pietatem ita dicuntur. 4) Ps. XLVI. 6. Dist. inter *durationem* et *splendorem externum*. Denique hominum quia voluntas est mutabilis; *visibilis* (non ergo de inuisibili quaestio agit) ecclesia *deficere* etiam potest; quae 5) *defectibilitas* inter *affectiones externas*, et recte quidem experientia teste, refertur. Ex. XXXII. 2 - 5. Nonne etiam sub *iudicibus*, post mortem Iosuae; nonne sub *impiis regibus*, *Samariae* et *Hierosolymis*; nonne sub *Iudaeis*, Christi temporibus, traditionibus aliisque, defecit? Matth. XV. 1. 2.

§. 1009. Ecclesia, vera fide puroque DEI

verbo ornata, *vera* est et *catholica* (§. 1002. 1008.). Quum itaque Pontificia, puro DEI Verbo non ornata est, quod non ex pag. 965. et 966. solum, sed ex singulis etiam tractationis nostrae, vbi errores eius indicavimus, capitibus, itemque ex infra dicendis, elucet; nec veram esse nec catholicam, liquet. Quamuis vero de *interno* haec tantum Catholicismo valent; non tamen *externi* etiam respectu, dici Catholica poterit (§. 1008.). Ergo et in hoc, *Pontificii, veram* ipsorum et *Catholicam* ecclesiam affirmantes, errant, et probant: 1) Rom. l. 8. Resp. dist. inter Rom. *antiquam* quae *pura*: et *hodiernam* impuram (per antec.). 2) Matth. XVI. 18. vi cuius, Rom. eccles. in errores prolabi non posse. Sed dist. inter *vniuersalem* et *particularem*, qualis est Pontificia (§. 1004.). 3) Defectionis tempus, indicare nos non posse. Resp. nec nostrum est; sufficit enim defectus. H. autem E. *successiue* dogmata esse orta, docet, qua ex ratione tempus *vnicum* indicare certe non possumus. 4) nos ipsos *catholicam* nominare. Resp. *extra* statum *confessionis* quidem; sed non in eo statu, vbi errantibus contradicimus 2 Cor. XI. 5. 12. Inprimis vero de Idololatria Pontif. vid. *Conformites des Ceremonies avec les anciennes, par Mr. Convers Middleton.*

§. 1010. Contra, quia nostra, confessioni

sioni Augustanae dogmatibus adhaerens, a *Lutheri ministerio*, et *confessione*, *Lutherana*: melius *euangelica* seu κατ' ἐξοχην *Christiana*, a capite (§. 1006.) et obiecto (§. pr.); ita adpellatur, non solum verae ecclesiae notis (§. 1002.), sed et vera fide splendet; et *veram* esse et *catholicam*, ex definitionibus sane patet. (§. 1002. 1008.). Nam ad *veritatem* quod attinet, omnes nostras 1) ex *S. S.* non minus, quam ex *ratione* probauimus theses (contrarium enim aduersarii *probent*); 2) *gloriam* DEI promouet; dum mediis salutis, Sc. sc. S. sine admixtis *traditionibus*, itemque *Sacramentis*, quae apud nos, integra, ex institutione Christi porriguntur, sua vis et efficacia atque dignitas constat; 3) *pietatis studium* quam maxime promouet 2 Petr. I. 3-7. Rom. VI. 2. 4. (quod secus in ecclesia Pontificia est; probabilismus enim, quem defendit, moralis (§. 90. seqq. Ph. Pr. Vn.), aliaque, id abunde probant); quibus 4) pax et conscientiae tranquillitas, itemque 5) laetitia in morte, ex veris quae principiis, sequi omnino debent (§. 135. Log.), ad veritatem adstruendam, accedunt. De Catholicismo autem nostro si loquamur, non externum intelligimus, sed internum (§. 1008.). Ergo nostra ecclesia quia vera et catholica; est etiam Christiana, Apostolica, adeoque et sancta (sanctita-

enim et a vocatorum, qualis noſtra, ſanctorum enim eam non venditamus, praedicatur §. 1000.), et vna (§. 1008.). Errant ergo Pontificii, noſtram qui veram et catholicam eſſe negant, probantque 1) quia non per totum terrarum orbem diffuſa. Reſp. diſt. inter *amplitudinem*, quam nolumus (ſic enim *particularem* concedimus), et *doctrinam catholicam*. 2) Lutheranam, α) impurum Monachum, β) ante 228. annos (*noua* ergo!) habuiſſe auctorem. Sed reſp. a) non ſequimur Lutheri dogmata, vt *Magiſtri*, ſed *Miniſtri*, probe Gal. 1. 8. conſcii. Ad Tempus b) vero quod attinet, ita Sec. III. eodem modo, reſpectu Chriſti doctrinae, dubium, quod tamen negamus, valuiſſet; id quod Theologiae *Patriſticae* Scriptores, inter quos *Venerab. Dn. J. W. Feuerlinus*, verum eccleſiae noſtrae decus, primum meretur locum, abunde probant. Inprimis vero ſi dogmata, quorum inter nos et Pontificios differentia eſt, conſideramus; maximum cum eccleſia antiquiſſima deprehendimus conſenſum. Nam de Iuſtificatione vide Luc. XVIII. 14. Rom. III. 20. 22. IV. Nec eſt, cur particulam: SOLAM, qua vſus eſt *Lutherus*, vitii accuſes. Eandem enim adhibuerunt *Origines*, ad Rom. L. 4. c. 3. *Hilarius* Can. 8. in Matth. *Nazianzenus* Orat. 26. *Chryſoſtomus* in 3. ad Galat. *Auguſtinus* Epiſt. Pelag. L. I. C. 21

Bern

Bernhardus Orat. in Cantic. etc. De *S. Coena* sub *vtroque, expresse* testantur *Clemens* Pont. Rom. Constitut. L. VIII. C. XIII. *Iust. Martyr. Cyprian.* Epist. 63. 64. 65. *Basilius* Ep. 289. *Nazianzenus* Orat. 42. 11. *Cyrillus* Catech. Myst. 4. *Ambros.* in 1 Cor. XI. et de Sacr. L. III. C. 8. 4. Lib. V. C. VII. III. *Augustin.* apud Gratian. distinct. 2. immo et ipsi Rom. Pontif. *Leo* Orat. 4. de Quadrag. Can. et *Gelasius* idem fatentur. Facile hinc diiudicanda quæstio est: *Quando nata sit ecclesia Lutherana,* atque *vbi fuerit ante Lutherum natum?* Resp. *Semper* et *vbique* a primo Christianismi *temporibus* floruit, quod testimonia prolata et Apoc. XI. 3. loquuntur, etsi locum et prouinciam (de hac enim minime, sed de *doctrina,* sermo) adlegare (quia inuisibilis §. 1007.), non queamus; quod *veritatis testes* per omnia secula probant. Quoniam vero nostrae doctrinae in *formula Concordiae* reperiuntur, definiri iam potest *ecclesia Lutherana:* societas, salutis caussa ad normam Sc. S. in formula Concordiae determinatae, instituta. 3) non dari vnionem in eccles. Luth. Sed Dist. inter dissensum *fundamentalem,* qui hunc amant, non sunt nostrae ecclesiae membra, et *non fundamentalem,* qui non officit (§. 133. Prol.). Nonne vero in eccles. Rom. etiam datur dissensus? ergo non est vera! Quoniam itaque Lutherana, (melius *euangelica*) a primis

Christianismi temporibus floruit (per antec.), adeoque Verbo DEI conueniens est (probetur enim contrarium!) *Lutherani* nec merito *puniendi*, nec habendi sunt *haeretici*, aut *schismatici*. *Haereticus* enim persona est, errorem fundamentum fidei euertentem, amans; quae si manifeste blasphemiam et seditionem prodit, *qualificatus*; si non, *simplex* haereticus dicitur. Quodsi errorem habet ex ignorantia e. g. institutione, educatione etc. *materialiter*; si vero malitia et pertinacia accedit, *formaliter talis*, et si ab ecclesia damnatur, *solemnior*, nominatur. Plura, hanc quaestionem claram reddentia vide Cap. XXIV. Denique si nostra, *vera*, et catholica, apostolica et Christiana est ecclesia (per antec.); transire ad *Pontificiam*, nisi spem vitae aeternae admittere velint, non possunt *scientes* et *volentes*: ita vt veritatem diuinam iuxta impiissimam *Pii IV.* Pont. Rom. formulam, abiurent, seria nisi poenitentia crimen DEO deprecentur. Nam veritatem malitiose deserunt, atque blasphemant vt haeresin Luc. XII. 9. Matth. X. 33. falsaque in Concil. Trident. assumunt; adeoque iniuriam inferunt merito Christi, et periurium committunt. Longum esset, omnes hic fidei articulos (quod tamen si cite quaestionem decidere vellemus, necesse), et maxima, quae contra ipsos, fiunt, peccata

peccata recenſere. E. g. Nonne tenetur talis colere ſanctos? etc. Obiiciunt quidem: 1) ea tantum qui ad eccleſ. Pontif. abeunt, aſſumi poſſe, quae certa et vera; relinqui dubia et falſa. Verum hoc contra iuramentum Pii IV. eſt, quo ſe omnes huius eccleſ. traditiones, et conſtitutiones firmiſſime amplecti; pro matre agnoſcere; et imagines ſanctorum honorare velle iurant. Si iuramentum ſeruant; idololatriam, (§. 1009.); ſi non, periurium committunt, quod toties repetunt, quoties a praxi ſe ſubducunt. Nonne vero ſic vel ſcientes ſunt hypocritae, DEO quam maxime diſplicentes? 2) qui ad Rom. eccleſ. tranſeunt, quia Theologiae Polemicae operam non dedere, ſubtilitates has ignorant. Reſp. Diſt. inter ignorantiam vincibilem, quae hic eſt, et non excuſat (§. 52. I. N.), et inuincibilem, Luc. XII. 47. 3) Nonne et tot viri illuſtres et eruditi, Romanae eccleſiae ſunt addicti, qui non damnantur? Reſp. non ſunt transfugae.

§. 1011. In vocatorum eccleſia, haud raro a quibusdam in medium producuntur dogmata, falſa atque noxia, et de variis inſuper, controuerſiae etc. quae maximum eccleſiae inferre damnum poſſunt. Hinc ne latius virus ſerpat, particularibus (quod etiam per litteras aut alio modo ſpeciali

fieri potest 1 Cor. V. 3. cauere incumbit. Quodsi vero finis hoc modo non obtineatur, tota ecclesia 1) curam gerat. Ast omnia ipsius membra, ob varia partim in Republica ipsis praestanda, partim ob imperitiam, conuenire atque caussam diiudicare non possunt. Quapropter vocari vt *tota* possit, omnes ecclesiae particulares, vnum vel plures mittant, qui ecclesiae totius nomine inquirant, remque diiudicent. Alio idem 2) demonstrare possumus modo. Nam, quia vna ecclesia, vnam eandemque regulam specialem et ritus etiam eosdem, nisi heterodoxa audire malit, assumere debet (§. 1001.); harmoniam, omnibus seruare particularibus incumbit; quae vero, omnes nisi consentiant, obtineri non potest; id quod etiam 3) ex societatis, quae ecclesia (§. 1000.), notione patet, cuius suprema lex: fac coniunctis viribus, quae ad salutem perfectionemque ecclesiae pertinent (§. 269. I. N.); itemque 4) ex iure, quod cœteri in eos, tanquam *mandatarios*, deuoluunt. Et quia Sc. S. Theologiae et sic etiam ecclesiae, cognoscendi principium est (§. 16. Prol.); diiudicare omnia debent ex Sc. S. nisi res sint mere accidentales et actiones liberae seu indifferentes, ad gloriam tamen DEI ordinandae (§. 29. Ph. Pr. Vn.). Legati ergo 2) Sc. S. *distincte* intelligant, et quidem in textu

textu originario, qui, minime vero versiones, iudex est legitimus (§. 83. 79. Prol.). Quum vero et de ritibus, aliisque accidentalibus, haud raro instituitur quaestio, et ritus hosce intelligant, vt cum aliis, in ecclesia iam et ante multa secula receptis, comparare queant et iudicare. Ergo 2) H. E. haud leui cognitione tincti, adpareant. Ergo ne in damnum ecclesiae, quid admittant; 3) pii etiam, vel saltem probi et cordati sunt eligendi. Quiuis vero, alium ita comparatum, praeter *ecclesiae* fere *doctores* esse neminem, facile introspiciet; quamuis, si alius, his requisitis ornatus deprehendatur, excludi quoque non posset; si modo 4) nomine ecclesiae publico mitteretur. Talis vero conuentus (*Collegium*) legatorum ecclesiae, publico eius nomine conuocatorum, vt quae ad salutem ecclesiae pertinent, diiudicent, dicitur *Concilium ecclesiasticum*, itemque συνοδος, siue plurium congressus. An vero a *consulendo*, vel *conciliando*, aut concalando (id est: *conuocando* Gell. Noct. Att. L. XV. C. 27.), nomen trahat; ad Grammaticam spectat.

§. 1012. Quae ergo ecclesiae, detrimentum vsumque afferre queant, tolli per concilia possunt, atque obtineri (§. pr.). Schismata ergo, haereses, scandala, heterodoxia,

aliaque mala depelli; concordia vero, ortodoxia, et DEI gloria, semper et vbique obseruanda (§. 29. Ph. Pr. Vn.), promoueri possunt. Matth. XVIII. 20. Act. XV. Hinc vsus Conciliorum patent. O. vero vsus sunt fines DEI (§. 37. Th. N.). E. et quos iam indicauimus; qui tamen *certo respecta, obiectum* etiam dici possunt. Act. XV. 19. (§. 26. Ont.). Vbi finis, ibi caussa efficiens (§. 80. Ont.). *Caussam* ergo *efficientem principalem*, quia opus ad extra (§. 140.), DEVM Trinunum recte constituimus. Ex. XX. 20. Num. XI. 16. Deut. XVII. 9. Act. XV. 28. *Assessores* ergo et *iudices* in Conciliis, Episcopi sunt Doctoresque ecclesiae, non tamen excluſis Laicis, debitis modo requisitis praeditis (§. pr.). Act. XV. 22. Rom. XIV. 12. 1 Cor. X. 15. 1 Ioh. IV. 1. Hi si ergo circumspecte et fraterne h. e. legitimo processu, (qui *forma*) agunt, Sc. S. duce, quae adeo decidendorum *norma* est Deut. IV. 2. Es. VIII. 20. 2 Tim. III. 15. Gal. I. 8. VI. 16. omnia diiudicare possunt; nil siquidem ad finem consequendum desit (§. pr.). Quoniam vero nomine ecclesiae agunt (§. pr.); Episcopi illi atque Doctores, ecclesiam repraesentant. *Repraesentare* enim *alium* quis dicitur, si eius nomine peragere quid intendit. Hac itaque relatione Doctores, *ecclesia* dici possunt *repraesentatiua*: ita vt *Arnoldus* (in der Kirchen- und Ketzer-

Ketzer-Hist.) aliique, a *Pontificis* (egregia ratio!) nos hanc, inter ecclesiam *syntheticam* et *repraesentatiuam* (§. 1000.), distinctionem habere, sine ratione euomere, non erubescant. Ergo si soli illi, omnia peragere in Concilio possunt (per antec.); non opus habent, vt caput aliquod ex ecclesiae DD. ad harmoniam consequendam, constituant, quod *praeses Concilii ecclesiasticus*, (*inuisibilis* enim est Sp. S. per antec. Act. XV. 18.) nominatur. Nam, quia Imperanti omnia Collegia in Rep. subsunt (§. 423. I. N.), quique aeternam etiam subditorum promouere salutem debet (§. 356. I. N.); omnia non dirigendi solum (hinc recte *Praeses*, et a quibusdam insuper *Politicus* dicitur), sed et ipsa Concilia conuocandi potestas atque ius ipsi incumbit. Quemadmodum vero I. N. immutabile, et hoc Imperanti competit Ius, vt Imperanti (§. 425. I. N.); ita horum nemo, siquidem est lex DEI, ius hoc a se amoliri, aut in alterum transferre potest. Etsi ergo Imperans aliquis, Episcopo, ius suum quandoque concessit; non tamen sibi tribuere, ordinemque et leges DEI naturales immutare nec imperans potest, nec Episcopus; adeoque semper manet Imperantis. Non ergo de *consensu*, quem Pontificii quoque concedunt, Imperantis Politici, ad Concilia necessario, est sermo. 1 Petr. V. 3. Rom.

Rom. XIII. 1. Quodsi porro specialia eorum erga Christum eiusque regnum, officia consideremus Psalm. II. 10. XXIV. 7. Iesa. XLIX. 18. eo minus de hac thesi dubitamus, quo magis ex V. et N. T. Ex. XIX, Ios. XIX. 1 Par. XIII. 1 Reg. VIII. 2 Par. XX. XXX. XXXIV. Act. XV. itemque ex H. E. Imperantes, antiquissimis temporibus, Concilia sine Episcopi alicuius interuentu, conuocasse, constat. Conf. Annos p. C. N. 325, 391, 431, 453, 553, 680, 787 etc. Quamvis itaque Praesidem ecclesiasticum, si imperans velit, non reiiciamus, dum quaestiones recte proponere, suffragia postulare et decreta consignare potest; non tamen absolute quasi, necessarii sunt, aut *Iuris diuini*. Politici ergo officia sunt, vt collocutores a vi externa, immunes praestet; tumultus arceat, decretaque firmet, promulgeat et exequatur. Errant ergo *Pontificii*, qui conuocandi Concilia potestatem Rom. adscribunt Pont. et probant: 1) quia in Nom. Christi cuius vicarius est (quod negatur §. 1006.); Concilia sint conuocanda. Resp. hoc etiam per Imperantem fit. 2) Oves conuocare pastores non possunt. Resp. duplici Imperantes relatione considerantur, vt membra ecclesiae, vbi *oues*; et vt *custodes* et *defensores*. 3) Imperans non habet O. ecclesiae membra sibi subiecta. Resp. nec Pont. Rom. conuo-

Conuocat ergo suae; aliis, acta transmittit. 4) Cel. *Barthelii* argumentum, in diss. de *iure reformandi antiquo, Herbipol. h. a.* ex Ioh. XX. 21. desumtum, quamuis speciosius, nihil tamen probat. Nam inest a) *petitio principii,* Christum, ad vnitatem, harmoniamque inter Apostolos conseruandam, potestatem vni Petro, a quo in successores derivetur, dedisse (§. 1006.). Nec est aliquid, si, neque a populo, neque ab Imperante, in Episcopos hoc ius (siquidem eodem non gaudeant per antec.); a DEO ergo transiisse affirmat. Deinde plus inde b) concludit, quam dicta permittunt. Contextus enim de iure reformandi et concilia conuocandi, non agit, sed de verbo ministerii, quod ipsis concedit, *aequaliter* conf. Ioh. XVII. 18 - 22.

§. 1013. Quae (§. 1011. 1012.) explicavimus Concilia, ecclesiam constituunt repraesentatiuam, sed non sola; sed modo tantum *extraordinario.* Quoniam vero *ministerium ecclesiae,* hanc erudit, nomineque totius, veritates defendit et agit (per exper.); illud etiam ecclesiam repraesentat ordinarie, nisi discentes *contradicant* Mal. II. 7. Hagg. II. 12. seqq. Hinc quia ecclesia vniuersalis est et particularis (§. 1004.), *concilia* etiam, quae ministri ecclesiae constituunt (§. 1011.), in *vniuersalia* s. *generalia* (οἰκουμενικα) et *particularia* s.

topica

topica (μερικα) diuiduntur. *Illa* ab omnibus fere ecclesiis; *haec*, a minima eius parte frequentantur; adeoque *nationalia*, *prouincialia* et *dioecesana*, quatenus ea vel certa gens, prouincia vel dioecesis cogit. Quoniam vero ex fallibilibus constant hominibus; omnia haec excepto Hierosolytano, Act. XV. propter immediatam inspirationem, errare posse, satis liquet; quapropter ab errandi peccandique periculo, etiamsi a Papa Rom. qui etiam homo fallibilis, confirmentur, non sunt immunia; nisi cum Sc. S. consentiant (§. pr.). Qua ergo limitatione posita, et *decretoriam* et *decisiuam*, *ministerialiter* tamen auctoritatem habent, et ex *adprobatione succedente*, consequuntur. Actu vero quaedam errasse, non Iudaica solum Christi passionis, Apostolorumque temporibus, ecclesia; sed et alia, vniuersalia etiam (e. g. *Ephesin.* II. haeresin Eutych. *Nic.* II. imaginum cultum; *Constantiense* de S. Coena, confirmauit errores etc.) loquuntur; ita hac ratione *Pontificiorum*, de infallibilitate Conciliorum sententia, vt et Papae; qui tamen saepe haereticus erat, omnino cadat, etiamsi quod docent, ab ipso confirmata essent. Probant 1) quia ecclesiam quae infallibilis 1 Tim. III. 15. repraesentant. Verum locus non de *ecclesia*, sed de veritate, a Paullo inculcata: DEVS *manifestatus est in carne*, loquitur. Dicis:

haec

haec contra diuisionem distinctionemque versuum. Resp. Non DEI, sed *Rob. Stephani* est; a qua ergo ob particulam καὶ vers. 16; (quod sensum fundit alias nullum) est recedendum, praecipue, quia alias particula etiam ὡς (vt stilus etc.) adesse deberet: 2) quia summa Christianorum iudicia sunt. Matth. XVIII. 17. adeoque infallibilia. Sed quae consequentia? homines esse desinunt? Nonne miracula praeter necessitatem statuenda essent? vid. omnino (§. 96. 97. seqq. Prol. et §. 193. I. N.). 3) Matth. XVIII. 20. Resp. Ergo omnibus hoc etiam Christianis congregatis competeret; quod falsum. DEVS enim praeter necessitatem (Sc. S. enim norma adest §. pr.) miracula non edit (§. 122. Th. N.). Hinc et absolute necessaria non sunt 2 Tim. III. 17. vbi Sc. Sacrae sine conciliis, *vis* adscribitur; omniaque per litteras componi possunt, (§. pr.); sed tantum *hypothetice* (§. 1012.).

§. 1014. Praeter *inuisibilem* ecclesiae hostem, *Diabolum* Eph. VI. 12. 1 Pet. V. 8. *visibilem* etiam depingit Sc. S. 2 Thess. II. 3. seq. et variis Apocal. locis, eumque *Antichristum* adpellat. *Etymologice* et *generaliter* si consideremus, is erit omnis, qui dictis factisque *Christo* est contrarius 1 Ioh. II. 18. 22. IV. 3. Particula vero ἀντι, cum, per *contra*, aut *pro*

(e. g.

(e. g. *αντιβασιλευς* Prorex etc. vid. etiam Act. XIII. 8. 1 Petr. V. 8.) reddi possit; *Antichristus, nominaliter* is erit, qui *loco* Christi, Capitis ecclesiae, totam, sed *contra* eius praecepta, regere praetendit. Quaenam vero hic locum particula habeat, et an secundum Sc. possibilis sit nostra definitio, ex attributis, quae eruamus, cognoscere facile possumus. Si ergo loco Christi capitis vnici (§. 1006.) esse praetendit; 1) *membrum* tantum 2) *ecclesiae* erit, quod tamen 3) alia *regere* intendit omnia; adeoque super Imperantes, Reges, Principesque, qui etiam membra (§. 1000.), sese 4) *effert* 2 Thess. II. 4. (*sedere* enim *in templo*, dominium in ecclesia exercere, stylo Sc. denotat (§. 815.) Eph. II. 20. *επι παντα* vero *λεγομενον θεον, η σεβασμα*, cum et Imperantes Psalm. LXXXII. 1. *Dii*, et *σεβασμα*, quod summa reuerentia veneramur, dicantur, sane explicauimus recte). Quum porro *contra* Christi praecepta regat, membrumque tamen vocetur (per antec.), 5) *Apostata* etiam maximasque 6) doctrinae cultusque inuehens et propugnans diuini corruptelas 2 Thess. II. 3. 7. quae cum *aperta* vi, quae capiti haud competeret, facere non potest (vera dum membra, quantum possent, resisterent), variis artibus, 7) fraude, mendaciis, et si aliter fieri non potest, violentia et persecutione membrorum, efficere

efficere id ſtudet. 2 Theſſ. II. 9. 10. Apoc. XVII. 6. Quæ vero iam deduximus; ad notas pertinent *Antichriſti Magni* (alii enim etymologice tales *parui* dicuntur) *eſſentiales* (§. 14. Log.); ex quibus, de *orientali*, nobis, *Muhamedo*, in templo DEI non ſedente, ſermonem haud eſſe, ſtatim quoque patet. Scripturam vero euoluentes, *accidentales* ſeu *exteriores* etiam deprehendemus. Nam Apoc. XVII. 3. 9. imperii ſedem 1) conſtituere *Romam*, vrbem *ſepticollem*; 2) eſſe quendam *obſtantem*, ne dominatum erigere poſſit. Quod facile intelligi poteſt, ſi modo ad num. 4. pr. attendas. Nam quia ob perſecutiones *gentiles*, in eccleſia, quam maxime preſſa vixerunt Chriſtiani; caput ob ſummam etiam Imperatorum auctoritatem in vrbe, efferre nondum potuit; etſi malitia ſeſe, iam exſeruit, qualis in *Diotrephe* aliisque erat conſpicua. III. Ioh. 9. 3) *Late imperare* Apoc. XVII. 11. 4) Diuitiis abundae, et luxu praeſertim in eccleſia diffluere rp. XVII. 4. ſed 5) temporibus nouiſſimis gladio *oris* Chriſti (ergo ſpiritualis ſeu potius eccleſiaſticus, ob *oris* gladium, intelligitur), manifeſtari, ac labefactari verſ. 16. 2 Theſſ. II. 8. 9. et per multa 6) ſecula, vsque ad vltimum Chriſti aduentum graſſari, ita tamen vt 7) *paullatim* quaſi *tabe* conficiatur et prorſus deſtruatur; id quod vocabulum ἀναλίσκειν indicat. Apoc.

XIII. XVII. XVIII. XIX. tot etc. Ob quam vltimam rationem, nec 8) *vnum* hominem esse, seu *individuum*, sed potius in templo *successiuum*, statuere cogimur. Denique 9) numerus animalis, 666 adducitur.

§. 1015. Recte ergo concludimus: Q. has §. pr. notas habet, est Antichristus. Atq. *Papa Rom.* Ergo. Minorem ipsa experientia probat. Nam 1) in ecclesia dominium exercere vult, vt Episcopus oecumenicus, infallibilis, Caput et Monarcha (§. 1006.); eoque ipso auctoritatem Christo debitam sibi rapit, quasi DEVS. 2) Supra Imperantes (Deos Numinaque) sese effert, quorum regna constituere, vel ad alios transferre, pessimisque titulis et verbis prosequi, a iureiurando subditos absoluere saepe saepius tentauit et reuera praestitit. vid. H. E. script. Inprimis vero attendas *declarationem Nullitatis Artic. pacis Westphalica*, Innocentii X. Pontif. M. qui etiam quot annis, Protestantes solenniter execrando, violant; ita vt ipsi *Fridericus II. Maximilianus II. Conradus II.* alias *Conradinus* dictus, alii que Principes, testante *Auentino*, Pontificio scriptore, de Tyrannidis conquesti sint speciminibus. Quam maxime autem Lanienam Parisiensem probauit Gregorius XIII. (§. cit.). 3) Apostata est sic, dum contra Sc. S. agit; omnibus technis, persecutionibus (quas

(quas *Hispania, Gallia, Germania,* &c. loquitur) miraculis fictis palliare studet, 4) doctrinam falsam, 5) cultumque DEI, ceremoniis a DEO nec constitutis, nec rationi conuenientibus (§. 958.). In vrbe Romae sedem 6) constituit; 7) Constantini M. aliorumque Sec. V-XVII. Imperatorum temporibus, finitis persecutionibus, et solio translato, successiue maior factus, 8) longe lateque eccles. Rom. plantauit. 9) Diuitias Monachorum, et splendida in cultu diuino &c. vestimenta, nemo ignorat. Quam clare vero 10) regnum papale detexit, *Petrus Waldus, Ioh. Hussius* et *Lutherus* qui Apoc. XIV. 6. 8. 9. describuntur? Hinc 11) quasi tabe, auctoritate hinc et inde deleta, conficitur; nec 12) indiuiduum est. Numerus 13) vero 666. et in voce λατεινος, et רומית et קאטוליקית inuenitur. Quoniam vero et animas hominum et corpora, persecutionibus perdere, et summus Monarcha sine ratione et iure, esse studet, *Tyrannus* recte vocatur quoque; ex quo vlterius sequitur: Christi auxilio opus ei esse; adeoque rursus non caput, sed 14) *membrum* eccleſiae *tantum* haberi. Rursus ergo *Pontificii* errant, Pontificem, Antichristum esse negantes: 1) 2 Thess. II. 4. Resp. vnitas non *numeria*, sed successiua intelligitur. 2) l. c. 3. Dist. inter defectionem

totalem et *partialem*. 3) 1 Ioh. IV. 3. Resp. etsi non aperte, tamen per consequentiam. 4) Romanum Imperium non est *euersum*, quod detineat 2 Thess. II. 6. Resp. Neg. explicatio (§. pr.). Nam de *deletione* Imperii non est sermo. 5) Duo testes Apoc. XI. 3. nondum venere; ergo nec Antichristus. Resp. per Duo, hic *omnes* testes, iuxta Sc. stylum Deut. XVII. 6. intelliguntur vid. vers. 11. adeoque sunt testes successiui. 6) Vbi ignis Apoc. XIII. 13? Resp. non proprius, sed *metaphoricus*. 7) Protestantes hoc et Tyrannidis nomine, calumniari. Resp. Nos neque hoc nomen, neque attributa et definitionem excogitauimus; sed ex ipsa est Sc. S. cui vero competit def. illi citra iniuriam competit definitum. Tyrannidem vero non Principes antea citt. solum, sed et ipse Hadrianus VI. Papa, in Comitiis Norimb. agnoverunt. 8) Crimen laesae Maiestatis Caesareae nos committere. Resp. Neg. Potius maiestatica iura, sc. circa sacra comminui aut eripi nolumus. 9) Libertatem Religionis nostrae, vi metuque extortam esse. Resp. contra fidem hoc est Histor. Nam in *instrum. Pac.* art. V. §. 1. *mutua exactaque aequalitas inter vtriusque religionis status constituta* legitur; quod nec Papa, ipso confitente laudato *Barthelio* (§. pr.), irritum facere potest. 10) Nos sic pacem religiosam violare. Resp.

conf.

conf. antec. dubia omnia; et sic negatur. Pontifex potius persecutionibus et exsecrationibus, atque haeretico, quod nobis imponit, nomine, violat.

CAP. XXIII.

DE STATV CIVILI.

§. 1016.

Plurimas si hodie et olim consideramus ecclesias; inter vocatorum, non vero sanctorum, eas referendas esse, negabit nemo (§. 1001.). Hinc, quia et boni malis mixti sunt; ad compescendos malorum animos non solum, sed ob socialitis necessitatem (§. 77. 348.), et securitatem propriam, in vnam coalescant societatem, quam *ciuilem* vocauimus seu *Rempublicam* (§. 350. I. N.); quae Imperantes seu Magistratus requirit necessario (§. cit. 350.). Quoniam vero DEI haec est, vt Respublicae constituantur, voluntas Imperantesque etiam maximum Reipublicae vsum praestant (§. 350. 430. l. c.), qui fines inter DEI pertinent (§. 37. Th. N.); volnit DEVS, vt *Magistratus* seu personae (Physicae vel morales §. 375. 444. seq. I. N.) totius societatis salutem promouentes (sic *concretiue* magistratus sumitur Luc. XXII. 25.) constituantur. Omnis ergo Magistratus

est a DEO (§. 35. Ph. Pr. Vn.) Prou. VIII. 15. 16. Rom. XIII. 4. 5. siue *immediate*, vbi ipse DEVS personam, ad Rempublicam gubernandam determinat 1 Sam. IX. X. XVI. 2 Reg. IX; siue *mediate*, opera hominum; et hodie quidem, per *electionem* Iud. XI. 5. *successionem*, iure haereditario, et *occupationem legitimam*, per victoriam in bello iusto; dum omnia sic victori cedunt (§. 442. I. N.) 2 Reg. XI. 12. coll. 1 Pet. II. 13. Rom. XIII. 2. Ioh. XIX. 11. Dan. II. 21. 34. Quodsi vero *abstractiue* Magistratum sumis, *officium* eius indigitatur. Recte ergo *causa efficiens* Magistratus, DEVS dicitur Rom. XIII. 1. 2 Chron. XIX. 6. et quidem Trinunus (§. 140.). Recte ergo ex his, in N.T. Christianos sine laesione conscientiae, magistratum gerere posse, concludimus. Errant ergo 1) *Anabaptistae* cum *Weigelianis* et *Pontificiis* nonnullis. Et illi quidem Magistratum a DEO esse; sic vero abstractiue et immediate, negant; quorum fluctuationis rationes sunt: 1) quia a violenti hominum oppressione originem duceret Gen. X. 9. Resp. a) iam ante Nimrodi tempora, Magistratus officia iuncta fuerunt Gen. IX. 6. b) confunditur etiam sic magistratus, et *modus* ad eum perueniendi s. acquisitio et vsurpatio. Amos III. 6. 2) 1 Pet. II. 13. Dist. inter causam *instrumentalem*, et principalem s. efficientem. 3) Ioh. XII. 31.

31. XVI. 11. Matth. IV. 8. Resp. Non ratione *iuris*, sed *iniustae usurpationis*. 4) Quia Tyrannus, qualis interdum datur, non esse potest a DEO. Resp. Dist. inter potestatem et eius *abusum*. Contrarium docet Paulus Rom. XIII. 1. cuius tempore impii et Tyranni. Nonne etiam in modum poenae? 5) Hos. VIII. 4. Resp. sine respectu et precibus ad DEVM fusis; quod maximum peccatum. Nonne et Pater consentit, etiamsi filius ex eo consensum haud quaerat? 6) 1 Sam. VIII. 7. Resp. Dist. inter Magistratum, et mutationem formae regiminis, a DEO constitutae. Errant ergo 11) rursus *Anabapt.* cum *Weigelianis* et *Fanaticis* aliis, qui Christianum, illaesa conscientia, munus hoc (cum tamen nunquam deponere Christus iussit Ioh. IV. 53. Luc. XXIII. 51. seq. Act. X. 47. XIII. 12. obire posse, negant et probant 1) Ioh. XVIII. 38. Licet non sit *de* mundo ratione qualitatis et originis, est tamen in mundo; alias et instantia valeret Rom. XIV. 18. 2) Luc. XXII. 26. Dist. inter *Apostolos* et *Christianos quosuis*. 3) *Tertullianum*: Christianos non posse Caesares esse, dixisse. Loquitur autem de suo tempore. 4) Pugnare cum libertate. Dist. inter libertatem *spiritualem*, et *externam*. 1 Pet. II. 16. 5) In statu innocentiae non fuisse. Neg. si continuatus esset. Nam sine ordine et gubernatione non fuis-

sent; siquidem inter ipsos Angelos dominationes, potestates et Throni. Sed et concedamus; quid inde? Non iam in statu sumus innocentiae. Quia itaque loco DEI, in his terris salutem hominum promouent (per. def.); recte *vicarii* DEI, Ex. XXI. 6. XXII. 8-28. Ps. LXXXII. 2. coll. Ioh. X. 34. *Principes, Reges,* ἡγεμονες. 1 Pet. II. 13. *Potestates eminentes.* Rom. XIII. 2. *Nutritii* et *praefecti* Ies. XLIX. 23. *Pastores populi.* Ies. XLIV. 28. Ps. LXXVIII. 71. *Iudices terrae.* Ps. CXLVIII. 13. seq. *ministri DEI,* Rom. XIII. 4. vocantur.

§. 1017. Quodsi vero salutem Reipublicae promouere debent Magistratus (per def.); omnia ipsis *iura* competunt, sine quibus salus illa constitui atque obtineri alias nequit; quaeque Regium ius vocare solent. 1 Sam. VIII. 11. seq. Rom. XIII. 4. Competit ergo, illis 1) *ius leges ferendi* (*potestas legislatoria*), quae tamen *diuinis* (naturalibus et positiuis) non contradicant Prou. VIII. 15. Rom. XIII. 5. 2) iudicia ac Dicasteria constituendi, adeoque iustitiam administrandi (*potestas iudiciaria*) 2 Reg. XII. 2. 2 Chron. XIX. 5. seqq. Deut. XVI. 18. Ps. CXLVIII. 13. seqq. 3) poenas, secundum delictorum gradus, adeoque etiam *capitales* (*potestas vindicatiua* quae et bella continet), infligendi Rom. XIII. 4. Gen. IX. 6. Ex. XXVI. 12. Matth.

Matth. XXVI. 52. 4) bella ad subditos defendendos pacisque causa gerendi Rom. XIII. 3. seqq. Luc. III. 14. Act. X. 1. 44. seqq. 2 Tim. II. 4. seq. Matth. VIII. 9. 10. De V. T. nemo dubitat, ipso Numine iubente Num. XXXI. 2. Ios. I. 6. regulasque praescribente Num. X. 9. Deut. XX. 19. Et quia sine *iuramentis*, iudicia saepe irrita essent, nec finis obtineri posset, et 5) haec, ad *lites finiendas*, imponendi (non temere tamen) ius habet. Ies. XIX. 18. LXV. 6. Rom. IX. 1. 2 Cor. XI. 31. Ebr. VI. 16. Quae omnia aliaque Magistratus iura *politica* (quae hoc §. *tantum* descripsimus) in I. N. demonstrauimus fuse; et aliquando in Theologia Morali, ad quam *proprie* pertinent, *theologice* explicabimus. Errant ergo 1) *Fanatici, Anabaptistae, Weigeliani* atque *Sociniani*, qui ius in foro contendentibus dicere, aut supplicio afficere, h. e. potestatem vindicatiuam et iudiciariam negant, atque indignum Christiano esse proclamant, et probant 1) Ioh. VIII, 11. Resp. Christi hoc non erat; sed tantum mortem non meruisse, affirmauit. 2) Ex. XXI. Resp. hoc pro indole Reip. Iud. voluit; sed vide 2 Sam. XII. 5. Ex. XXII. 3. 3) Luc. IX. Dist. inter eccles. et polit. nec non inter vindictam priuatam et publicam. 4) ex affirmatiua Praecepti V. sententia. Verum resp. ita *frustra* gladium magistratus gerit,

quod contra sapientiam DEI; et de priuatis, sermo, 5) Matth. VII. 1. itemque V. 39. Disting. inter iudicia *priuata* et *publica*. 6) Prou. X, 12. Resp. leuiora, non grauiora, quae Rempublicam et ecclesiam euertunt. 7) Ebr. XIII. 4. Resp. non immediate, sed *mediate* per magistratus, qui ministri DEI (§ pr.). *Paulus* etiam ad Caesarem prouocauit. 8) Matth. V. 40. Resp. de vindicta, locus loquitur. 9) 1 Cor. VI. 7. Resp. *Corinthiorum* tantum contendendi libidinem, et quidem *iudicibus ethnicis*, propter *leuiora*; non in genere *omnium* iudicia reiicit. Et si dicendum, quod res est, male hi, Apostolorum tempora cum nostris *confundunt*. Multa enim pro temporibus illis vel recta erant, vel vix licita, quae, mutato rerum statu, non amplius obseruari possunt. 18) Matth. V. 44. Resp. Salus omnium quae sic corrueret, praeferenda est singulorum (§. 278. I. N.); nec homines amandi sunt, vt latrones, et facinorosi; hoc etiam de *bellis* valet; 11) esse contra N. T. Ioh. I. 17. Dist. inter gratiam theologicam et politicam. 12) capite plectendus, vita aeterna sic priuatur, qui nullis operibus bonis, poenitentiam declarare potest. Dist. inter B. O. interna et externa (§. 875.). Errant III) iidem et *Mennonitae*, qui Bell. O. reiiciunt 1) Gen. IX. 6. Dist. inter priuatam personam et publicam. 2)

Matth.

Matth. V. 22. Dist. inter iram temerariam et iustam. 3) 2 Cor. X. 4. Resp. Christiani etiam viuunt in Republica, vbi arma spiritualia non semper sufficiunt. 3) 1 Cor. XII. 12. Resp. hostes, qui bello nos adgrediuntur, non sunt membra Christi (§. 1006.). 4) Ies. II. 4. Dist. inter pacem spirit. et publicam. 5) Bellum adfert omnia mala et peccata. Resp. *per accidens*; ita et mundus, caroque nostra. Nonne Autochiria ita etiam licita esset? 6) 1 Paral. XXVIII. 3. Resp. propter bella concatenata, quorum respectu non esse potuit Messiae typus. 7) Matth. XXVI. Dist. inter vindictam priuatam et publicam. conf. etiam dubia praec. cum responss. Errant IV) iidem, si *iuramenta* licita esse negant, ducti Matth. V. 24. Resp. a) *leuitatem iurandi*, et b) *priuatum ausum*, in familiari sermone Iudaeis familiarem, damnat.

§. 1018. Quoniam ecclesiae etiam in societatem ciuilem ex intentione et voluntate DEI, coalescant est necesse (§. 1016.); ecclesia est in Republica. Ergo omnes in Republica societates Imperanti quia subsunt (per def. §. 1016.); ecclesiae excipi non possunt. Verum quia et Imperantes, DEI seruare leges debent (§. 11. Ph. Pr. Vn.); hominumque cogitationes atque iudicia,

ob

ob libertatem et perſpicientiam, quae rationibus, non vi externa oritur, ſecundum eius praeſcripta dirigere nec poteſt, nec debet (§. 202. Log.); imperans in *interna eccleſiae*, quae ad cultus DEI Chriſtianorum formam ſ. eſſentiam pertinent, nullo iure gaudet; vid. etiam (§.ſeq.). Ergo tantum *in externa*, ſeu non eſſentialia. Ergo *poteſtas ſpiritualis*, qua mediis a DEO ordinatis (verbo et Sacramentis) ſalutem aeternam promouere intendit, ipſi non eſt, ſed competit ea eccleſiae miniſtris (§. 1000.) 2 Chron. XXVI. 16. Ebr. V. 3. coll. 1 Pet. IV. 15. Ergo quia hoc ius ad externa eccleſiae, Imperanti competit vt Imperanti (per antec.) non competit ipſi vt *Epiſcopo ſummo*, vbi non ſemper membrum eccleſiae eſt (§. 425. I. N.), ſed ius eſt maieſtaticum. Eſt enim *maieſtas* poteſtas Imperantis ſeu ius, in Rep. omnium voluntatem ita dirigendi ſ. determinandi, vt vnica ſit in voluntate Imperantis (§. 430. I. N.). Hoc vero Ius, *ſacrorum* ſeu *circa ſacra*, ab aliis, propter recuperationem ab Epiſcopis, *Epiſcopale* dicitur, quod adeo eſt ius maieſtaticum, eccleſiam in externis ita dirigendi, vt felicitas totius Reip. obtineri queat. Et quoniam eſt 1) ius maieſtaticum; Imperans, niſi 2) ipſam deſtruere velit maieſtatem, vt eccleſiae doctores, qui *Clerici* alias dicuntur, peculiarem,

ſtatui

ſtatui Imperantis oppoſitum, forment, non permittat. Ergo Clerici et *Laici* (qui ergo recte *obiectum* Magiſtratus *perſonale* dicuntur), Imperantibus ſunt *ſubiecti*, h. e. eorum ſubditi; ſunt enim 3) Reip. ciues. Addunt alii et 4) damna, quae ex contraria fluunt ſententia; nec non 5) Leges, quae idem iubent imperii; et 6) quod ipſe Romanorum Epiſcopi e. g. Gregorius M. L. III. Ep. LXV. *aliique* (quod H. E. inprimis ſec. prioribus abunde probat), Imperatori hoc ius tribuerint; itemque 7) Romanae eccleſiae ſcriptores e. g. *Palatius, Dominicus Banner, Albertus Pighius*, &c. idem docentes. Et quoniam doctrina haec eſt 9) nota Antichriſti (§. 1014.); et 10) Chriſtus Phariſaeis, Clero Iudaeorum, idem iniungit Matth. XXII. 21. 11) Leuitae etiam et Sacerdotes V. T. (qui *Bellarmino* de Clericis Cap. XXVIII. teſte, Clerici erant) Magiſtratui ſubiecti erant Ex. IV. 16. XXXII. 2. 1 Reg. II. 26. 1 Paral. XXIX. 15. praeterea etiam 12) Chriſtus eccleſiae caput, idem agnoſcit Ioh. XIX. 11. 13) et ipſa Sc. S. teſtatur Rom. XIII. 1. Act. XXV. 10. Matth. XXII. 21. 2 Theſſ. II. 4; ideo theſin noſtram tanquam veriſſimam defendere licet. Accedit 14) quod iura maieſtatica, quia a DEO, et in Iure Naturae, quod immutabile, fundamentum habent, ſubditi, Imperantibus detrahere, ſine

sine laesione non possint. Ergo in temporalibus, personalibus et realibus, ciuilibus et criminalibus, iure diuino non, sunt exempti; nec *soli* magistratui ecclesiastico subiecti. Quodsi ergo *priuilegia* Clerici habeant (e. g. ab *oneribus personalibus* sunt exemti, ne in officio impediantur, eorumque auctoritas vilescat; in *realibus* autem, nisi Imperans pie velit, quoad *propria* bona, etsi quoad bona ecclesiae consecrata, minime); nec Maiestati, nec Reipublicae, quia in Rep. est ecclesia (per. pr. h. §.), noxia esse debent. Errant ergo *Pontificii*, potestati ciuili, Clericos subiectos esse negantes, quia 1) ouis, pastorem suum non iudicat. Resp. Diuersa relatione Imperans est ouis (in spiritualibus) et Pastor (in politicis) Ies. XLIV. 28. 2) Gen. XLVII. 22. Resp. Sacerdotum fundi non proprii erant; sed ex liberalitate Pharaonis. 3) filio (Laico) non est subiectus Pater (Clericus). Resp. Relationes sunt tantum, ad spiritualia pertinentes; nec maior, vniuersalis e. g. si filius Consul, Director, Praeses etc. immo petitio principii. 4) Clerici sunt DEO consecrati Resp. ratione officii, sed non ratione personae et bonorum. 5) Caro subiecta est spiritui. Resp. Sed ecclesiastica potestas non est mere spiritualis (per antec.). vid. §. seq.

§. 1019.

§. 1019. Quodsi ergo in in externis, ius competit circa sacra, Imperanti (§. pr.); non solum in *genere* veram religionem promouere, adeoque portam Domino aperire Ps. XXIV. 7. sed etiam 1) ministros idones *vocare* et honeste *substentare* Ies. XLIX. 23. 1 Reg. II. 35. Deut. XVIII. 1. 1 Cor. IX. 13. 7. 2) scholas erigere, et ad *incrementum* ecclesiae conseruare et *dotare*, 1 Reg. V. seq. 3) ordinesque inter Doctores instituere 2 Reg. XI. 7. 1 Par. XXIV. 4. 2 Par. XXIX. 25. XXXI. 2. inque 4) ministros flagitiosos animaduertere 1 Reg. I. 27. (§. pr.); 5) dogmata saluti Reip. contraria docere; neque vt alii, alterius religioni addictis, falso imponant non permittere; 6) locum, 7) tempus (quo et 8) *Fasti* pertinent), 9) methodum s. ordinem praescribere, 1 Reg. V. seq. 10) controuersias inter diuersae religioni addictos prohibere; 11) libros symbolicos conficere; 12) synodos, disputationes, colloquia aliosque conuentus sacros, Consistoria, visitationesque instituere 2 Chron. XVII. 1. seq. XXIX. 4. seq. (et quia est ius maiestaticum; nemini directorium, nisi Imperanti competit), 13) *formulas* (non modum) orationis s. precum praescribere; 14) Disciplinam ecclesiae instaurare, defendere, et ne euertatur, circumspicere, Imperanti incumbit. Quoniam vero in ecclesia omnes sunt

aequa-

aequales (§. 1005.); imperansque solus, poenas infligere potest (§. 52. Ph. Pr. Vn.); nullo modo sibi puniendi ius tribuere ministri ecclesiae possunt. Hinc si mediante Imperante, disciplina exercenda est, 15) cum *ciuili ignominia* nonsit coniuncta. 1 Cor. V. tot. coll. 2 Cor. ll. 6. seqq. Denique, quia Respublicae, originem eo fine traxerunt, vt salus hominum et tranquillitas obtineantur (§. 348. seqq. I. N.); Respublica etiam esse *posset* sine ecclesia, seu cultu diuino *externo*; quo ipso horrendum illud cadit, quasi *vnicum* Rempublicam conseruandi medium, esset religio. Hinc ex hoc non solum, sed rationibus (§. pr.) etiam nullum in conscientias, et *interna* ecclesiae, Ius competit Imperanti. Nam quae ex Maiestate non fluunt, sibi Imperans tribuere nequit. Ergo 16) ad religionem cogere subditos non potest. Ergo 17) vel liberum Religionis exercitium, sine tamen laesione externae Reip. salutis vel concedat; vel 18) nisi velit; abire, sine iniuriis in bona vel corpora, permittat. Quodsi vero vitia peccataque contra *Reip.* statum committant, vel eundem euertere studeant, aut, quae huc spectant, docent; tunc poenis etiam corporum afflictiuis aut capitalibus, pro rerum circumstantiis, non *qua ecclesiae membra*, sed qua *seditiosi* et *turbulenti* inobedientesque pro-

prosequi possunt. Quum itaque Haeretici, non vero simplices, sed *qualificati*, seductores et Blasphemi *inquieti* (§. 1010), statum Reip. turbant, et *euertunt interdum*; his in casibus, sed non vt *Haeretici*, poena corporis affici ab Imperante, possunt. Quodsi vero sunt tantum simplices, Princepsque tollerare nequit; abire possunt sine bonorum iactura, *infamia* et poena: quia custodiri cultum a Magistratu voluit DEVS. Deut. XVII. 18. 2 Reg. XI. 22. Rom. XIII. 4. 6. 1 Tim. II. 2. 2 Thess. II. 15. III. 6. 2 Tim. II. 17. Matth. VII. 17. Tit. III. 15. Hinc ius etiam 19) reformandi, praesertim qua *ritus* et *regimen* habet, sine conscientiarum coactione. Hinc quaenam 20) in Republica tollerari religio debeat, indicare; et ex libera subditorum de veritate conuictorum voluntate, etiam quoad 21) dogmata ecclesiae interna, reformare potest. 1 Reg. XV. 12. 2 Reg. XVIII. 4. XXIII. 4. Et quia omnia in Republica et sic etiam bona ecclesiastica, sicut tota in externis ecclesia, Imperantis voluntati subiecta; ideo et donare, et ne damnum Resp. patiatur, amplificare et dispensare, alio transferre, quam fundatores voluerunt (cessante enim causa et ratione fundatorum, itemque circumstantiis; cessant etiam fundationes; praecipue cum bona derelicta e. g. tempore reformationis Monasterialia, in Rei-

publicae potestatem veniant), immo et necessitatis tempore, ob dominium eminens (§. 226. I. N.), ipsi ad salutarem fructum, vti possunt Imperantes. 2 Reg. XII. 4. XXII. 4. XVIII. 15. 2 Cor. XIII. 10. 1 Reg. XV. 2 Chron. XXXIV. 8. Ceterum, quia cultum DEI internum, mediis etiam licitis promouere tenetur (per pr. h. §.), quod *signis* seu ceremoniis, haud raro obtinetur (§. 101. Ph. Pr. Vn.); ceremonias aliaque cultum promouentia ordinare, e re erit; ita vt omnino haec commendentur potius, quam reiiciantur; qualia sunt praescripta loca, templa, altaria, campanae, ornamenta, definita tempora, Sabbathum, meditatio respectu concionum, festa, statique dies ieiuniorum et precum, forma praescripta in Agendis seu Liturgia, precibus, concionibus, musica etc. 1 Cor. VII. 35. XIV. tot. *Obiectum* ergo Magistratus *reale* sunt res sacrae, et ciuiles (§. 1017.). Omnes, quae hac in parte iam ventilantur controuersiae, ex peruersa et confusa obscuraque Magistratus notione, itemque ex vtilitate nonnullorum oriuntur. Errant ergo 1) *Pontificii, Fanatici* et *Anabaptistae*, iura Imperantis circa sacra exceptis, quae ad executionem decretorum Cleri pertinent, negantes, confusionem Muneris ecclesiastici et politici hinc metuentes. Sed sollicite distinctionem ad-

adhibuimus, externa inter atque interna. Errant II) *Remonſtrantes*, qui haereticos ciuili quodam modo compeſcendi ius, Magiſtratui abiudicant, et probant 1) 1 Theſſ. V. 19. ſeq. Diſt. inter peruicaces, malitioſos et *inquietos*, et Rempublicam evertentes, et haereticos ſimplices. 2) 2 Cor. X. 4. ſeqq. Reſp. ad dub. 1. 3) Tit. III. 10. Reſp. ead. 4) Gal. IV. 19. Haeretici non ſecundum ſpiritum agunt. 5) Eſſe contra Relig. Chriſt. Reſp. Sed argumentum inuertimus, vbi enim in Haereticis manſuetudo? 6) errorem non coerceri poſſe vi externa. Reſp. nec ita intendit Magiſtratus. 7) ſic confirmari potius errores. Reſp. fit per *accidens*. 8) Matth. XIII. 25. ſeqq. Reſp. *violenta eradicatione* et *nece*, quod ipſi negamus. 9) Sic concludere etiam Haereticorum Magiſtratus poſſe, aduerſus orthodoxos. Reſp. eſt abuſus; adeoque iniuſtum. 10) eſſe contra prim. eccleſiae praxin. Reſp. eſt contra H. E. Errant III) *Pontificii*, qui circa bona eccleſiaſtica diſpoſitionem Magiſtratus, negant. Errant IV) *Fanatici*, qui cultus externi abolitionem defendunt 1) Ioh. IV. 23. ſeq. Sed non negatur externus. 2) per excelſa Iudaeorum. Reſp. noſtra, non ſunt idololatrica. 3) altaria non praecepiſſe Chriſtum; Reſp. nec tamen reiecit. Dicant per nos, *menſas*. 4) Sabbathum im

pugnant, Coll. II. 16. Resp. de *Iudaico*, et *absoluta* eius necessitate, sermo. 5) Matth. X. 20. seq. Resp. Loquimur de ordinariis non extraordinariis. 6) Amos VIII. 10. Resp. de impiorum, non de piorum cantionibus sermo. 7) contra primitiuam ecclesiae praxin esse. Neg. Luc. XXIV. 36. Act. I. 14. 1 Cor. XIV. tot. vid. etiam Ep. Plin. ad Trai. Superstitiones etiam non admittimus. Denique, quia Magistratus ius circa sacra defendimus, nec tamen ipsi in conscientias subditorum concedimus (per antec.); errant V) tam qui *Papocaesariam* seu Magistratus oppressionem, cum *Pontificiis*; quam qui *Caesaropapiam*, qua conscientiis et libertati ecclesiae vis infertur, defendunt. Ergo quia ecclesiae caput Christus est (§. 1006.); nec Magistratus contra DEI Christique praecepta agere debent (§. seq.); *Christocratia* potius est defendenda. Iesa. XLIX. 23. LX. 10. seqq. Apoc. XIX. 16.

§. 1020. Summam habet Imperans in Republica potestatem seu *Maiestatem* (§ 1016.). Ergo non competit populo; nec in *personalem*, seu maiestatem Imperantis, et *realem*, populo competentem, cum *Monarchomachis* diuidi potest. Ergo nemini hominum respondet, et ανυπεύθυνος est, seu nulli iudicio humano adeoque nec legibus humanis, subiectus. Verum quia vt homo a DEO dependet;

dependet; *naturales* et *positiuae diuinae* eum obligant Deut. XVII. 18. seqq. Rom. II. 14. quapropter *pius* sit atque iustus, quo solium firmatur Prou. XX. 28; in casu opposito euertitur, exemplo Reg. Isr. Ex qua ratione, et quia salus publica obtineri alias non posset, nemini, resistere ei aut eius iura laedere licet; quae relatio cum *sanctitas* audiat seu *inuiolabilitas*: Imperantes sancti sunt seu inuiolabiles. Posset etiam ex diuinae imaginis, quam gerunt, nota, ius hoc demonstrari. Hinc nil nisi preces et lacrymae subditis oppressis, sunt relictae. Rom. XIII. 2. seqq. 1 Sam. XV. 30. XXIV. 11. 2 Sam. I. 14. Et quia tot tantasque per Maiestatem accipit perfectiones; quo maior vero perfectionibus quis ornatus est, eo maiorem ipse debemus honorem (§. 110. I. N.); Imperantes, si a DEO discesseris, maximo prosequi honore adeoque non tantum interne, sed et externe (§. 114. I. N.) Christi exemplo et S. S. praecipiente Rom. XIII. 7. 1 Pet. II. 17. Act. XXVI. 28. debemus. Quae vero iam demonstrauimus, ad *proprietates* Imperantis, quo et *necessitas* refertur, pertinent. Errant ergo Quakeri aliique *Fanaticorum*, qui contra honoris signa externa pugnant, 1) Ioh. V. 44. Dist. inter ambitionem et appetitionem honoris, quae non probamus (§. 110. seqq. I. N.) et honorem

ipsum. 2) Mardochai exemplo. Dist. inter cultum *religiosum* qualem Haman postulauit, et *ciuilem*. 3) προσωποληψια esset. Resp. haec tantum in iudiciis prohibetur. 4) Aequalitate naturae O. Sed haec non tollit status.

§. 1021. Facile ex his, quae iam disputauimus, et *requisita* Imperantis, eiusque et subditorum *officia, quique* in regnis electiuis, sit *eligendus*, quaque ratione maiestas *acquiratur*, aliaque prono alueo fluerent. Verum, quia ad Theologiam *Moralem* pertinent, et iam ex ratione (§. 348-447. l. N.) deduximus; labore hoc supersedere possumus. Subditi ergo Magistratui *obediant*, exceptis, quae contra leges DEI essent, adeoque in rebus etiam *indifferentibus* iniunctis Rom. XIII. 4. 5. l. 2. *reuerentiam* praestent (§. pr.), Rom. XIII. 7. 1 Pet. II. 17. *tributa* soluant Rom. XIII. 7. Matth. XXII. 22. *precesque* pro iis fundant 1 Tim. II. 1. 1 Tim. II. 1. 2. *Finis* ergo vltimus est gloria DEI (§. 29. Ph. Pr. Vn.) 1 Pet. II. 13. Rom. XIII. 1. intermedius, bonum publicum 1) *naturale*, dum subditorum *necessitatibus* Gen. XLI. 34. 2) *morale, legibus*; 3) *ciuile, vindicatione commodorum* atque *tutela*: 4) *spirituale*, vera *religione*, prospicit (§. 1016-1020.).

CAP.

CAP. XXIV.
DE STATV DOMESTICO.

§. 1022.

Status domesticus seu *Oeconomicus* est societas composita, domum continens *perfectam* (§. 343. I. N.). Ergo O. societates *simplices*, 1) *coniugium* vel *matrimonium*, Ehe (a communi iugo, et a matre, quae inde oritur, ita dictum), seu *societatem coniugialem* 2) *paternam* et 3) *herilem* includit. Hinc quia hic etiam in ecclesia status deprehenditur (per exp.); nostrum est, vt de eo etiam *paucis* (explanatior enim discussio in Theolog. Mor. quo pertinet (§. 138. Prol.), occurrit, agamus.

§. 1023. De *coniugali*, quam *Nuptias* etiam adpellant, licet matrimonii celebrationem denotet, primo. Nam quia ad mundi finem durabit ecclesia (§. 1011.), et DEVS nil frustra facit (§. 54.), soboles etiam procreanda est, quod *genitalia*, *instinctus* et *voluptas*, a DEO (adeoque *mala* non sunt) naturae indita, etiam loquuntur. Verum, quia procreatio instituenda, vt felix esse in ecclesia statuque ciuili (hinc ad mundi nexum pertinet) genus humanum possit (§. 1000. et 283. I. N.), quod per educationem sobolis ad hunc finem, obtinetur; parentibus, miseriae

riae infantium cauſis, illa incumbit; praecipue ſi στοργην, malaque ex educationis neglectu atque laboribus, quos multi, contra finem dictum, fugerent, fluentia, conſideremus. Ergo perſonae requiruntur ad hunc finem, *certae:* quae, quia per naturam non conſtant, ſocietatem ineant eſt neceſſe, quaeque *coniugium* (male *connubium* contubernium et conſortium) ſalutatur. Hinc eſt ſocietas ſimplex (ita *abſtractiue* ſumitur, *concretiue* enim perſonae intelliguntur) inter marem et feminam, ad procreandam certam ſobolem, eamque ad felicitatem eccleſiae et Reipublicae educandam (non ergo O. procreatio ſobolis licita) inita. Hinc vtrique coniugum, hic finis iniungitur (per def.). Ergo coniunctis viribus ad educationem, et ſuſtentationem, ſine qua obtineri nequit, ordinandam, ſunt obſtricti. Talis vero ordinatio, qua ad educationem et ſuſtentationem neceſſaria, acquirunt ſibi, *oeconomia* dicitur. Non ergo oeconomiam ſolum, ſed et familiam ſeu ſocietatem, cuius finis oeconomia eſt, erigant. Ergo fortunam proſperam atque aduerſam ferre tenentur, mutuumque auxilium praeſtent; id quod etiam *inſtinctus* et *amor* coniugum *mutuus* probat. Duplex ergo matrimonii *finis* conſtituitur, procreatio et educatio ſobolis, qui *primarius* Gen. I. 1 Tim. II. vlt. Epheſ. VI. 1. ſeqq. et mu-

mutuum adiutorium, qui *secundarius*. Quoniam vero per primarium, instinctus etiam debilitatur, eique satis fit; ad secundarios etiam *castitas*, et instinctus secundum *ordinem* DEI restinguendi *medicina* recte referuntur. Gen. II. 18. 1 Cor. VII. 3. seqq. Ergo quia sine coniugio nec ecclesiae nec Reip. finem obtinere DEVS potest; vt coniugia homines contrahant, eius est voluntas, adeoque et *lex* DEI (§. 7. . Ph. Pr. Vn.). Hinc recte vt *causa efficiens principalis* adduci poterit, et quidem vnitrinus (§. 140.). Ioh. II. 1. seqq. Gen. I. 27. 28. II. 18. 22. 24. Matth. XIX. 5. 6. Malum ergo atque damnandum non est matrimonium Prou. XVIII. 22. 1 Cor. VII. 26. Potius, quia ad mundi nexum pertinet (per ant.) quem peculiari prouidentia regit (§. 138. Theol. Nat.); influxum non solum *generalem*, sed *specialem* etiam, qui in *directione* consistit, et hic statuere cogimur (§. 138. Th. Nat.) Gen. XXIV. 7. 14. Iudic. XIV. 4. Prou. II. 17. Mal. II. 14. Ergo omnia in coniugiis ab aeterno iam decreuit, personasque determinauit (hinc intelliges prouerbium: *coniugia in cœlo fiunt*) easque ad mutuum consensum flectit, quae ex hist. Patriarch. patent. Gen. XXIV. 2. Et quia peccata DEVS *permittit* (§. 136. Th. N.); impiorum etiam coniugia permittit; etsi non semper *adprobet*. Gen. XXVI. 34. VI. 1-7.

Ergo nuptiae non intelliguntur *sacramentales* Eph. V. 32. nec *spirituales* 1 Cor. VI. 17. nec *personales* inter λογον et hum. nat. nec *ecclesiasticae* inter Episcopum et ecclesiam, vbi abuntur *Pontificii*, loco 1 Tim. III. 2. sed *corporales* et *carnales*. Matth. XIX. 4. Errant ergo praeter veteres: *Nicolaitas* Apoc. II. 6. *Gnosticos, Manichaeos, Scholasticos, Weigeliani* atque *Gichteliani*, coniugium vt scortationem, damnantes. Ergo qui procreare et educare non possunt liberos, coniugium inire non possunt. Ergo nec *castrati, furiosi, infantes, mente capti*, mendici etc.

§. 1024. Coniugium si societas (§. pr.); per pactum oritur (§. 269. I. N.), adeoque mutuo consensu (§. 191. I. N.). Ergo omnia de matrimoniis valent, quae de pactis ibi demonstrauimus fuse. Ergo et consensus requiritur *purus, liber, mutuus*. Ergo omni circumspectione ante consensum res est diiudicanda (§. 191. I. N.); ne *errore*, qui alias nobis imputatur, nec pactum coniugale rumpit, in periculum inducamur. Aliud vero de dolo partis contrahentis iudicandum (§. 199. I. N.). Quum itaque *summe ebrii*, et (§. pr.) notati, nec non *dolo inducti*, etc. consensu destituuntur; matrimonium inire non possunt. Quod ad *errorem* attinet, est vel *personae*, vbi in persona, *fortunae*, vbi in bonis et opi-

opibus erramus; datur et *qualitatis*, et quidem a) *simplicis*, qui ad essentiam matrimonii non pertinet; b) *substantialis*, quae ad essentiam. Hunc potius *dolum* diceres adeoque inualidum reddit (§. 195. I. N.), e. g. ratione virginitatis aut habilitatis etc. *status*. Quia itaque pactum maris et feminae de coniugio ineundo, quod *sponsalia* dicunt, necessarium est (§. pr.); sponsalia, ad coniugium, necessaria esse, nemo dubitabit. Sponsalia ergo non sunt Nuptiae seu coniugium ipsum; omniaque sunt *de futuro*: quamuis maxima hic, si *Lutherum, Canonistas, verumque sponsaliorum conceptum* spectes, differentia conspiciatur, quam in Theol. Mor. explicabimus; siquidem non est huius loci. Diuiduntur alias in sponsalia *pura* seu *absoluta*, vbi pacto coniugali nulla est adiecta determinatio, Gen. XXIV. et *conditionata*, si est; Gen. XXIX. Quoniam vero pactum physice et moraliter sit possibile (§. 189. I. N.); determinationes non sint impossibiles, vel turpes, iniustae etc. sed honestae. Sunt etiam vel *clandestina*, et *publica*. Haec, praesentibus; illa sine testibus peraguntur. Ita etiam in sponsalia *de praesenti* diuiduntur, et *de futuro*. Haec in tempore futuro; illa concipiuntur in praesenti; quae in lingua Germanica non semper clara sunt et distincta e. g. Ich will dich zur Ehe nehmen. De *ritibus* vero e. g. coram paracho;

paracho; de iuratis sponsalibus; arrhis sponsalitiis; annulo pronubo; osculo sponsalitio; dote ac pactis dotalibus; conuiuiis sponsalitiis; proxenetis; de eo, quod sponsus et sponsa dextras iungunt etc. vid. *Calvoer.* et *Gerhard* in Loc. de Coniug. Et quoniam facile, ob amoris affectum, felicitatem futuram negligere liberi possunt; parentibus vero liberorum promouere felicitatem incumbit (§. 304. l. N.); parentum (quibus sic inuitis etiam haeres adnascitur) consensus omnino etiam requiritur necessario. Col. III. 20. Num. XXX. 4 - 14. Ex. XXII. 16. 17. Deut. VII. 3. Ier. XXIX. 6. id quod exempla etiam probant Gen. XXI. 21 XXIV. 3. 49. 51. XXVIII. 1. XXIX. 18. 19. Iudic. XIV. 2. Quodsi vero quam maxime rationes afferant insufficientes et vanas, recte a propinguis et praecipue Consistoriis, reiiciuntur. Non tamen sic cum Pontificiis facimus, qui *necessitatem* negant, et tantum ad *honestatem* referunt, probantque 1) Tob. VI. 17. Resp. certus fuit de Consensu. 2) Gen. XXIX. XXX. Resp. est exemplum, non norma, siquidem alias Polygamia licita. 3) Gen. XXVI. 34. Resp. ad num. praec. 4) quia tamen essentia matrimonii consistere potest. Resp. physice quidem, sed non moraliter. Denique, quia matrimonium etiam est in ecclesia, vbi omnia ordine

ordine fiant 1 Cor. XIV. vlt. quaeque vt *societas*, sua etiam membra, ne, quae in eius detrimentum vergere possunt, suscipiant, cognoscere debent; ideo non sine ratione, et *proclamatio*, et *benedictio sacerdotalis* seu *copulatio*, vr pii ritus, quamuis non *absolute* et iure diuino; attamen ex *iure gentium Christianorum*, hypothetice necessarii, recte retinentur; ita vt non in reliquiis papatus sint habendi. Accedit, quod sic de variis, ad matrimonia pertinentibus, e. g. officiis etc. admoneri et commendari precibus, DEO possint. His interdum inscriptiones in librum solennes, respondent.

§. 1025. Quoniam *Polyandria* absolute l. N. aduersatur, quemadmodum *Polyginia, minimum* regulis commoditatis, quas Leges Nat. praescribunt (§. 289. seq. I. N.); DEVS vero sanctam, sanctorumque ecclesiam proprie amat (§. 1000.); nec Polyginiam, multo minus Polyandriam, in ecclesia iniungere aut permittere potest. Hinc *subiectum* seu *materia caussae efficientes secundariae* coniugii, *vnus* mas est, et *vna* femina. Gen. II. 24. Matth. XIX. 4. 5. 1 Cor. VII. 2. 4. Errant ergo *Sociniani, Polygamiam simultaneam*, vbi vno eodemque tempore plures vna in matrimonium ducuntur, ante promulgationem Christi, peccatum non fuisse, docentes; itemque

Ana-

Anabaptiſtae nonnulli; *Muhamedani* et Chinenſes aliique, eam defendentes 1) quia non ſit contra I. N. Reſp. omnino vid. prob. noſtram; eſt tamen contra poſitiuam. 2) DEVM *diſpenſaſſe* in V. T. Reſp. Neg. tantum ob Zelum maturandae Chriſti natiuitatis, et ignorantiam vſumque typicum Mal. II. 14. *tolerauit*. 3) *tantum* interdicitur Epiſcopo 1 Tim. III. 2. Reſp. non ſenſu excluſiuo. 4) Nunquam adducitur vt peccatum. Reſp. Non omnia in Sc. adducuntur. 5) 2 Sam. XII. 8. Reſp. *Dedi*, vt verbum Activ. permiſi ſeu potius *toleraui*, vertendum. 6) De ea lex extat; adeoque adprobatio. Deut. XXI. XXV. 5. Neg. conſequentia; inſtantiam vide Ex. XXII. 16. Num. XXXV. 25. Eſt enim de facto tantum humano, quod tolerauit, ſermo. In poſteriori, frater coelebs intelligitur. 7) Patres, in Peccato mortali deceſſiſſe. Diſt. inter peccatum mortiferum et veniale. Poenitentiam enim eorum adſpexit. Conf. reſp. ad dub. 2. Diſtinguenda etiam ſunt tempora et circumſtantiae, quae tolerantiam ſaepe poſtulant.

§. 1026. DEVS eſt ſanctus, adeoque harmoniam, etiam in legibus ſuis obſeruat (§. 59.). Hinc vbi leges et ordo nexusque mundi confunduntur et tolluntur, cum tamen intermitti poſſet; ibi permiſſio locum

locum non habet. Ergo et nuptiae inter parentes et liberos, in infinitum sunt prohibitae. Nam quia 1) reuerentia parentibus, omni tempore debita, in matrimonio, quod aequalitatem amat, cadit; itemque 2) finis DEI primarius, dum effectis iam parentes corporibus laborant, adeoque 3) vel nulli vel ad promouendam totius generis hum. infirmique existerent ,quo ipso 4) varia peccandi adulteriumque committendi ansa existeret, obtineri non posset (§. 319. I. N.). 5) *sancta* etiam ecclesia requiritur, cum tamen eiusmodi matrimonia ex lasciuia ortum trahere videantur; omni tamen modo 6) deprimenda; maximaque 7) non solum etiam quoad *generationes* in Republ. sed et 8) haereditates, officia et iura, lis et confusio metuenda, quo ipse felix neque 9) Respublica neque 10) ecclesia, quae sic corruerent, esse non possent etc. coniugia in linea recta ascendente et descendente, prohibere DEVS omnino debet. Et quia eaedem etiam in *vitricis* atque *priuignis* per principium reductionis (§. 86. Psych.) deprehendantur, rationes, et haec prohibita esse, quiuis intelligere poterit. Leu. XVIII. 7. seqq. coll. 1 Cor. V. 1. seqq. Quum itaque complexus hic personarum ab eodem *stipite* seu parente communi, descendentium, *consanguinitas* de qua h. §. loquimur, dicitur; hanc, nuptias impe-

impedire, palam est. Finge enim, si quis Neptem vel Proneptem, matrimonio iungere sibi vellet; quantae inter personas et officia orirentur confusiones? Vt vero eo distinctius declarare rem queamus, terminos reddamus distinctos. *Linea*, series dicitur personarum, a communi stipite descendentium; si eas, quae se invicem generarunt, solum consideramus, *rectam* dicimus. Deprehenduntur ergo in eo generantes, et generati. Quodsi ab his ad illos progredior, *ascendens*, sin vero a generantibus ad generatos procedo, *descendens* salutatur. Contra, series personarum, quae non se inuicem generarunt, consanguinitatem tamen inter se agnoscunt, linea nominatur *transuersa* seu *collateralis*. Denique distantia cognatorum a communi stipite, seu relatio cognatorum, qua cognoscitur, quae persona sit proprior vel remotior communi stipite, *gradus* dicitur. Quodsi personæ a communi stipite, eadem determinatione distant, *aequalis*; si non, *inaequalis* audit. Quemadmodum itaque graduum diuersitatem per *numeros*, alias exprimimus; ita et hic locum habet, et quidem *ordinales*; vt sit *primus*, *secundus*, etc. Vt vero numerare gradus, rite queamus, diuersa, quae hic conspiciuntur, iura a se inuicem distinguamus. Quum vero hic de *Iure* quaeratur; omnis res

res ad *Iurisprudentiam diuinam* seu Theologiam Moralem pertinet, in qua etiam, quia Theologiæ, partes, in nexu hic pertractamus, omnes, quæ de *consanguinitate* et *affinitate* dicenda sunt, sollicite explicabimus.

§. 1027. Quicunque ergo requisita physica (§. 1023. seqq.) et moralia (§. pr.) habet, coniugium inire potest. Quum itaque et Laici et Clerici, qui haud raro continentiæ dono non sunt ornati, his prædita sunt (per exper.); et his matrimonium inire licet. 1 Tim. III. 2. IV. 1. seqq. 1 Cor. IX. 5. seqq. Tit. I. 6. Ebr. XIII. 4. Errant ergo *Pontificii*, qui hoc negant, probantque 1) Tit. I. 8. Resp. de cibo, vel castitate, quae etiam in coniugio requiritur (§. 1023.), sermo. 2) 2 Tim. II. 4. Dist. inter curam moderatam et immoderatam; alias O. Christianis interdictum esset. 3) 1 Cor. VII. 5. Dist. a) inter preces *solennes* et *quotidianas*: illæ pro temporum horum statu, non solum ecclesiæ ministris, sed O. Christianis, non quidem vt præceptum, sed *consilium* dedit; alias b) ob 1 Thess. V. 17. non vllis liceret. 4) 1 Cor. VII. 1. Resp. loquitur de tempore persecutionum, quod ipsi, ob commoditatem maiorem (non ob turpitudinem) cum Apostolo disuademus. vers. 23. seqq. 5) Matth. XIX. 12. Resp. *Castrati* hic sunt extra matrimo-

nium qui viuunt, quod verſ. 11. *hoc verbum* (quod ſcil. verſ. 10. Apoſtoli protulerunt) probat. Hinc de dono continentiae, idque *libere* eligente, eſt ſermo, neque ſolum de *Clericis*. 6) impediuntur officia eccleſiaſtica. Neg. quod vel Sacerdotum V. T. exempla probant. Et quia *vota ſecunda*, etc. (quæ etiam *Polygamia ſucceſſiua* vocantur) ſeu iteratum poſt mortem coniugis primi matrimonium, per principium reductionis (§. 86. Pſych.), vt prima, ſpectari poſſunt; ideo Laicis et Clericis, et haec licita erunt; quod etiam ſilentium Paulli 1 Cor. VII. tot. multa alias referentis, Sacerdotumque V. T. quibus varia alias præſcribuntur, analogia aliaque inde fluentia mala et pericula e. g. 1 Tim. IV. 1. ſeqq. et Rom. VII. 2. 3. probant. Errat ergo *eccleſia Graeca*, quæ 1) et *Laicis* diſpenſationem, ſi ſæpius, quam ſecundum aut tertium, matrimonia contrahunt, iniungit; et 2) Clericorum (de *Monachis*, qui libere matrimonia negligunt non eſt ſermo) *Presbyterorum* maxime prohibent; nec eos, ſi ineant, ad Sacramentorum adminiſtrationem admittunt; Diaconos vero Subdiaconos etc. quibus, ſaluo officio concedunt, ad altiorem gradum non prouehunt; et probant 1) Luc. IX. 62. Reſp. Nec de coniugio aut Polygamia ſucceſſiua, ſed de Apoſtaſia a fide et initio

pœni-

pœnitentiæ loquitur. 2) 1 Tim. III. 2. coll. V. 9. Resp. a) Polygamia simultanea tunc temporis vsitata erat, quae vero vt aliorum, ita *præcipue* Episcoporum respectu, ne scandalum præbeant, damnanda. b) ad consuetudinem illorum temporum cap. V. 9. respicit, vbi feminae etiam maritatæ, tam inter Iudæos, quam Ethnicos maritos suos dimittebant, quarum exempla *Grotius* et I. C. Wolffius ad Marc. X. 12. profert. Non ergo ad Episcopos conclusio valet. Verum ex nostris h. §. principiis, *Senum*, quae defendimus, coniugia fortasse reiicienda putas. Sed male. Nam quia et mutuum adiutorium, ad fines, quos posuit DEVS (§. 1023.), secundarios licet, pertinet; et illi DEI finem assequuntur. Nonne etiam in aliis actionibus, ciuilibus pariter atque ecclesiasticis, ob finem secundarium agimus; quamuis primarium non semper obtineamus? 1 Reg. I. 2. seqq. Ruth. III. 10. seqq. Exulat enim, quæ in castratis, lasciuia.

§. 1028. *Diuortium* (diuersum a *Repudio*, seu relatione, qua pars, cum qua sponsalia contraxit, coniugium habere non velle, declarat) est dissolutio matrimonii partibus viuentibus. Quodsi ergo vna pars pacisentium, pactum non seruat, altera nec tenetur. Hinc 1) *adulterium*, quia etiam plures, in plures carnes 1 Cor. VI. 16. quod coniu-

gio repuguat Gen. ll. 24. iusta est diuortii causa. Matth. V. 32. XIX. 9. Protulit enim hic propositionem *exceptiuam*, sic resoluendam (§. 122. Log.): Q. non adulterantem repudiat, aliamque ducit, mœchatur; et, Q. repudiat adulterantem, aliamque ducit, non mœchatur. Et quia 2) in *malitiosa desertione*, finis coniugiiobtineri nequit; et hanc, iustam diuortii causam esse, negabit nemo. 1 Cor. VII. 15. Quae enim inde mala proueniant (§. 291. I. N.) adduximus. Ergo, vbi coniugium nec est, nec esse potest, separatio coniugum et dissolutio coniugii, *proprie*, diuortium adpellari non potest. Hinc si ob consanguinitatem aliasque causas Leu. XVIII. adductas, vel etiam impotentiam alterius, pactum disrumpitur; diuortium non erit; sed potius *improprie* sic dictum. Quodsi vero pars lædens, quia pacti naturæ non repugnat, in gratiæ sinum receptatur, coniugium poterit esse firmum. Sed dicis: ergo et ob insanabiles inimicitias, et pericula animæ et vitæ, actionesque educationi liberorum inimicas, et id genus cetera, diuortium, quemadmodum in desertione, locum habet. Verum negamus. Nam his in locis et reconciliatio et emendatio exspectari atque promoueri potest. Hinc, quia finis, quod concedimus, his non obtineri circumstantiis

potest,

potest, *separatio* quidem *qua thorum et mensam*, non vero diuortium est concedendum. Ergo et hæc, vti *mors, improprie*, diuortium vocatur. Manet ergo *per se*, sed non *per accidens* indissolubile (§. 291. I. N.). Errant ergo *Pontificii*, qui innocentem etiam, aliud contrahere matrimonium non posse, docent. Nam quamdiu *matrimonium* manet et est, non potest dissolui. Sed per adulterium, et malitiosam desertionem desinit matrimonium esse. Qua determinatione, omnia dubia corruunt. Officia vero coniugum ad Theol. Mor. spectant.

§. 1029. Quodsi ex matrimonio generantur liberi, a parentibus sunt educandi (§. 287. I. N.). Ergo relatio intercedit inter parentes et liberos, horum educandorum gratia subsistens, quæ, *status*, et *societas paterna* audit; de qua vero, vt et de *societate* seu *statu herili*, quæ societas simplex est, in qua quis (qui *seruus* dicitur) iuribus suis commoditatis posthabitis, mandatis alterius (cui *Domini* nomen) domesticis et ad commoditatem spectantibus, se subiicit, vt ab eo accipiat, quo viuere possit, in Theol. Morali.

CAP. XXV.

DE STATV ECCLESIASTICO.

§. 1030.

In *vera* ecclesia, et Verbum DEI praedicetur, et Sacramenta dispensentur (§. 1002.). Quum vero id nec ab Imperante, maximum cui iam onus impositum est; nec de statu domestico, quia scientia ad Theologum requiritur, quam, quæque ad Theolog. pertinent, ob varia huius status incommoda, Patresfamilias sibi acquirere haud possunt (conf. Cap. II. Prol.), exspectandum; peculiaris in ecclesia, status, necessarius esse videtur, verbum qui DEI doceat, Sacramentaque administret, qui *ecclesiasticus*, itemque *ministerium ecclesiasticum* vel *ecclesiæ* dicitur. Eph. IV. 11. seqq. Act. XIV. 13. Matth. XXVIII. 19. 20. 1 Cor. I. 21. Ergo ob adductas iam rationes, a *sacerdotio spirituali*, distinctum *munus* est (§. 929.). Tres ergo in *florente* ecclesia, *status* seu *ordines hierarchici*, *politicus*, *domesticus* et *ecclesiasticus* reperiuntur. Quoniam vero et Imperanti omnia collegia et societates subsunt (§. 1018.); et ad *Politiam*, hosce status pertinere, non negamus; si modo diuersam relationem attendamus, qua tota

tota in Logomachiam, controuersia abit; ita vt *Thomasii* vom Rechte eines Fürsten, aliorumque dubia cadant, posteriorem qui sententiam defendunt.

§. 1031. Competit ergo ecclesiæ ministro 1) potestas verbum DEI, pro *captu auditorum* docendi Col. I. 25. Rom. X. 15. et 2) sacramenta dispensandi 1 Cor. IV. 1. quæ *formam Ministerii* constituunt. Marc. IV. 33. 1 Cor. III. 1. 2. Luc. XII. 42. Ebr. VI. 12. Quum vero per verbum DEI et Sacramenta, fidem in hominibus accendere DEVS intendit et confirmare (§. 962. 995.); in administratione horum, semper ad excitationem et confirmationem fidei, minister ecclesiæ respiciat. Hinc *proximus finis* et *intermedii*, sunt illuminatio et conuersio Act. XXVI. 18. regeneratio 1 Cor. IV. 15. et reconciliatio cum DEO 2 Cor. V. 19. *vltimus* ergo, salus æterna 1 Cor. IX. vlt. 1 Tim. IV. 16. Ergo, quia auditores, quorum pro captu doceat, vel infirmi sunt in fide et vita, vel erroribus aliisque malis circumsepti, ad salutem tamen perducendi (per antec.); *Didascaliam* credendorum et agendorum, *Elenchum* errorum, *Padiam* virtutum, *Epanorthosin* vitiorum, et *Paraclesin* in aduersis, solide exhibeat, est necesse. 2 Tim. III. 16. seqq. Rom. XV. 4. 2 Cor. I. 2. seqq. Non

ergo *officium didascalicum* recte obseruant, qui non omnia fidei dogmata, proponenda populo putant 1 Cor. XI. 23. XV. 3. Quod ad *Elenchum* attinet, seu conuictionem per certa et immota principia (§. 202. Log.), vel dogmata respicit, vel vitam. Hic *Moralis*, ille, *doctrinæ* salutatur. Hinc vel ipsa dogmata moresque refutari possunt, sine denominatione errantium; vel cum ea. In priori casu, vterque elenchus, *realis*; in posteriori, *nominalis* dici consueuit. De vltimo, quæstio: liceatne eo vti? iam dudum agitata est; de priori enim dubitat nemo. Nam quia oppositа iuxta se posita, facilius eluceſcunt; ideo et veritates eo fortius assumuntur, quo certius eæ et *sine dubio*, cognoscuntur. Quodsi ergo ex Elencho, praesertim *nominali*, nihil vel in *veritatem*, vel in *ecclesiam* aut *Rempublicam*, commodi reduntet; nulla est ratio, cur eo vtamur. Ergo omnis res prudentiæ eius, cui arridet, relinquitur; adeoque ad Theol. pertinet Mor. Hinc in S. S. exempla prostant vtriusque Matth. XXIII. 1. 1 Cor. XV. 1 Tim. I. 20. 2 Tim. III. 16. Tit. I. 11. 13. Quoniam vero *priuatos* etiam inter parietes dubia proponi atque solui possunt, ita vt nihil damni, etiamsi publice Elenchum exercere non permittat Imperans, ecclesia sentiat; elenchum nominalem, et Imperans, quia ad externa

terna haud raro pertinet, prohibere in Rep. potest.

§. 1032. Minister ecclesiæ et Sacramenta dispensandi potestatem habet (§. pr.). Ergo id fiat secundum DEI præceptum *legitime*, ne in *essentialibus* quid mutetur 1 Cor. IV. 1. et quia sacras inter actiones pertinent; *præpostere* aut *negligenter* non se gerat 1 Tim. V. 21. 1 Cor. IV. 1. seqq. Ergo nec falsam doctrinam amantes, ad S. præsertim cœnam quæ fraternitatis signum (§. 989.), admittat; neque ob falsæ doctrinæ periculum, suspicionis, separationis et pharisaimi etc. *priuatim*, extra necessitatis casum, administrare eam, ipsi licebit. Nonne enim hunc in finem vt fungatur *Oeconomia* 1 Cor. IV. 1. ministerium, est institutum? Nonne sic ordo 1 Cor. XIV. commendatus, turbaretur? Ex Matth. quidem XVIII. 19. 20. *Fanatici* contrarium probare satagunt. Verum a) preces non sint contra ordinem (§. 91. 94. Ethic.). b) Nunquam etiam sacramentalem suam præsentiam, sic, quia contra ordinem, *certo* (non enim semper in Nomine Christi omnes adsunt) probabunt. Ergo nec promiscue contra fas detur S. Cœna ac denegetur. Hinc quæstio: num et irregeniti cæterum *orthodoxi*, ad S. illas epulas sint admittendi? agitabatur; quæ diu multumque cum ec-

cleſiam, tum eius miniſtros, vexauit. Ante omnia vero præiudicium elimenemus: irregenitos eſſe indignos; et porro concludamus: ſi et irregenitis, ob excitationem fidei deſtinata eſt (§. 989.); admitti hi, ab eccleſiæ miniſtris debent, quod Sc. S. 1) Matth. XXII. 4. 10. vbi de *mediis* in eccleſia, Verbo ſc. diuino et Sacramentis, agitur; 2) per ipſum, reſpectu excluſionis irregenitorum, quam, *vitia* quia et *abuſus*, Apoſtolus indicat, *neceſſario* proferre debuiſſet, *ſilentium* 1 Cor. XI. nec non 3) ob typum 1 Cor. X. vbi et irregeniti ad ſacramenta admittebantur, probat adprobatque. Plura vide (§. 988. ſeq.). Tela quidem in nos vibrant aduerſarii 1) ex Matth. VII. 6. Sed locus non de S. Cœna loquitur; nec ſues et canes ſunt irregeniti, ſed hæretici qualificati, hoſtesque perſecutores. conf. Cap. XV. 26. Pſ. LXXX. 14. Philip. III. 2. 2 Pet. II. 22. alias a DEI verbo etiam *arcendi* eſſent; quod tamen non præcipitur; ſed tantum ne illis ſancta obtrudantur. 2) Matth. V. 23. 24. Reſp. diſt. inter ius *abigendi*, quod nullum; et inter id, quod membris eccleſiaſticis *interdicitur*. Deinde *hodie ſi vel maxime* de oblationibus euchariſticis ſermonem eſſe, concederemus, ceſſat ratio, vbi non amplius illae, cum celebratione S. C. coniunguntur. 3) Matth. XVI. 18. 19. et XVIII. 15-19.

Reſp.

Resp. Neg. his in locis de S. C. loqui Christum. In priori enim nondum sequitur: cui peccata non sunt remissa, ille non potest ad S. C. admitti. In posteriori vero de *excommunicatione maiori,* seu exclusione ex societate ecclesiastica; non de *minori,* seu a cœna. 4) Ioh. XX. 21. seqq. Resp. Neg. consequentiam: qui peccata remittendi ius accepit; etiam a S. C. excludendi; non enim sunt synonyma. Nec a *iure,* ad *necessitatem;* a *licere,* ad *debere* V. C. Et si hoc vel maxime; ergo ad *omnes* irregenitos? 5) Rom. XVI. 17. 1 Tim. VI. 5. 2 Tim. III. 5. Tit. III. 10. Resp. Non de irregenitis *orthodoxis,* quod contextus probat, sermo; sed de haereticis qualificatis et seductoribus; nec ergo de excommunicatione *minori,* sed maiori. Ita 6) 1 Cor. V. non de minori, sed maiori loquitur; quod politica etiam interdicta familiaritas monstrat. Eadem distinctione, quæ 7) ex Apoc. II. III. quæ a reprehensione tolerantiæ improborum, desumuntur, tolli possunt. Immo potius de disciplina loqui Sp. S. videtur. 8) 2 Thess. III. 6. 14. 15. Resp. Contextus docet: peregrinos aduenas, non ipsa Thessalonicensia membra, intelligere Paulum; atque præcipere: non vt eos *excommunicent,* sed vt non *admittant.* Et vbi excommunicatio præcepta h. l. est ecclesiæ ministris? Denique obserues: ecclesiam illam

fuisse

fuisse *sanctorum*, a qua, ad *vocatorum*, qualis nostra, C. non V. 9) exemplo ecclesiæ primitiuæ. Verum hæc non semper nobis esse exemplo potest; multis quippe vitiis scatebat 1 Cor. III. 2. 3. V. 1. seqq. VI. 1-5. 2 Cor. XII. 19. seqq. XIII. Iac. IV. 1-13. V. 1. seqq. multo vero deteriores erant ecclesiæ, in prioribus seculis, siue *pietatem* spectes, siue *eruditionem*; id quod, mediocri tantum in H. E. modo versatis, ignotum esse non potest.

§. 1033. Sed dicis: irregeniti si admittendi (§. pr.); *ecclesiastica*, quae in primitiua, tam sancte colebatur, disciplina cadit. Verum ist est, quod negamus. Est enim *disciplina illa in concreto spectata*, vsus mediorum, quibus societas ecclesiastica conseruatur. Ergo quæ conseruationi obstant, per disciplinam sunt restringenda. In *abstracto considerata*, sunt media ipsa. Quoniam vero societas est ecclesia, *salutis* causa instituta (§. 1000.), quam sine fide consequi non possumus (§. 816.); media, naturæ fidei conuenientia, adplicari debent. Fides vero cum in notitia, assensu et fiducia consistat (§. 817.); quæ nonnisi rationibus atque motiuis oriuntur (§. 202. Log. et 130. Psych.); quæ hæc non efficiunt media, etiam non sunt adplicanda. Pœnæ ergo 1) *pecuniariæ corpo-*

corporisque 2) *afflictiuæ*, ad disciplinam ecclesiasticam nec *ministri*, nec *auditorum* respectu, referri non possunt; præcipue cum imperium *externum* et *coactiuum* respiciant, societati ecclesiasticæ inimicum. Multo ergo minus peccatores, iis sunt afficiendi; siquidem ab ecclesia vocatorum separari non possunt. Quo ipso tamen nostra non reiicimus ecclesiæ instituta. Nam, quia ecclesia etiam est in Rep. (§. 1018.); ecclesiæ membra vt Reip. *ciues* considerantur; qui, si peccata, Remp. quæ turbant, perpetrent; ab ecclesiæ ministris, sed non *qua talibus*: verum magistratus, qui ius ipsis hoc concessit, nomine e. g. a *Consistoriis* recte puniuntur. Ex eadem ratione nec 3) exclusio a S.C. ad disciplinam ecclesiasticam pertinet, siquidem nec excitari, quod etiam aduersarii volunt, nec confirmari sic fides potest; ne dicam ob *peccata*, quæ in vocatorum ecclesia, cui sacramentorum vsus competit, occurrunt, ne puniri quidem posse. Multo ergo minus excommunicatio minor, quæ contra finem, fidem sc. et salutem, locum inuenit; etsi de iis, falsa qui dogmata hac in doctrina fouent, ne ludibrio et illorum, et aliorum exponatur, facile illam concedo. 4) Laudes et præmia bonorum, nisi vniuersitati dicantur, ex eadem ratione, ad disciplinam pertinere non possunt. Et quia voca-

vocatorum ecclesia eiusque *media*, verbum DEI et sacramenta, in saluo manent, etiamsi peccatores inueniantur; nec 5) *publica*, nec 6) *semipublica pœnitentia*, ad ecclesiæ disciplinam, aliquid conferre videntur. Ast, quoniam societatis membra, facienda si negligunt, ad ea, quæ promiserunt, compelli possunt (§. 269. I. N.); *moneri*, *increpari* et *corripi* negligentes posse, palam est. Ex eadem ratione, respectu ministrorum ecclesiæ, et 8) *suspensio*, 9) *translocatio*, 10) *remotio* et 11) *degradatio* non licita solum, sed interdum et necessaria est. Denique 12) *hæreticus* qualificatus et pertinax, qui ecclesiam destruere adlaborat, membrum societatis esse haberique amplius nequit; quapropter excommunicatio maior seu *Bannus ecclesiæ*, omnino conceditur; etsi non propria auctoritate infligere eam possint ecclesiæ ministri. Semper enim ecclesia est in Republ. in qua summus Imperans, cui *Consistorio* committit aut Concilio (§. 1012.), quæ membra societatis esse vel non esse possint, diiudicare debet. Ob amorem vero, quem proximo debemus, omne odium, omneque anathema, ciuilis externaque ignominia, et peccatorum in templis, locus, absit. Hinc potestatem illam, quam *Traditiuam in potestatem Satanæ* dicunt, concedere non possumus. Quæ enim 1 Cor. V. ab Apostolo miraculo-

se

se facta, vocatorum ecclesia sumere sibi non potest; quamuis *exclusiuam*, a consortio aliorum. Et quoniam ius pœnarum imperanti competit (§. 1017.); ecclesiæ ministris, *vt talibus*, concedi non potest.

§. 1034. Minime ergo disciplina ecclesiastica, in nostra ecclesia exulat (§. pr.), etsi a prioribus, quia rationi et verbo diuino contrariatur, hac in parte recedat. Alia enim ipsis, e. g. *Gentilium calumniæ*, quasi meliori quam Gentiles non viverent modo Christiani; *ad Apostasiam procliuitas* etc. quam nobis iam, erant motiua. Interim disciplinam hanc seu excommunicationem minorem, in primitiua ecclesia nunquam auditam fuisse, illustr. quidem *Bœhmerus*, probat in *Iur. Eccles.* passim; etsi ratione temporis, quod Sec. XIII. putat, non consentio. Noli tamen putare, nos *clauium potestatem*, seu denegationem et annunciationem remissionis peccatorum seu absolutionis, negare velle; quam expressis verbis Matth. XVIII. 9. et Ioh. XX. 22. Sc. S. concedit. Habent ergo potestatem non *principalem* quidem et *independentem* Matth. II. 7; ast *ministerialem* et *delegatam*; siquidem ministerio eorum vtitur Christus. Hinc quia remissio peccatorum, 1) *confessionem* supponit, præterea 2) mandatum adest generale Num. V. 6. 7. et 3) promissio

missio Prou. XXVIII. 13. 1 Ioh. I. 9. 4) exempla etiam V. et N. T. Leu. IV. V. VI. Ps. LI. 1. 2. Luc. III. 12. Act. XIX. 18. 5) variaque inde commoda ad ecclesiæ ministrum et confitentem perueniunt; *confessio ecclesiastica priuata* ante S. Cœnæ vsum, non caret fundamento. *Obiectum* ergo ministerii ecclesiastici *reale* est, seu mysteria diuina, et *personale*, h. e. personæ in ecclesia. Act. XX. 28. 1 Pet. V. 2. 3. 4. Hinc nomina etiam, quibus in Sc. S. ministerium ecclesiasticum indicatur, intelligis. Dicitur enim munus Prophetarum, Sacerdotum, Vigilium, virorum DEI 2 Tim. III. Episcoporum 1 Tim. III. Presbyterorum 1 Pet. V. Doctorum Eph. IV. Seruorum 1 Cor. IV. Oeconomorum, Pastorum Eph. IV. προεςωτων, Ebr. XIII. συνεργων 1 Cor. III. et *stilo ecclesiastico, Clericorum*, quamuis *Laici*, qui ministerio ecclesiastico non funguntur, stylo Sc. S. ita essent dicendi 1 Pet. V. 3. Hinc quia ministerium ecclesiasticum tot tantarumque perfectionum participes reddit; reuerentia etiam et honore est prosequendum 1 Tim. V. 17. Et quia omnes actiones curasque in salutem ecclesiæ intendunt, quo ipso impediuntur, quo minus alio sibi prospicere modo possunt; cum obsequio venerabundo, et liberalis sustentatio, ne officium eorum vilescat, est coniungenda; quæ, *officia auditorum*

torum ex parte absoluunt Luc. X. 7. 1 Cor. IX. 9. Gal. VI. 6. conf. *Thomasii* diss. de officio Principis Euangelici circa augenda salaria et honores ministrorum ecclesiæ. Errant ergo *Anabaptistæ*, ministris ecclesiæ non licere salaria accipere, docentes, probantesque 1) Matth. X. 18. Resp. de quæstu ex Euangelio et miraculis faciendo, non de salariis, sermo. 2) Act. XVIII. 3. Resp. Apostoli immediate a DEO sunt *edocti* atque missi, quod secus est in ecclesiæ hodie ministris. conf. etiam Phil. IV. 18. Quodsi vero honore digni sunt; signa etiam honoris, *ordinis prærogatiuæ*, et honorum tituli denegari ipsis non possunt; id quod Sc. S. quæ *Patres* adpellat, et *Dominos* 1 Reg. XVIII. 13. Ioh. XIII. 21. etiam probat, cum et aliis, eos non denegemus. Et quia ob mores peruersos, sæpe odio eos et contemtu prosequuntur mali; ne auctoritas eorum lædatur, necessarii fere sunt. Phil. IV. 8. Vnusquisque porro Reipublicæ status, in *vestimentis*, ob *decorum* et prudentiam, distinguitur. Hinc non est, cur Clerici excipiantur, cum et in V. T. et Leuitis et Sacerdotibus, id DEVS iniungat. De Stipendiis vero et Salariis vid. Num. XVIII. 8. seqq. 1 Cor. IX. 1. seqq. Luc. X. 7. Gal. VI. 6. 1 Tim. V. 17. seqq. Impugnant hæc *Fanatici* 1) Matth. XXIII. 10. seqq. sed dist. inter vsum et abusum seu

affectationem et ostentationem. 2) Epist. Iud. 11. Act. III. 6. XX. 33. Matth. X. 9. Dist. inter lucri cupidinem, et alimenta necessaria. Distinguenda etiam sunt tempora; nec a defectu pecuniæ Apostolorum in ecclesia plantanda, ad pastores in ecclesia plantata, quæ in Republ. V. C. Quodsi vero honores et salaria ipsis non repugnant; 1) ob bonum ordinem rerumque ecclesiasticarum feliciorem directionem, 2) donorumque diuersitatem, dignitatis auctoritatisque gradus, inter ecclesiæ ministros admitti possunt; quod non 1 Cor. XIV. 40. in genere præcipitur; sed et in V. et N. T. adprobatur Ex. XXVIII. 29. Leu. XXI. 10. Num. VIII. 6. Eph. IV. 11. Errant ergo *Anabaptistæ* et *Puritani in Anglia*, distinctos qui gradus reiiciunt, 1) Matth. XXIII. 8. Luc. XXII. 25. Dist. inter gradus et dominium. 2) Tyrannis Pontificia rursus sic in ecclesiam inducitur. Neg. Nam et supremus, Imperantis etiam arbitrio est subiectus. Si ergo gradus admittuntur; episcopus altiorem ascendere locum potest, quam Presbyter, quod de hodierna et antiqua etiam ecclesia, concedo; sed *Iuris diuini* esse, ita vt Christus superioritatem hanc *positiue* instituerit? id est quod negamus. Nam 1) Ephesini Presbyteri, dicuntur Act. XX. 28. Episcopi; et 2) qui Episcopum ordinare possunt,

possunt, sunt Episcopi; E. et Presbyteri sunt. Episcopi 1 Tim. IV. 14. 3) 1 Tim. III. 2. Presbyteri sine dubio simul intelliguntur. 4) Tit. I. 5. 7. 5) Petrus ipse se Presbyterum vocat, in priori Ep. V. 1. 6) Patres eccles. nullum discrimen faciunt. vid. *Polycarp.* in Ep. ad Phil. apud Euseb. l. 4. c. 15. *Ignatius* in Ep. ad Magnesios; *Hieronym.* Ep. 85. ad Euag. *Audio,* inquit *quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris* i. e. *Episcopis anteferret.* Et postea: *Presbyter et Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen.* Errant ergo *Pontificii,* et *Episcopales* in Anglia, qui differentiam defendunt 1) Tit. I. 5. Resp. non sequitur: Q. Presbyteros constituit est Episcopus; quod vers. 7. declarat. 2) Angeli ecclesiarum Apolypt. fuerunt Episcopi. Neg. Sed primi tantum Presbyteri. 3) ex *Hieronymo,* qui in Comment. ad Tit. I. *in toto orbe,* inquit, *decretum est, vt vnus de Presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem ecclesiæ cura pertineret, et Schismatum semina tollerentur.* Sed vbi Titulus Episcopi?

§. 1035. Quodsi ergo docere debent atque sacramenta administrare (§. 1031.); *habilitas* requiritur atque *fidelitas.* Ergo 1) *Theologi* sint 2) *orthodoxi* 3) donisque docendi instructi (§. 1031.), quæ in Logica (§. 201. seqq.) et Politica (§. 152. seqq.) demonstrauimus; in Theol. Mor. latius

distinctiusque enumeranda. Quoniam vero Theologi sint; non iis solum, quæ ad officium rite instituendum pertinent, et *ministrantia* (Amtsgaben) vocantur; sed et *sanctificantibus*, fide *vera* et *viua* cum experientia spirituali 1 Cor. IV. 2. seqq. 1. 3. seqq. sint ornati, vt docendo et exemplo vitæ bene præluceant. 1 Tim. III. 2. 2 Pet. V. 2. seqq. Quum vero sine adplicatione donorum, quæ *fidelitas* dicitur, vana essent atque superflua; fidelitas in ecclesiæ ministro, necessario requiritur. Quoniam vero sic non ædificare solum; sed et salutem æternam respectu sui ipsius et auditorum promouere possunt, adeoque vsum præstant; omnisque vsus finis DEI (§. 37. Th. N.); *proximus* ille 1 Cor. IX. 19. Ezech. III. 17. Phil. II. 10. seqq. (§. 1031.), hic *remotus* dici poterit. 1 Cor. IX. vlt. 1 Tim. IV. vlt.

§. 1036. Quum vero non omnes, his §. pr. instructi donis reperiantur (per exper.); nec omnes *promiscue* ad ministerium ecclesiasticum sunt vocati, nec admittendi. Ad *vocationem enim internam*, et 1) *vires* seu facultates, 2) *inclinatio* s. desiderium et 3) *circumstantiæ* requiruntur (conf. diss. nostr. an miles gratuitus in prælio succumbens, vocationi diuinæ conuenienter moriatur?). Verum, quia 1) Imperanti, ecclesiæ ministros consti-

constituendi ius, competit (§. 1019.), et societas est ecclesia (§. 1000.); interna non sufficit *sola*, sed totius ecclesiæ et Imperantis determinatio in *Republica* et eccles. plantata etiam est necessaria. Hæc vero Imperantis et totius ecclesiæ determinatio alicuius personæ, ad potestatem publice in ecclesia docendi administrandique sacramenta, *externa* dicitur, mediata et ordinaria. Ita enim omnia in ecclesia decenter fiunt et 2) ordine 1 Cor. XIV. vlt. Hanc ipsam quoque 3) Sc. S. præcipit Tit. I. 5. 2 Tim. II. 2. Ebr. V. 4. Rom. X. 15. quod etiam 4) *Legatorum* DEI 5) 2 Cor. V. 20. et *Oeconomorum* nomen 1 Cor. IV. 1. quod ministris ecclesiæ imponitur, quique adeo principis atque domini domus, non propria, auctoritate, sua administrant, itemque 6) duratio ecclesiæ ad mundi finem (§. 1008.), docet. Quum itaque princeps, et Herus seu caput ecclesiæ Christus est (§. 1005.), et DEVS per ministerium ecclesiasticum, salutem in ecclesia viuentium procurare intendit, tanquam per opus ad extra; *causa efficiens principalis*, Christus est et DEVS Trinunus (§. 140.). Eph. IV. 11. Gal. I. 16. Ioh. XX. 21. Act. XX. 28. XIII. 2. *minus principalis* vero Imperans et Ecclesia; id quod et 1) *nomen* (*ecclesiæ* minister), et 2) *officium*, quo omnia ecclesiæ membra fruuntur, et 3) *praxis* primitiuæ ecclesiæ inde ab Apostolo-

rum temporibus, 4) *ſapientiaque* DEI, qua nihil *immediate* facit, ſi ordinariis mediis conſequi poteſt (§. 122. Th. N.), probat. Act. VI. 3. XIV. 23. Matth. XVIII. 18. 2 Cor. IV. 5. coll. Act. XX. 28. Hæc per χειροτονιαν, Apoſtolorum tempore, ſeculisque proximis, quod *Cyprianus* teſtatur, peragebantur. Et quia tres in eccleſia ſtatus ſunt (§. 1030.); omnes ad actum hunc ſeu *electionem* concurrunt, quod etiam *orationes ſacræ probatoriæ*, ante vocationem habendæ, teſtantur. Verum, quia ſapiens via breuiſſima ad ſcopum tendit; *electio repræſentatiua* ad clamores euitandos, et propter commoditatem, per ſtatum ciuilem et eccleſiaſticum concurrentes, *tacito* reliquorum conſenſu nixos, in noſtris eccleſiis, recte obtinet 1 Reg. II. 34. Tit. I. 5. Ex tacito hoc omnium conſenſu et ipſe Imperans ſolus (diſtinctione inter *Ius* et *exercitium iuris* obſeruata) eligere atque vocare poteſt. Quodſi vero per media ordinaria finem conſequi non poteſt, velut in eccleſia plantanda; ſine interuentu aliorum, ad eccleſiæ miniſterium vocare debet, quæ *immediata* et *extraordinaria* ſalutatur; qualis in Sc. *determinatis perſonis* Ier. I. 5. Matth. X. 1. *aliis*, vt hunc doctorem deſignent Ex. IV. 15. XXVIII. 1. 1 Reg. XIX. 16. et ſigno externo facta Act. I. 24. legitur. conf. 1 Sam. III. 4. Ieſ. VI. 8. Luc. III. 2. VI. 13. X. 1. Act. I. 2.

IX.

IX. 15. Gal. I. 1. Ergo quia DEVS causa efficiens est (per antec.); doctores ecclesiæ promittat Ier. III. 15. 1 Cor. XII. 28. necessariisque donis eos instruat 2 Cor. III. 5. IV. 6. indicetque, quæ ad officium gerendum pertinent Gal. I. 8. 2 Tim. III. 14. succedsumque laboribus salutarem largiatur Matth. X. 20. 1 Cor. III. 6. etc. Quum denique inter ideas contradictorie oppositas, tertia non datur (§. 64. Log.); *mixtam* concedere non possumus. Nam quamuis multæ artes multique abusus hominum, quod largimur, interueniant; concursus tamen DEI, quemadmodum ad Imperantes (§. 1016.), specialis, nullo negari modo potest (§. 138. Th. N.). Et, quia ad vocationem, *circumstantiæ* requiruntur et *dona*, præcipue scientia theologica, quæ in feminas, quibus domus familiæque cura iniungitur, non cadunt; nec *feminæ*, nec *quiuis ineruditi*, pro statu inprimis hodierno, *admitti* possunt. 1 Cor. XIV. 34. seqq. 1 Tim. V. 17. Coll. II. 12. Ergo tot tantaque ad ministerium quum referuntur (§. pr.); *pium*, de Collegio Candidatorum ministerii formando, *desiderium*, quod in quibusdam laudabiliter nunc regnis constituitur, commendari satis nequit. Errant ergo 1) *Fanatici*, *Quackeri*, *Anabaptistæ*, *Weigeliani*, *Schwenkfeldiani*, *Barclaiani*, *Poiretiani*, *Dippeliani*, *Rœmelingiani*, *Merkeriani*, mediatam vocationem

nem qui neceſſariam negant, miniſterium-
que ordinarium calumniis atque inuectiuis
lacerant, 1) quia ad bonum opus quale
miniſterium, non requiritur vocatio. Diſt.
inter bonum opus generale, et ſpeciale, ad
quod requiritur vocatio, e. g. etiam regna-
re etc. 2) quia non afferunt nouam doctri-
nam Diſt. inter officium ſ. *Ius*, et *potentiam*
prædicandi. 3) O. Chriſtiani ſunt ſacerdo-
tes. Reſp. *ſpirituales*, non *ordinarii*. Hinc do-
cere domi et priuatim poſſunt; non vero
publice. Sunt etiam *reges*. Cur ergo non
in Rep. imperant? Iac. III. 1. 4) *Merkerus*
probat Ioh. VII. 38. Matth. V. 15. ſeqq.
XXV. 27. 1 Cor. XIII. 7. Reſp. in omnibus
his ad libertatem *omnimodam* non V. C. 5)
1 Theſſ. V. 19. Sed de donis fortaſſe ex-
traordinariis, et operibus ſpiritus eſt ſermo.
6) 1 Cor. XIV. 27-33. Diſt. inter eccleſ.
plantand. et plantatam; non enim in hac,
quod in illa valet; originem enim ex am-
bitione ducit. 7) docere eſt opus charitatis,
quod O. iniungitur. Diſt. inter Op. char.
commune et proprium. Inſtantia a legatis.
8) Studioſi Theol. ſine vocatione docent.
Reſp. eſt exercitii gratia. 9) 1 Cor. XVI. 15.
Reſp. non ad miniſterium eccleſ. ſed ad mi-
niſtrandum ſanctis. 10) Exempl. primit.
eccleſ. Act. IV. 4. VIII. 5. XIV. 4. quod
etiam *Orig.* et *Ambroſ.* teſtantur. Diſt. inter
eccle-

ecclesiam plantandam et plantatam. Nec primitiua nobis semper est exemplo (§. 1032.). Errant II) et a) *Pontificii*, qui solis Presbyteris b) *Anabaptistæ*, qui solis Laicis c) *Arminiani*, qui solis Imperantibus adscribunt: 1) Vocatio sit Aaronis et Apostolorum similis; quoniam sacerdotes sunt eorum successores. Neg. Nam sic tantum immediata locum haberet. Moses enim vocationem diu. tantum *declarauit*; non ipse vt sacerdos, qualis non erat, vocauit. 2) Apostoli sine consensu Magistratus vocarunt Tit. l. 5. Dist. inter eccles. plantand. et plant. 3) Oues non vocant pastorem. Simile claudicat; dum Magistratus etiam pastores (§. 1016.). 4) Laici de doctrina Pastoris iudicare non possunt. Neg. possunt enim de donis et vita iudicare. Hinc constituuntur Consistoria. 5) Si totius esset ecclesiæ; tumultus excitàrentur. Neg. vid. antec. 6) Magistratui, tantum Politica competunt. Neg. (§. 1019.). 7) Potior pars eccles. est plebs, cui ergo competit. Dist. inter vocationem in sensu *latiori*, quo electionem, ordinationem et vocationem specialem complectitur; et *strictiori*. Errant III) *Fanatici*, qui et fœminis indoctisque concedunt, ob Ioel II. 28. seqq. Dist. inter *publice* et *priuatim* docere, quod illis conceditur. Præcipue vero stilo ex forma loquendi re-

busque V. T. desumto, vbertas cognitionis Christi delineatur. Ergo non proprie. 2) Luc. II. Act. XXI. Rom. XVI. Dist. inter munus *docendi* et ministrandi.

§. 1037. Electus hoc modo Candidatus *repræsentatur*, h. e. publice, vt ad ministerium vocatus, sistitur per 1) Patronum Episcopo ad confirmandum, ex more hodie recepto, si sint ecclesiæ patronatæ; 2) per Episcopum Collegio Theol. Consistorio, aut vrbis ministerio ad examinandum et consecrandum 1 Tim. V. 22. III. 10. 3) per eundem, vel *cum*, vel *sine* Patrono, *ad populum*, vt officium subeat et inchoet Pastor, quæ *inuestitura*, vulgo dicitur. Si quæ vero in *modo*, hinc inde differunt, consuetudini ea accepta feruntur, seu obseruantiæ multiplici, rem non mutanti; vt recte docet *B. Zeltnerus* in Summar. Theol. Dogm. Præter hæc vero, ritus in ecclesia obtinuit, quem *Ordinationem* vocant, quæ Actus est, quo vocatus et examinatus ad publicum munus ecclesiasticum destinatur. Hoc ergo modo a profanis negotiis segregatur; et munus ipsi suum commendatur; *publicumque* officii sibi demandati accipit testimonium, quæ *finem ordinationis* constituunt. Act. XXII. 3. Moris vero est, vt ordinatio fiat ab Episcopis vel Presbyteris 1 Tim. IV. 14. Act. XIII. 3. coll. Num. VIII. 10.

10. qui ergo *causæ* sunt *ministræ*, quia iure diuino non differunt (§. 1034.), et quidem per *preces* et *impositionem manuum* seu χειροθεσιαν, quæ *exemplo* Apostolorum potius, quam *mandato*, vt ritus, quo tam *ecclesia*, hunc, digito quasi extenso, rite electum, vocatum, examinatum, et sic ad munus ecclesiasticum determinatum; quam *ipse nouus minister*, benedictionis, quæ olim imposita manu peragebatur Gen. XLVIII. 14. Matth. XIX. 15. diuinæ, et fidelitatis in munere; seque iam DEO consecratum, quod in victimis olim obseruabatur Leu. I. 4. admonetur. Quum itaque tot tantaque in ecclesiam eiusque ministrum redundent bona; quæ omnes appetunt (§. 128. Psych.); *necessaria* quidem est; sed, quia ex essentia ministerii non sequitur (Apostolorum non ordinatorum quod exemplum, obsidionisque et pestis tempus, aut si bello inter Paganos captus eligeretur etc. vbi nulla ordinatio peragi posset) non *absolute*. Hinc haberi si potest, non est negligenda. Ergo si Presbyter et Episcopus non sunt iure diuino distincti (per antec.); ordinatio per vtrumque erit valida. Hinc et *Lutherus*, (qui A. 1507. vocatus et ordinatus, et A. 1508. ad Presbyterium et Professionem Theologicam, FRIDERICI Electoris consensu vocatus conf. T. IX. Vitemb. A. 1512.

Doctor

Doctor creatus, veritates Theologicas docendi, propagandi, reformandi et propugnandi potestatem accepit) et *ministri Lutherani*, legitime sunt vocati et ordinati. Nam vocati sunt 1) ordinatique Apostolica consuetudine, 2) veritatesque Sc. S. secundum eius præscripta propagant, et 3) totius ecclesiæ, cui competit (§. 1035.) consensu, ius illud obtinent. Errant ergo *Pontificii*, qui id negant et probant 1) Lutherum ab ecclesia Pontificia ordinatum. Resp. Ergo et ius docendi etc. accepit 2) Hinc doctrinas Pontificis propagare debuisset. Resp. Neg. quia erat corrupta. 3) Non vocatum esse *mediate*, nec *immediate* ad doctrinæ nouæ reformationem. Resp. Neg. Professoris enim Theologi est, vt veritates in apricum producat; nec Lutheri doctrina noua et ab ipso excogitata demum est. 4) Si verus Pastor qui Lutherum ordinauit, fuit; secedendo est Apostata; si Lupus; non potuit ab eo inaugurari. Resp. Diuersa relatione et verus *pastor* fuit, quatenus officia ministri ecclesiæ ipsi erant iuncta; et *lupus:* cum, quæ episcopo iuncta sunt, non præstitit. 5) Lutheranos ministros ab *Episcopo* non ordinari. Resp. Presbyter et Episcopus non differunt; et quia ordinantur hodie a Superintendente, qui sec. Ius. Can. Dist. 21. Cap. Cler. etiam *Episcopus* dicitur, etiam ac Episcopo

scopo ordinantur. 6) Laicis non esse ius in constituendis ecclesiæ ministris. Neg. (§. 1035.). 7) Non ordinari cum omnibus ceremoniis; siquidem *vnctio* et sacrificium missæ exulat. Resp. Hæc in ordinatione Apostolorum non conspiciuntur. vid. Act. VI. 6. XIII. 3. 1 Tim. IV. 14. 22. V. 22. Hinc quia ritus Pontificiorum non sectamur; ordinatio nostra *ad reliquias Papatus non est referenda*; sed vere est Apostolica. Ob definitionem denique Sacramenti (§. 993.), ordinatio, Sacramenta inter, elementum quia non adest *substantiale* (simpliciter enim et absolute ordinatio necessaria non est per antec.), fœderisque euangelici bona non exhibentur (*quænam* enim?); dici sacramentum non potest, nisi in sensu latiori sacramentum cum Apolog. A. C. Art. XIII. sumas; quo a significatu, nostra ecclesia abhorret (§. 993.).

CAP. XXVI.

DE MORTE TEMPORALI.

§. 1038.

Per ecclesiam eiusque ministros ad salutem æternam perducitur homo (§. 1035.). Quoniam vero plenæ eius participeps

ticeps fieri, nisi morte temporali, resurrectione, iudicio extremo, quibus vita et mors æterna succedit, quæ ἔσχατα s. nouissima dicuntur, potest; etiam de his agendum erit, quæ ergo recte media executiua vel isagogica adpellantur. Verum in genere tam, quam in specie iam de morte pro scopo nostro, egimus (§. 287.); vbi *Hominis* vel *totius suppositi* seu *temporalem*, priuationem virium descripsimus, quibus ea peragere non possumus, quæ animali rationali sunt possibilia. Quum vero animalia, anima etiam prædita sunt, facultatis sc. cognoscitiuæ et adpetitiuæ superiori, rationalia; inferiori, irrationalia (§. 95. Pn. oc.); *vita animæ animalis* ex mente scholasticorum, est perseuerantia virium facultatis cognoscitiuæ et adpetitiuæ partis *inferioris*: superioris vero, *vitam animæ spiritualem philosophico sensu* seu *rationalem* constituit. *Vita* itaque *corporis* est perseuerantia virium, quibus ea peragere potest, quæ ipsi per naturam suam sunt possibilia. Quum itaque hæc per circulationem sanguinis fiunt (§. 340. Phys.); vitam corporis in circulatione sanguinis consistere, palam est Leu. XVII. 11. Ex oppositio intelliguntur mortis species, vitæ oppositæ (§. 64. Log.). Verum anima constat homo atque corpore (per def.). Hinc per mortem temporalem,

totus

totus iam *homo* moritur; quamuis, anima quia immortalis (§. 145. Th. N.), corpusque in cineres resolutum, quoad partes suas, quæ substantiæ, adeoque et vi agendi præditæ, *viuum* remanent (§. 67. Ont.), (quod effluuia *oderifera* probant) non *totum hominis*. Et quia P. O. tenaci et actuoso contaminatus homo s. carnalis est (§. 368. 373.), perseuerantia virium ad mala, *hominis vita carnalis* recte salutatur; quæ rursus vel *habitualis* est vel *actualis* (§. 383.). Denique in temporali vita, vel legibus conuenienter, siue minus agere potest homo. Quodsi illud fiat, ita vt gratia, instinctus naturales determinet, homo non peccat; in casu opposito, peccat (per def.).

§. 1039. Hominis ergo mors, non necessariam animæ a corpore separationem requirit (§. pr.); quamuis præsentia inter partem vtramque negetur. Nam quia ea peragere in morte non possumus, quæ animali rationali sunt possibilia; anima iam harmonice in corpus s. si mauis, cum corpore agere amplius non potest. Quoniam itaque relationem innuit *præsentia* inter entia, vbi vnum immediate agit in alterum (§. 988.); anima corpori, et corpus animæ non est præsens. Totum enim, quod hic forte dubium oritur, ex falsa et obscura præsentiæ idea prouenit; id quod ex omni præ-

præsentia diuina illustrari et comprobari potest (§. 60. Th. N.). Quum ergo membra corporis successiue mori possunt, quamuis anima adhuc in corpore habitet; anima, si omnia iam morti tradita membra sunt, siquidem contradictionem non inuoluit (probanda enim!) manere in corpore potest, per omnia mortuo; quod etiam patet, quia, nec viuo corpore, omnia membra, experientia etiam comprobante, regit. Hinc quæstio: vbinam anima *bis mortuorum* 1 Reg. XVII. 22. 2 Reg. IV. 35. XIII. 21. Matth. IX. 25. Luc. VII. 14. Ioh. XI. 43. Act. IX. seqq. fuerit? solui facile poterit. Nam quia vitam his naturalem DEVS concedere rursus decreuit; et tanquam sapiens, miracula sine necessitate non auget; in corpore animam mortuo fuisse, *Paullo* etiam Act. IX. comprobante, dubio certe caret. Quodsi ergo a corpore in semel mortuis, anima, corpore in cineres redacto, separatur; quod ipsi facile largimur; separatio non *essentia*, sed *consequens* mortis est dicenda. Hinc dubia Luc. XXIII. 46. 2 Cor. V. 8. nostram non stringunt thesin, quippe quæ de statu animæ post mortem agunt, infra pluribus explicando.

§. 1042. Quum itaque priuatio perseuerantiæ virium etc. mors audit (§. pr.); inter

causas

cauſſas mortis, referenda certe omnia ſunt, quæ priuationem hancce promouent. Quum itaque peccatum, DEI ordinem, viresque conceſſas, etiam quoad corpus turbant (§. 293.); corporis mortem, adeoque et hominis (§. pr.), a peccato prouenire, tanquam cauſa poſſe, liquet; id quod porro non ex comminatione ſolum DEI (§. 294.); ſed ex ipſo etiam P. O. per mortem penitus deſtruendo patet (§. 370.). Rom. V. 12. VI. 23. P. vero O. omnes homines *naturaliter* geniti (excipitur ergo Chriſtus, qui libere mortuus (§. 438.) ſunt contaminati (§. 354.). O. ergo illi homines, *Subiectum quo mortis,* conſtituunt. Non tamen cum *Clauaſio* aliisque facimus, qui, omnes, die nouiſſimo etiam ſuperſtites, morituros ac deinde reſurrecturos eſſe, perhibent. Hi enim, vti *Elias* atque *Henochus, immutatione,* morti analoga, ſiquidem finis eorum vitæ animalis, hoc *tantum* in nexu neceſſariæ, adeſt, *ſoporis inſtar,* (*accidentalis* enim depoſitis ſcil. corporis accidentalibus (§. 1043.); non *eſſentialis* immutatio ſtatuenda) qualis erit animæ ſtatim poſt mortem corporis, quam dilucidius infra enodabimus, ad immortalitatem ſunt traducendi. Ebr. IX. 27. coll. 1 Cor. XV. 51. Errant ergo et *Raſchi* aliique *Iudæorum* cum *Druſio* Lib. de Henocho, qui Henochum morte affectum, contra Script. aſſerunt.

Causa ergo *impulsiua externa* P. O. adeoque et lapsus est *parentum;* qui adeo et *ipsi* Rom. V. 12. 1 Tim. II. 14. vna cum *Diabolo* Ebr. II. 14. Ioh. VIII. 44. *causæ efficientes morales* recte dicuntur. Et quia ob iustitiam peccata DEVS punire omnino debet (§. 61.); et DEVS, vt iustus iudex infligens, et dictatam illam *ἀναλυσιν* exequens, inter *morales* recte referri posse videtur. Gen. II. 17. III. 22. Ps. XL. 3. Hinc *finis DEI per se,* iustitiæ et veracitatis executio; *Diaboli* vero, potestatis in mortem, vt Carnificis, vbi potest, exercitium. Ebr. II. 14. Ergo *causa impulsiua interna inductionis,* odium est et inuidia Diaboli Sap. II. 24. *executionis,* Iustitia DEI uindex et veracitas Gen. II. 17. III. 22. Denique quum inordinata vitæ directio, inordinatum sanguinis motum et hinc morbos et mortem producunt (§. 293.); et *hæc;* quique ad illam nos quoque modo, imperando, aut suadendo etc. perducunt, mortis causæ, salutari possunt, et quidem *physicæ* (§. 76. Ont.). Physicæ ergo rursus in *naturales,* quæ viribus ad vitam hominum necessariis priuant; et *præternaturales,* quales inordinatæ actiones, et qui hinc oriuntur morbi, sunt; et *violentas,* quæ *instrumentorum* vi, mortem *accelerant,* recte diuiduntur. Ex his vero, nec de morte *metonymice* tali, seu de re mortifera 2 Reg. IV. 40. Ex. X. 17. nec de *secunda,* damnatione æterna

æterna Apoc. XX. 14. nec de spirituali (§. 287.), nec de *morte fidelium*, qua *peccato* Rom. VI. 7. 1 Pet. II. 24. *mundo* Gal. IV. 14. *legi et ceremoniali et* morali, quippe a quarum *coactione* et *accusatione* liberati sunt 1 Tim. I. 9. Rom. VII. 1. 2. sunt mortui, nos loqui, facile quiuis intelligit.

§. 1041. Beatitudo quærenda est post hanc vitam (§. 137. Ph. Pr. Vn.). Per mortem igitur, alias consequi eam non possemus, introducimur. Quum porro 2) variis rebus, ad vitam corporis hominisque necessariis, carere pii non possunt, quæ ipsis vt creaturis *finitis*, res accurato interdum iudicio non æstimantibus, ad mala, præbere motiua possunt et peccata (§. 10. 13. Diss. Prol.); ita vt haud raro 3) gratiæ impulsus, adpetitumque rationalem, sensitiuus vincat vitaque carnalis, quo ipso infelices redduntur; quales etiam 4) per P. O. *actuositatem*, ad varia peccata solicitantem, dum magis ad res externas, si immortales, traherentur; immortalitate huius vitæ, meliorem esse mortem, quiuis introspicere poterit. Accedit 5) quod vera P. O. exstirpatio, nonnisi morte temporali obtineatur (§. 370.). Ne iam 6) de infectatione, persecutione aliisque malis, ab hominibus peruersis exspectandis, dicam. Quum itaque Mors tempo-

ralis, tot tantorumque participes bonorum reddit; piorum mors non malum est; sed bonum, immo malorum finis et liberatio, ianua atque ingressus in vitam et requiem Apoc. XIV. 13. quod 7) ex fœdere Euangelico etiam intelligitur; quæ liberatio *finis DEI per accidens* est. Ioh. XI. 11. 25. Rom. VII. 24. Phil. I. 23. 1 Thess. IV. 13. seqq. Ergo si hac relatione consideramus mortem, non pœnam esse piis, affirmare valemus Ioh. XI. 11. Psal. CXVI. 15. Quodsi vero vt priuationem vitæ, adeoque imperfectos, corporis ratione nos reddentem, intuemur, malum est (§. 36. Ontol.), a DEO tanquam nostro Imperante ob peccata proueniens (§. pr.). Hinc pœna dicitur omnino (§. 52. Ph. Pr. Vn.); et *proprie* sic dicta mors; in priori vero *metonymice* talis intelligitur. Logomachia ergo controuersia est, in *Batauis* agitata: *vtrum fideles moriantur, nec ne?* viuificantur enim cum Christo 1 Cor. XV. 22. Contra, impios si æstimemus; quia bonorum, quæ paullo ante ab initio h. §. commonstrauimus, participes non redduntur; nec bonum ipsis mors est, sed malum et pœna proprie sic dicta (per def.). Ergo et vere etiam moriuntur. Impii vero, quatenus orthodoxi, ad ecclesiam vocatorum pertinent (§. 1000.). Ergo, quia per putrefactionem P. O. radix (per mortem enim sensus

senſus iam ſublatus) tollitur (§. 370.) et ſic corpus reuerti in puluerem debet Gen. III. 19. quod optime per ſepulturam obtinetur (per exper.); et pii et impii ſunt ſepeliendi Gen. XXIII. 4. Deut. XXIV. 6. 2 Sam. II. 4. 5. Dan. XII. 2. Ioh. V. 28. et orthodoxi quidem, ad vnicam ſocietatem eccleſ. pertinentes, nec morte finiendam, in ſepulcretis *ordinariis:* quæ ideo germanice, quia corpora quaſi ſeminantur, vt in die nouiſſimo reuireſcant 1 Cor. XV. 37. Ier. XXIII. 19. (Gottesäcker), et a loco templis vicino, (Kirchhöfe) adpellantur; heterodoxis, qualificatis vero et præfracte malitioſis quia ad noſtram non pertinent ſocietatem eccleſiaſticam, concedi honorifica ſepultura non poteſt, nec locus *in* cœmeteriis noſtris 1 Reg. XIV. 11. XXI. 23. Ier. XXII. 19. Aſt, quia infantibus in eccleſia natis, etiamſi ſine baptiſmo decedant, ſanctitate enim externa ſunt ornati, ſalus æterna denegari non poteſt (§. 983.), ſiquidem defectu non deſpectu laborant; ideo et ordinariis ritibus, quod Pontificii negant, ſepeliri poſſunt. Verum dicis: ſi 1) corpora hominum ſunt contumulanda (per antec.); barbarum eſt, ſi facinoroſorum corpora relinquantur inhumata, præcipue cum ſic 2) nec exſtirpari P.O. poſſit; adeoque 3) de ſalute eorum dubitatio oriatur, et 4) deforme ſpectaculum;

immo 5) ipſæ id prohibeant S. paginæ Deut. XXI. 22. 23. Verum Reſp. ad 1): antecedens iam limitauimus, adeoque eſt vitium elenchi Ad 2) Neg. exſtirpatio enim per putrefactionem, quæ et ſine humatione et ſepultura obtinetur (per princ. phyſ.), oritur; adeoque 3) de ſalute eorum, vera ſi interceſſit pœnitentia, non eſt dubitandum; quod, martyrum etiam mors, dubium et inſtantia euertit. Ad 4): fieri per accidens, dum pœnæ in non ſepultis poſthumæ alius, ne alii id perpetrent, finis. Ad 5): Iudæorum ea fuit lex forenſis et ceremonialis, ad Chriſtumque reſpiciens Gal. III. 13. Ioh. XIX. 31. Ergo corpora *ordinarie* ſi contumulanda; Romanorum more non ſunt cremanda, non in aquam mittenda, non beſtiis obiicienda. Ceterum de ſepultura *honeſta* et *inhoneſta*; *ſolemni* et *minus ſolemni*; *canina* ſeu *aſinina*, legendi Scriptores Liturgici, Iuris eccleſ. et Theol. Mor. in qua et nos, omnem hanc cauſam dilucidius euoluemus; conf. interim *Caluœri*, Ritual. eccleſ.

CAP.

CAP. XXVII.

DE RESVSCITATIONE ET RESVRRECTIONE MORTVORVM.

§. 1042.

Corpore noſtro per mortem in cineres redacto, immortalis adhuc anima eſt ſuperſtes (§. 145. Th. N.), quæ vno cum illo, *indiuiduum*, quod Philoſophorum filii loquuntur, conſtituit. Quodſi vero indiuiduum, 1) Ens eſt omnimode determinatum (per def.); corpus, quod animam includit, ad hanc præciſe determinatum eſt, et non ad aliam; quod et de anima valet, quæ ab 2) *indiſcernibilium principio* ſolidiſſime ſuffulciuntur (§. 53. Coſm.). Nam, quia nulla omnium facies (ſic vero et de aliis corporis velim noſtri iudicium feras), alterius *perfectam* refert ſimilitudinem (per exp.); tuam quæ partes conſtituunt, componere meam non poſſunt. Quam peruerſæ enim, corpus ſi Sanguinei, Melancholici coniunctam haberet animam, ederentur actiones? Quæ vero, quam obſeruauimus mentem inter atque corpus noſtrum, harmonia, a DEO quia homo dependet, ſummo, quod pie venera-

mur, Numini ortum debet. Sanctissima ergo est pariter atque sapientissima (§. 59. 54.). Fines ergo atque media cum inter se nectat sapiens (§. 54.); hunc, vt *suum* ipsius, hominum quiuis, corpus *proprium* cognoscat, sine dubio habuit finem. *Meum* ergo *corpus* definiri, vt mihi videtur, recte potest, quod ita animam ambit, hæc, vt per illud, suas peragere actiones possit. Meum ergo, animæ non conuenit tuæ, nec tuum, meæ. Quodsi vero corpus attendimus nostrum; ex plurimis, quæ per mortem dissoluuntur, particulis constare, deprehendemus; quarum aliæ materiam constituunt *cohærentem*, aliæ *interlabentem*. Illa in Physicorum scholis, in *constantem*, *essentialem* si vocare placeat, non repugnabimus; et *variabilem*, seu *accidentalem* rursus dispescitur (§. 11. Phys.). In corpore, quod nostrum dicimus, animaduerti omnes, is solum negabit, animam qui gerit, naturalis sapientiæ principiis destitutam; phthisi enim laborans, vel cibis laute pastus atque refertus, sententiam suo nostram corroborabit exemplo. Demta ergo, quam corpus refert, materia et interlabente, et variabili; constans remanet, quæ corpus constituit *meum*. Quum itaque ad manifestationem gloriæ suæ hoc vniuersum creauit DEVS (§. 196.); quæ, multo maior clariorque euadit, si corpus per

per mortem destructum, in cineresque redactum, rursus restituat, dum attributa eius nouo et maiori modo exsplendescunt, corporaque excitata declarant, quod statim extra controuersiæ aleam ponemus; corpora per mortem destructa, certo quodam ac *determinato* tempore (quod sapientia Eius, quæ omnem *casum*, excludit, optimaque media et sic etiam *opportunum* tempus requirit, demonstrat) corpora restituat cumque animabus ita coniungat, vt harmonia animæ et corporis nostri rursus conspiciatur. Hæc vero actio cum *mortuorum resuscitatio*, dicatur; mortuorum resuscitatio negari nequit. Ex hac vero, harmonia (vt ex *causa*, *effectus*) corpus inter antea mortuum atque mentem oritur restituta, quæ vocari *resurrectio mortuorum* consueuit. Quis ergo negare, resurrectionem iure poterit? Accedit, quod 2) piis impiisque vita, beata illis, his cruciatibus repleta, post corporis mortem sit exspectanda (§. 146. 147. Th. N.). Quum itaque non anima peccauit sola, sed totum suppositum s. homo; et totum, pœnas præmiaque recipere, non sine insigni probalitatis specie, concludimus. Fac enim, hominem virtute alias conspicuum, per omnia, vbi inter mortales versatur, tempora, et morbis et persecutionibus, corpus quæ simul tangunt, excruciari; alium vero vitiis con-

taminatum lautis delicatissimisque, ad corpus etiam, recreari voluptatibus; aliosque variis persequi modis. Quodsi vterque eodem fruatur corporis exitu; nulla, inter actiones horum, et quæ inde fluunt effectus, conspiceretur proportio, cum tamen bonæ alias, bonos; malæ, malos, ex intentione supremi Numinis producant effectus (§. 52. seqq. Ph. Pr. Vn.); adeoque disharmoniam, quæ sanctitatem in DEO tollit, inducit. Quod cum sit ἀδυνατον (§. 59.); corporum resurrectio, qua illa, proportionatis pœnis præmiisque afficiantur, est admittenda. Adhæc 3) animam finitos inter spiritus referri, ignorat nemo. Hinc a corpore separata, in continua *eiusdem* obiecti euolutione vel perseuerat; vel ipse, quem videt, DEVS, nouas in ea sensationes producit; vel aliæ res externæ, illas excitare solent. Primum contra ipsam beatitudinis naturam, nouas quæ veritates continet, ipsasque sacras paginas pugnat; secundum, ob continua, quæ sic admittenda essent miracula, conceditur a nemine. Ergo tertium est in solis mensa. Quum vero res externas, vt præsentes, per sensationem, et indiuiduales, quæ vim cogitandi limitant, sibi repræsentet; corpus, quo vis illa limitatur, adesse, facile introspicere possumus. Nouum, ob plura vel eadem etiam, quæ fingi miracula debent, con-

consideratis præsertim probatione nostra prima et secunda, concipere ob sapientiam Eius, qua plura nostro, quam alieno consequi corpore potest, non producit DEVS. Ergo nostri, cum mente sua, harmonia est restituenda, quæ *resurrectio* dicitur (per def.); quæque adeo negari nequit. Et quia hoc in casu, eadem Omnium est relatio (per antec.); resurrectio *mortuorum*, erit vniversalis. Clariori vero luce radiat nostraque confirmat Sc. S. Dan. XII. 2. Ioh. V. 28. 29. Act. XVII. 31 32. 1 Cor. XV. tot. 1 Thess. IV. 13. seqq. Noli tamen, ex ratione nos deduxisse, mirari; *Paullo* alias contradicis Act. XXVI. 8. 25. de resurrectione peroranti. Errant ergo *Sadducæi, aliique*, vniuersalem resurrectionem negantes. 1) Ps. VI. 6. Resp. membris corporeis, quamdiu sc. sunt mortui. 2) Eccles. III. 19. Resp. *Quis scit*; vt verbum actiuum, *affectiue* et *effectiue*, Ebræorum loquendi more est reddendum: quis *considerat, accurata mentis lance perpendit.* conf. Ps. XC. 11. Es. LIII. 1. Hos. XIV. 10. etc. 3) Ps. LXXXVIII. 6. Dist. cum *B. Geiero*, inter memoriam *simplicem* et *beneuolam.* 4) Iob. XIV. 12. 14. Resp. ad hanc vitam, quod limitatio: *donec atteratur cœlum*, probat. Comma vero 14, vniuersalem potius probat. Ob contextum enim vertendum: *Nonne, si quis moritur, iterum resurget?* 5) Ies. XXVI. 14.

Resp.

Resp. Gigantes, sunt principes et Imperantes, qui spirituali modo, ad ecclesiæ amplificationem surgere, i. e. vires adplicare seu eam promouere nolunt. Sumitur enim hic resurrectio 1) *improprie metaphorice* et *metonymice simul*: quemadmodum etiam *metaphorice* partim a) pro conuersione, quæ et resurrectio prima vocatur Apoc. XX. 5. Eph. V. 14. et b) liberatione ex malis Ps. XLI. 9. partim *metonymice* Ioh. XI. 25. sumatur. Errant ergo II) et *Sociniani*, qui cum Iudæis quibusdam, *impiorum* resurrectionem adeoque vniuersalitatem inficiantur. Etsi enim et nos ipsi, non omnium indiuiduorum (de *hominibus* loquimur), sed re *mortuorum tantum* (excipitur ergo Henoch, Elias ceterique die nouissimo viuentes) defendamus (per def.); non tamen iis assentimur, dum iustos iniustosque resurrecturos esse affirmamus. Act. XXIV. 15. Apoc. XX. 12. Matth. XXV. 32. Probant quidem 1) resurrectionem esse beneficium. Resp. Fallacia est dicti secundum quid; glorioſa enim, est beneficium. 2) Dan. XII. 2. Resp. *multi*, sumitur *collectiue*, non *distributiue*; vel si de piis tantum sermo, non ideo excluduntur impii; vti 2) 1 Thess. IV. 16. Ergo ex hoc formari dubium nequit. 3) Ps. l. 5. Resp. *consistent*. 4) Mala non sunt in Vita æterna. Resp. quoad bonos.

§. 1043.

§. 1043. Quodsi vero 1) corpus piorum et impiorum; *qui* hac in vita vixerunt, resurgit (§. pr.); non aliud, quam quod ipsis hac in vita *proprium* fuit, ob pœnas præmiaque sequentia, intelligitur 2 Cor. V. 10. Ergo nec *nouum*, nec *mixtum*, nec *alio modo compositum*. Vnum ergo prorsus non mutatum, quod *idem* dicimus *numero* (§. 26. Ont). Hinc corpora numero eadem sunt resurrectura; alias enim harmonia corpus inter et animam haud *restituitur*, adeoque 2) tota pernegatur resurrectio (§. pr.). Hinc *maximi*, hæc, quam et maximo et eodem ardore et diligentia probat et defendit S.S. quam iustificationis de corpore numero eodem doctrina, est momenti. Quodsi porro 3) individua, quæ omnimode sunt determinata, consideramus; ex nulla, capitis si dicam parte, componi pes vel alia, ob proportionis ad partes alias necessariæ defectum, poterit; quod rursus *eiusdem* corporis *ανασασιν* probat. Si corpus 4) cum anima restituitur, homo renascitur (per def.); *alius*, si alio variato que corpore vestitur. Quum itaque nec homini, peccatori hac in vita infligerentur pœnæ, sed ab eo diuerso; *veritatem* DEI, triplicem qui hominibus vitam mortemque proposuit (§. 294.); nec *iustitiam*, non peccans, punientis, conciperemus. Temporalem enim in *eodem subiecto*, ex intentione DEI ceteris

ceteris paribus æterna, sequitur. Et, si 5) *eadem*, ad vnionis harmoniæ restitutionem, *anima* requiritur; cur non, quæ *par ratio*, idem corpus? Idem etiam 6) Sc. S. confirmat 1 Cor. XV. 50. 53. 54. 2 Cor. V. 10. Phil. III. vlt. Rom. VIII. 11. Ioh. V. 28. et si placet Iob. XIX. 25. Hinc quia et ratio et Sc. veritatem aperte propugnat, maximique est momenti (per ant.); *determinare* corpus non licet solum, sed et necessarium est; sed *idem*, nisi nostrum, vocari nequit (§. pr.). Nostrum ergo ex materia tantum *constante*, demta variabili, quæ ad nos (adeoque abesse vt accidentalis, potest) non pertinet, rursus componitur. Nam, quia eadem materiæ quantitas in mundo semper est, nouam enim hodie ob sapientiam non creat DEVS (§. 200.), omnis omnium corporum materia constans, variabili, et plura, eadem condecorari possunt. Plures sic, quibus maiores nostri ornati fuere, partes, in nostro iam corpore, reperiuntur, quas post aliquot annos, vel hodie etiam, ad decus et fortitudinem, mutatis mutandis, recipient posteri. Quum itaque per transpirationem sensibilem pariter ac insensibilem, quam *Sanctorius, Keil, Leeuwenhœk* aliique, experimentis comprobarunt, multas deponit partes; quæ ad sustentationem corroborationemque aliorum, aliarumque rerum e. g. plan-

plantarum etc. per nexum temporis et ſpatii ratione (§. 10. 11. Coſm.), determinauit DEVS; hæ omnes, noſtrum conſtituere non poſſunt corpus. Ergo ſine damno iis caremus; aliasque per nutritionem, variabiles iterum accipimus. Materia ergo conſtans, quæque fundamentum quaſi refert, cui variabiles accreſcunt, meum conſtituit corpus. Hinc quia eadem, ad omnes homines, ratio eſt; quiuis hominum materia aliqua conſtanti, corpus quæ ſuum conſtituit, eſt præditus; quæque indiuiduum ſuum refert. Niſi enim hanc aſſumas; nullus hominum, *proprium ſibi* gereret corpus. Hoc ergo ex conſtanti compoſitum materia, variis et craſſis quidem, quia cingitur partibus, 1) nulla tranſpiratione mutari poſſe videtur, adeoque idem ceſſante violentia, manet (§. 26. Ont.). Hoc ergo 2) formæ, figuræ, ſpeciei, quibus adparemus et conſpicui reddimur, mutationisque haud raro continere rationem videtur. Hoc ergo, 3) variabilis ſiue accreſcat, ſiue morbis aliisque decreſcat modis, hic cognitos nos aliis ſiſtit, nobis remanentibus iisdem. Quod fieri alias cum non poſſet, niſi omnes partes, quæ corpus humanum conſtituunt, *ſpeciales* haberet, ex omnibus 4) hisce tanquam *primis ſtaminibus* eſt compoſitum. Quum itaque hoc, quod deſcripſimus, corpus,

noſtrum

noſtrum dici poteſt et *idem* (per antec.); 5) hoc reſurrecturum eſſe, valde videtur probabile. 1 Cor. XV. 50. Ergo per hoc quia cogniti aliis ſumus (per ant.), 6) *eadem magnitudine* et ſexu, nota enim alias cognitionis deficeret, nos reſurrecturos eſſe, putamus. 1 Cor. XV. 53. Hinc 7) infans, forma ſpecieque infantis; vir, virili. Quoniam vero conſtans tantum, *variabili demta*, reſurgit; 8) ſubtile erit hoc corpus, immo ſubtiliſſimum. Non ergo amplius, vt in hac vita, 9) aliquando variabilibus, quæ non adſunt, debilitatur partibus atque corrumpitur. Hinc quia iisdem conſtat partibus, arcto tamen nexu, corpus alias non eſſet, coniunctis, 10) *firmum* ſeu denſum (§. 12. Phyſ.) (hinc dubium 11) corpora ſic noſtra corruere oportere, corruit ipſum), et, nulla quia variabilis materia accedit, vi cauſaque interna, externaque, ob conſtantem ſuauiſſimamque in vita æterna, O. rerum harmoniam, 12) incorruptibile erit et *immortale*, quamuis, quia ex partibus conſtat, non *abſolute* Luc. XX. 36. 1 Cor. VI. 13. XV. 42. 53. Hinc 13) nullo cibo eget atque potu, 14) nulla ſecretione et excretione, ſomno, morbis, laſſitudine etc. adeoque per naturam ſuam in vita ſic conſeruatur, vt perpetua, quæ alias fingenda eſſent, 16) miracula, arceſſere non habeamus

mus opus. Porro sola quia constanti materia est ornatum (per. ant.); nec 17) generare, (decerpitur enim per generationem atque educitur materia variabilis, nouum corpus constituens, debilitas hinc nostri corporis!) nec 18) ad generationem aptum erit. Luc. XX. 35. Ex quo, nec non incorruptibilitate, 19) nexus oritur *firmus* (num. 10. 15.), ita vt 20) separatio continui, quæ *dolorem* efficit (§. 97. Psych.), non sit metuenda. Hinc 21) nec frigus; nec æstus, nec alia iniuria 1 Cor. VI. 13. Apoc. VII. 16. Quapropter ob harmoniam, mentem inter atque corpus restitutam (§. pr.), nec 22) ægritudo animi, ex doloribus haud raro corporis proueniens, est exspectanda; sed permulsa potius 23) ob eandem harmoniam, animi temperies atque felicitas (§. 39. Ph. Pr. Vn.). Hinc 24) corpus in resurrectione, ad beatudinem et damnationem, quod infra demonstraturi sumus latius, ad gradum ibi maiorem, siquidem vel perfectionem, vel imperfectionem anima perspicit, quo ipso voluptas aut tædium oritur, confert. Ob eandem rationem 25) nec vulnera (iam accepta nisi essentialia) nec vbera et alii corporis defectus, 26) quæ maximam partem in materia deprehenduntur variabili, adesse videntur 1 Cor. XV. 43. Dubium enim ex Ioh. XX. 27. nullum est,

constantem quia materiem tetigit; nec Christi corpus putredine fuit absumtum (§. 805.). Denique quia subtilissimum; 27) *inuisibile*, si sponte se exhibere nolit, non esse solum potest, Matth. XXVII. 53. Luc. XXIV. 31. Act. X. 41. 2 Reg. VI. 17. sed et 28) alia corpora penetrare Ioh. XX. 19. coll. Phil. III. vlt. Quod eo minus vocari in dubium potest, quo maior est materiæ diuisibilitas (§. 7. Phys.). Ex eadem etiam ratione aliquatenus, quia leuia erunt, summam fere corporum horum, 29) *agilitatem* s. celerrimam concipere mobilitatem possumus 1 Cor. XV. 43. quæ, vt post huius systematis mundani, quam sequenti Cap. probabimus, quod materiam grauificam postulat, euersionem in nullo planeta viuent, sic nulla etiam grauitate laborabunt. Matth. XVII. 3. Eliæ enim corpus 2 Reg. II. 11. vt et Mosis Deut. XXXIV. 6. coll. Iud. Ep. 9. (quæ raptum Mosis, ne Idololatræ fierent Israelitæ, in cœlum probat) iam clarificata erant. vid. etiam Act. I. 9. Denique, quia firmum erit constans eiusmodi corpus (n. 10.); firmiusque, ob secretiones, quæ maximos requirunt poros, iam nostro (§. 9. Phys.); radios non transmittit, adeoque si lumine quodam illustratur, *clarum* 30) erit atque *lucidum*. Verum, quia ex constanti tantum materia constat; similitudo aliqua intercedit, resurgentium

gentium inter corpora, et *sal* illud *fixum*, in alia corpora, quod nouum hodie est Chemicorum inuentum, haud resolubile, quodque sua natura radios emittit, lucidumque est. Hinc ob regulam inuentionis §. 20. Erläuterung der Wolfischen Rechenkunst, et principium reductionis (§. 86. Psych.), *proprio* etiam lumine gaudere, non sine ratione colligimus. 1 Cor. XV. 43. Matth. XVII. 2. seqq. 2 Reg. VI. 17. Quoniam itaque qualitates, quas ex materia corporis nostri constante, deduximus, *corporibus clarificatis* tribuit Sc. S. Phil. III. vlt. definire illa possumus, quod sint corpora, ex sola eorum materia constante, composita. Per hæc vero resurgentium inter corpora et angelorum (his quæ illustrari explicarique possunt) maxima intercedit similitudo (§. 240.). 2 Reg. VI. 17. Matth. XXII. 30. Hoc ergo clarificato corpore angelis erimus similes; itemque corpori Christi Phil. III. vlt. Verum dicis: Christi corpus clarificatum erat, non tamen materia sola constante componebatur. Verum, dicta probasti nondum; etsi enim vel maxime; nostram tamen hoc modo sententiam nondum euertis, quia de *similitudine*, quæ intercedit, non vero de *æqualitate* omnimoda, ibi sermo. Et quia Angeli, Elias Mosesque iisdem sunt corporibus ornati (per antec.); hi vero cœlites, *spiritus*

et perfectorum etiam iustorum dicuntur Ebr. XII. 23. corpus clarificatum, spiritibus perfectis, et qui non amplius huius mundi miserias sentiunt, solum est *proprium*; ideo clarificatum corpus, alia ex ratione (ad spiritus illos puta) *corpus* etiam *spirituale* in Sc. vocari videtur. Non autem ex adducta solum sed aliis etiam nostra confirmatur sententia. Nam spirituali, ψυχικον opponit Paullus 1 Cor. XV. 44. Cum itaque adhuc corpus vocet; inter composita ex partibus refert, adeoque πνευμα *non* fieri, affirmat; nec *attributis* condecorari spiritualibus potest (§. 165. seqq. Psych.). Quodsi vero loca perueſtigamus parallela 1 Cor. II. 14. etc. nulla inde exsculpi notio potest alia, quam quod viribus, iam hac in vita nexuque rerum peragit suis. Quum vero vires nostri corporis, per constructionem suam, et regulas motus, ad quas, actiones dirigit (§. 47. Cosm.), maxime sese exerant, quod contrarium pensitanti eorum, quæ iamiam de clarificato in medium protulimus corpore, facile clarebit; ideo, quæ deduximus attributa etiam sunt corporis spiritualis, quod ipse, per oppositionem, probat Apostolus. Deduximus autem ea, ex idea materiæ constantis (per exp.). Constans ergo illa, *formam*, atque sic etiam *essentiam* corporis spiritualis absoluit. Num eadem non dicat Apostolus

ſtolus 1 Cor. XV. 37. 38. 39. 44. 46. immo per totum Caput, vbi de *proprio* corpore, aliisque, piſcium e. g. carne etc. variabili materia, quæ tunc ceſſabit, loquitur; exquiſitis Sc. S. interpretibus, ſicut plurima, quæ de clarificato et ſpirituali adduxi corpore, tanquam problemata Theologica, omni veneratione diſcendi cupidus, relinquo. Niſi me omnia fallunt, noſtram etiam 2 Cor. V. 4. probatam video ſententiam. Nam ἐπενδύσασθαι etiam: *poſt induo,* vertitur. Adeoque poſtquam *exui* factum, h. e. variabilis materia demta eſt, *poſt* induitur anima noſtra etc. Ita et Phil. III. vlt. in *aliam formam,* corpus humile ſeu fragile (materia variabilis) mutari dicitur. Ex his, vti ſpero, explicari *immutatio* 1 Cor. XV. 51. poteſt. Nam quia, qui die nouiſſimo viuunt, in vitam æternam, vbi corpora clarificata, iudicio habito, tranſibunt; ideo materia variabilis ad *labores in nexu perferendos* (en huius materiæ finem) quam maxime neceſſaria, ſeparanda tantum erit. Quum vero maxima in corpore, hæc actio mutationem efficiat; anima, ob harmoniam mentis et corporis, quaſi in *deliquio animi,* organa quippe ſenſoria, ſenſationem promouentia, alio determinantur modo, et quaſi in ſopore (§. 1040.), erit. Verum enim vero, quænam illa conſtans materia ſit? te ſcire velle præſagio. Quodſi nobis

noſtram de præexiſtentia corporum animarumque ſententiam aſſentiris (§. 366.); facile, quæ in parentibus noſtris iam latuit, corpusque adeo *noſtrum* conſtituit, eſſe videbis. Sed plura, quam ſtatueram. Vnicum tantum: Hypotheſin, ex qua circumſtantiæ et dubia omnia declarari poſſunt, maxime eſſe probabilem, obſeruo (§. 178. Log.). Ne vero orthodoxis minime hic me conſentanea docuiſſe putes, quæ iam dudum de *iisdem*, quæ reſurgent, corporibus, reliquit *B. Balduinus*, in Comment. ad 1 Cor. XV. accipe. *Reſurget*, inquit, *idem numero corpus, quoad ſubſtantiam. Reſurget nempe idem numero corpus, quoad partes ſubſtantiæ humanæ* conſtantes, non *quoad omnes partes vagas* (variabiles), *quæ iam cum hoc, iam cum alio corpore coniunguntur.* Quodſi hæc cum *Palingeneſia illuſtrare* placeat, non repugnabimus. Sunt enim, qui ipſi, deſtructum Plantæ corpus, per particularum variabilium ſeparationem, oculis rurſus eadem forma compoſitum, ſunt experti. Errant ergo qui eadem, de craſſiori vero loquuntur, reſurrectura eſſe negant 1) *Sociniani* et *Pſeudophiloſophi* 1) 1 Cor. XV. 37. 44. 50. Reſp. eſt idem et *noſtrum* (per antec.) immo totum ex mente noſtra, concedere dubium poſſumus. 2) 1 Cor. VI. 13. Reſp. ratione vſus. 3) Luc. XX. 36. Reſp. Concedimus totum. Omnia enim quæ hic proferuntur,

feruntur, vitium continent elenchi, si modo nostrum adsumas corpus e. g. 4) 2 Cor. V. 1. et 5) corpus, crassum est, cui prædicata non conueniunt. 6) Corpus non esse partem hominis essentialem, nempe subinde transpirans, aliis partibus sibi succedentibus. Resp. Neg. hoc inde sequi, quia de materia variabili, nobis non est sermo. 7) contradictionem inuoluere, siquidem a) quælibet corporis, ante aliquot annos et hodie et imposterum, pars constituens, eodem ad resurgendum, quænam ergo! iure gaudet. Non ergo homines, sed montes resurgere; b) oportere, vt ἀνθρωποφαγοι in se mutuo commigrent, vt sui sibi corporis partes illorum quisque vindicare nequeat. c) Ex eadem ratione sobolis procreationem concipi non posse; d) ita transpirationem, quaex nobis quouis momento alii partes recipiant. e) mutationem in plantis, piscibus, aliisque animalibus contradicere; f) multas iam corpori partes esse, quæ aliquando nullius vsus sunt, adeoque contra sapientiam; g) adeoque dissipationem et in varia corpora transmutationem, immo et annihilationem, aut in alios planetas translationem (quæ tamen ob Atmosphæram omnibus stellis peculiarem, per Pr. Phys. negatur) contrarium docere. Verum contradictionem negamus. Nam vel de impossili *in esse* (quod et *in se, in-*

ternum et *absolutum* dicitur) loquuntur, vel *in fieri* s. de *externo* (§. 17. Ont.); quod rursus in *physicum*, vbi causſæ vires, ad effectum producendum, insufficientes sunt, diuiditur et *morale*, quod *fini* causſæ est contrarium. Quodsi ergo ἀδυνατον in esse consideramus; nullam propositio: antea mortui, corporibus constantibus suis præditi materiis, resurgunt, et cum anima harmonice rursus vniuntur, contradictionem seu eandem, de eodem, affirmationem et negationem continet; siquidem per vocabulum: *antea mortui*, sufficienti modo determinatur. Hoc ergo subiectum, prædicato non repugnat, et V. V. adeoque interna non adest impossibilitas. Si vero physicam attendimus; ad resurrectionem dissipatarum partium O. necessaria requiritur collectio, compositio, et cum anima, vnitio. Ens ergo, resurrectionem efficiens, per omnem mundi nexum, partes omnium 1) *distincte* cognoscere, quæ *omniscientiæ* (§. 43.); 2) easque colligere, et iusto ordine et loco, quem antea in hac vita obtinuerunt, componere, et 3) cum anima, cuius vires insufficientissimæ (alias corporis sine dubio mortui circulationem, impia certe promoueret) rursus vnire debet, quæ *omnipotentiæ*: et quidem in instanti 1 Cor. XV. 52. quod *miraculum* innuit. Quum vero creatura nec omniscia, nec omnipotens,

tens, nec miracula producere queat (§. 71. Cosm.); a creatura non est exspectanda resurrectio. Quum vero DEO hæc attributa conueniant; *physice impossibilis* dici non potest. Quod autem nec moralem contineat impossibilitatem, (§. 1042.) probat. DEVS ergo et quidem Trinunus (§. 140.), et Christus, cui, quia DEVS (§. 100.) et ob communicationis gratiam (§. 642.), singulari adscribitur modo Matth. XXV. 31. 1 Thess. IV. 16. Ioh. XI. 25. est *caussa resurrectionis efficiens.* 2 Cor. IV. 14. Ioh. V. 25. Rom. VIII. 11. Quibus iam præmissis, et obseruato, de corpore *nostro,* controuersiæ statu, dubia omnia cadunt, ita vt breuitatis gratia, id lectori relinquamus. Contra, aliud, quod nec probari potest, assumas corpus; infinita dubia nectis, nunquam explicanda, quod et de eo valet, quod illo momento, quo mortuum est, assumitur; siquidem ἀνθρωποφαγοι, maximum, mouent. Non ergo, omnia, quæ ad tale pertinent, iam per sapientiam determinasse, affirmare audemus. Vnicum sub f) remanet, quod *Connor* in Eu. *Medici* Art. XIII. et *Burnet,* de statu mortuorum, aliique defendunt, qui pusilla, immo spiritus, qui tamen corpora, essent surrectura, plerisque partibus priuanda. Verum finis DEI (§. 1042.), itemque determinatio: *nostrum:* dubium soluit. Errant ergo

II) et hi aliique *Scholaſticorum*, qui ſexus et eandem magnitudinem, negant, permoti 1) Eph. IV. 13. Reſp. Locus non de reſurrectione, ſed corpore myſtico Chriſti agit. 2) Matth. XXII. 16. vid. antec. 3) feminæ ſunt ſexus imperfectior, quæ in altera vita ideo exulabit. Reſp. conſidera poſſibilitatem moralem (§. pr.). Errant ergo III) *Remonſtrantes*, nullius momenti, hanc, de *eodem* corpore, quæſtionem eſſe, blaterantes. 1) Sc. id non determinare. Neg. vid. antec. 2) corpus animæ *tantum* inſtrumento eſſe, quod indifferens. Reſp. Neg. nam eſt etiam *pars*, pœnis præmiisque ſubiicienda. 3) animam eſſe formam hominis (§. 64. Ont.); ſed non eſſentia (§. 187.). 4) beatitudinem tamen in ſaluo eſſe. Neg. per antec. nec contra Sc. aliquid eſt aſſumendum. Errant ergo IV) et *Fanatici*, qui de corpore illo nihil determinandum eſſe affirmant 1) quia prima reſurrectio (quæ tamen, Chiliaſmus quia reiicitur (§. 757.), nulla eſt) potius amanda. Reſp. Rationem ſaluo ſenſu concedimus; ſed concluſionem negamus; dum coniungenda opponuntur. 2) diuerſitas potius corporum ex 1 Cor. XV. et Phil. III. vlt. elucet. Neg. vid. antec.

§. 1044. Quodſi, quæ de reſurrectione iam (§. 1042. ſeq.) diximus, conſideramus; nexus

nexus ex ea oritur cum sequuturis; qui, quoniam sapiens est DEVS, eaque propter vt fines et media subordinat (§. 54.); fines etiam, quos in resurrectione sibi posuit, simul declarat. Ergo quia beatitudinem vel pœnas sentient post resurrectionem, homines, quæ vero ob DEI *iustitiam*, sine præuio iudicio, locum non habent; vt 1) coram iudicio vniuersali (omnes enim resurgent, adeoque corpus, anima quia immortalis (§. 145. Th. N.) *subiectum quo*; totus vero homo, adeoque omnes et singuli mortui, *subiectum quod* dici possunt) adpareant (en *finem proximum*), atque 2) pœnas aut præmia accipere, capaces fiant. Quum vero 3) *omniscientia*, 4) *omnipotentiaque* DEI, eiusque 5) *sapientia*, propter finium et mediorum subordinationem, in resurrectione quam maxime elucet, 6) *iustitia* porro, atque, quia hac in vita per reuelationem hunc statum promisit (§. 1042.), 7) *veracitas* conspicitur; et hæc attributa atque perfectiones, per resurrectionem demonstrate vt finem voluisse, certissime concludere possumus. Cum his vero arctissime connexæ sunt reliquæ perfectiones Numinis omnes, quæ excludi adeo nequeunt: (Habes *fines remotos*)! Ergo, quia complexus perfectionum diuinarum, Eius gloriam constituunt (§. 94.); et hanc (ecce *vltimum*)! inter fines recte referri, dubitare non

non possumus (§. 84. Ont.). Iustitia ergo DEI cuique tribuens, *caussa* est *impulsiua interna*, 2 Cor. V. 10. *externa* vero; suo enim *merito*, quod sibi *adplicant* fide præditi, salutem acquisiuit Christus (§. 670.), est *meritum Christi*, 1 Cor. XV. 23. seqq. qui ideo *meritoria* etiam dicitur. Sed impii ob constantem huius meriti repudiationem damnantur. Impii ergo non resurgent *vi meriti Christi*; sed solum pii. 1 Cor. XV. 22. 23. Ioh. XI. 25. XIV. 19. Gen. II. 17. Errant ergo qui id docent, et probant 1) 1 Cor. XV. 12-34. Resp. Non *demonstrare* resurrectionis *necessitatem*, vi meriti Christi, laborat Apostolus; sed *refutare* impossibilitatem. *Viuificantur* significat comm. 12. salutem consequuntur, quod ne cogitari quidem de impiis potest. 2) 1 Tim. II. 6. Resp. qua acquisitionem. 3) Ioh. V. 28. Resp. Varia considerari relatione potest Christus; sc. vel vt *mediator*, piorum; et iustus iudex atque vindex, respectu impiorum. Correlata ergo probe sunt attendenda (§. 62. Log.).

CAP.

CAP. XXVIII.

DE EXTREMO IVDICIO ET FINE HVIVS SECVLI.

§. 1045.

Surgimus olim, vt pœnas accipiamus vel præmia (§. pr.). Quum vero sine ratione nil DEVS admittit (§. 54.); conuincat animas a corpore separatas est necesse, cur beatitudine vel damnatione frui queant; quæ separatarum a corpore naturali, cum *iudicium extremum* (cum DEO enim et non cum aliis, O. *tantum* relationem habent §. 146. Th. N.) dicatur, conuictio; negare illud nemo poterit. Conscia enim sibi mens est earum quoque rerum, quæ perpetrauit cum corpore coniuncta (§. 144. Th. N.); ita vt vel hac in vita de sequuturis siue pœnis siue præmiis, persuasa sit aut conuicta; siue minus. Si illud; ex collatione præteriti et præsentis status, mediante ratione, et sensatione facile propositionis veritatem agnoscit: *ego hactenus ita vixi et a corpore sum separata.* Per imaginationem, eiusque legem in memoriam reuocatur: *O. anima separata ita viuens, vel beata est, vel damnata* (§. 17. Psych. et 147. seq. Th. N.); ex quibus deinceps prono

prono alueo concludit: *ego ſum vel beata vel damnata.* Quum vero ſyllogismus ex natura mentis, quam ita condidit DEVS, ſequatur (§.65.Pſych.); finis etiam, vt hoc, ratiocinium inſtituat modo, erit. Quum itaque beatitudinis hac ratione vel damnationis conuincantur (§. 201. Log.); iudicium anima ſentit extremum (per antec.); quod, quia ſibi ipſi ſoli innoteſcit, *particulare* vel *ſingulare* aut *perſonale* audit. Datur ergo iudicium extremum particulare vel ſingulare. Noli vero putare, de iis hoc tantum valere, qui futuri ſtatus veritatem, hac in vita admittunt. Alius enim, gentiles ponas licet, cum quibus, qui futuri ſtatus conuicti non fuere, coincidunt, a variis, quæ hac in uita, rationi nebulas obducunt, iam liberatur; adeoque et præſentis ſtatus per præteritum imprægnati reſpectu, enaſci poteſt ſequens atque futurus. Nam differentia horum; per euolutionem notionum, et DEVM verum, quia falſitatem, per experientiam etiam iam introſpiciunt, eiusque attributa, diſcunt. Hinc eodem argumentantur modo, quod breuitatis gratia repetere nolumus. Ergo particulare et horum reſpectu, iudicium valet. Idem etiam de infantium animabus, vi certe cogitandi præditis, affirmare audemus. Nam, quia impedimenta, corpus ſcil. mediante quo per ſenſatio-

sationes externas, notiones ipsis formandæ essent, remouentur; vis eorum redditur viua (§. 33. Cosm.); qua eodem deinceps modo, quem in adultis deprehendimus (eiusdem enim cum his naturæ est), rerum diuinarum, et status iam præsentis aut per *miraculum*, conuincuntur; vt ergo vniuersaliter, particulare illud defendere iudicium queamus. Ioh. III. 18. Verum cum Sc. S. de hoc nihil dicat; certi quid et amplius producere non possumus; principiis rationis hac in re nondum ad liquidum perductis. Dicitur etiam *vltimum, finis mundi, adparitio vel aduentus Christi.*

§. 1046. Pedem potius ad *Oecumenicum* seu *vniuersale* iam mouemus; quod, quia ex rationis enunciatis demonstrare non possumus, Sc. ductu est delineandum. Describitur illud Matth. VII. 22. 23. XIII. 24. seqq. XVI. 27. XXIV. 30. XXV. 2 Thess. I. 6-16. Act. XVII. 31. 1 Cor. IV. 5. adde si placet Ps. IX. 8. 9. Eccles. XII. 13. 14. Errant ergo qui hoc negant 1) quia ex ratione cognosci non potest. Resp. sed tamen ei non repugnat. 2) propter particulare (§. pr.) esse superfluum. Neg. quod ex sequentibus patebit. 3) Ioh. III. 18. Dist. inter iudicium condemnationis aut absolutionis, et comparationis seu discussionis. 4) Luc. XII. Dist. inter particulare

culare et vniuerſale. Quodſi vero O. homines, beati olim erunt, vel damnati; cuius ſententia in iudicio extremo vniuerſali promulgatur; O etiam homines, pii et impii, quocunque ſint ſtatu, ſunt iudicandi. Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. 2 Tim. IV. 1. Et quum maximis etiam, DEI præcepta, peccatis læſerunt Diaboli (§. 263.); damnantur equidem iuſte; non tamen ſine præuio iudicio (§. pr.). Quorum, cum ſpiritus ſunt, eademque ipſis cum hominibus relatio, *particulare*, adeoque et pœna, e. g. mali, qui inde oriuntur affectus etc. negari nequit. *Vniuerſale*, vtpote rem facti, niſi Sc. adhibeamus, cognoſcere non poſſumus. Hæc vero Diabolos etiam *obiectum perſonale* eſſe, declarat Matth. XXV. 41. 1 Cor. VI. 2. ſeqq. 2 Pet. II. 4. Iud. 6. Contra quia *Angeli boni* iam electi dicuntur (§. 249.); obiectum perſonale, quippe qui plena iam fruuntur beatitudine (§. 259.), dici non poſſunt. Multo ergo minus creaturæ, quod putant nonnulli, huc pertinent *irrationales*, quæ legum, adeoque pœnarum præmiorumque non ſunt capaces (§. 11. Ph. Pr. Vn.). Verum quia de *dictis factisque* nec *piorum*, nec impiorum, accurate aliquando recenſendis, Sc. S. dicat, quod *reale obiectum* (perſonale vero et reale ſimul *materiale*) alii nominant; præterea etiam per multa ſecula (multitudinem enim hominum

minum, eorumque actiones perpendas quæso!) continuandum esset; inprimis vero *piorum* respectu, planissima loca sunt Ies. XXXVIII. 17. XLIII. 17. XLIV. 22. veracitasque in dicendo, Numini competit (§. 59.), atque vi meriti Christi resurgunt (§. 1044.); recensionem illam defendere nullius respectu possumus. *Generalis* ergo, non *specialis* erit peccatorum enumeratio. Errant ergo *Pontificii*, aliique, *piorum* etiam respectu id affirmantes 1) 1 Cor. III. 12. Resp. est vitium Elenchi; cum non de nouissimo, sermo. 2) Matth. XII. 36. Resp. per conscientiam. conf. Rom. II. 15. 16. 3) Eccles. XII. 14. 1 Cor. IV. 5. 2 Cor. V. 10. Resp. Concedimus totum. Non enim de vnoquoque in *specie*, sed in *genere*, quæ contra Oeconomiam DEI facta sunt, Sc. loquitur. 4) Rom. XIV. 10. 12. Resp. Contextus docet: rationem reddere DEO, nil significare aliud, quam *a DEO iudicari*. Non vero ex hoc, ad omnes cogitationes valet consequentia. 5) sic inaudita caussa, examine omnium misso speciali, condemnari. Resp. Nec opus est propter iudicium particulare, omniscientiamque Christi. 6) Apoc. XX. 12. Resp. est legis liber et Euangelii; adeoque non de *materiali*, sed *formali*, quod *normale* etiam vocant, *obiecto*: vel de omniscientia iudicis, cui plana sunt omnia, dicitur.

§. 1047. Pœnis afficiuntur iudicandi vel præmiis, quæ ex legum obseruatione vel transgressione, ipsis imputantur (§. 1045. §. 25. Ph. Pr. Vn.). Quoniam itaque in conuictione consistit iudicium (§. 1045.); et *lex*, quæ *propositionem maiorem*; et *facta*, ad quæ illa adplicatur, quæ *minorem* constituit, necessario requiritur. Lex vero duplex est, *operum* et *fidei*, quæ in Euangelio continetur (§ 817.); quæque iustitiam postulat; illa, propriam; hæc, imputatam (§. 816.). Quia itaque per imputatam, nos ipsis et operum legem seruasse censemur (§. 816.); lex erit norma et Euangelium, quæ adeo sibi minime contrariantur, sed potius subordinantur; ita vt Euangelium, et legem sub se complectatur. Logomachia ergo controuersia: num secundum legem, vel Euangelium, vel vtrumque iudicemur? recte putatur. Rom. II. 12. III. 23. 24. Gal. II. 16. Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. XII. 48. qui Euangelium. Cadunt ergo dubia, 1) ex Rom. II. 16. Resp. in sensu latiori, pro vniuerso Apostoli præconio. 2) peccatores ex lege diiudicantur. Resp. Dist. inter peccatores iustificatos et non iustificatos. 3) Matth. XXV. 34. seq. Resp. Opera hæc sunt effectus fidei. O. ergo ex dictis ita concipienda erit caussa: ☉ *iustus est* (*per imputationem etiam*), *saluatur* (§. 817.) Rom. IV. 5. 8. Atq. *Vos estis iusti*. E. Ad minoris probationem, fides quia

quia alterius perſpici a nobis haud poteſt, omnesque tamen conuincendi (§. 1045), opera, quæ fidei effectus (§. 827.), ſunt proferenda Matth. XXV. 34. ſeqq. Noli tamen putare, iuſtos, opera, quorum, omniſcientiæque Chriſti conſcii ſunt, negaturos eſſe. Vel enim *humilitatem* et *admirationem* indicant; vel de *propria*, quod contextus probat, *perſona* Chriſti ſermo. Quum itaque contrariorum contraria ſit ratio; iudicii cauſaque impiorum hic terminus erit: *Q. non eſt iuſtus (per imputationem etiam) damnatur;* Atq. *Vos a) impii et b) Diabali non eſtis.* E. Probatio minoris eadem eſt cum piorum; quæque a nonnullis *iudicium* vocatur *diſcuſſionis.* Iudicabitur ergo in *piis*, ipſorum fides; in *impiis*, απιστια: in *diabolis* vero, quibus lex fidei non eſt data (§. 657.), αποστασια. Ioh. III. 18. Matth. XXV. 35. Iud. 6. Quæ hic iudicari diximus, *obiectum* adpellant *formale* ſeu *normale*, quamuis hoc, de maiori propoſitione, intelligant alii. *Concluſio* denique, quæ *iudicium* ipſum continet, indicatque, quid iudicatis ſit tribuendum, *iudicium* nominatur *retributionis* ſeu *ſententia*, quod piorum reſpectu in *abſoluens*, *abſolutionis* ſeu *adprobationis*: impiorum vero (qua in relatione etiam *abſolute*, *iudicium* dicitur) *condemnans*, *condemnationis* et *reprobationis*, recte diuiditur. Quod ad minorem attinet, ad *homines* obſeruo: *miſe-*

ricordiæ tantum *opera, breuitatis* gratia, adducere Christum; etsi reliquæ, quæ fidem aut ἀπιστιαν declarant virtutes, adeoque *probationis* loco, quæ ipsius finis, esse possunt, non excludantur; sed sine dubio in medium proferantur. Deinde, si circumstantias, confusasque de beatitudinis spe, fortassis obtinenda, impiorum notiones consideramus; *excusationis* verba, quamuis pœnitentiæ pudorisque signa etc. simul esse queant, ob Christi responsionem, omnino habemus. De *Diabolis* vero, Euangelium quia ad eos pertinet minime (§. 657.) Ebr. ll. 16. *solus* tantum iustitiæ defectus *propriæ* valebit. Ergo non sola tantum Apostasia; sed reliqua etiam, quibus DEI iram prouocarunt, *seductiones, persecutiones,* quæque adduximus vitia (§. 263. seqq.), dubio sine publicabuntur. Verum piorum quoniam, tanquam Christo *amantissimorum,* ante omnia iudicium habebitur; impiorum, nexu naturali, sequi (adeoque *prius,* quam Diaboli iudicantur), claret. *Iustitia* ergo DEI *remuneratiua* et *vindicatiua* (§. 67.), *caussa* erit *impulsiua interna* (§. 70. Ont.). Et quia ob fidem, quæ Christi sibi *meritum* adplicat, vel repudiat (§. 816.), homines iudicantur (per antec.); piorum respectu, *externa,* est meriti Christi adplicatio; impiorum, finalis ἀπιστια, cum reliquis, quæ perpetrarunt peccatis. 2 Thess. I. 5. seqq.

Pſ. IX. 9. Ioh. III. 18. V. 24. Rom. V. 10. 1 Pet. I. 8. Ioh. VIII. 48. 2 Cor. V. 10.

§. 1048. Pœnis afficiuntur iudicandi O. vel præmiis ob legum vel neglectum vel obedientiam (§. pr.). Quum vero O. pœnas infligere nemo poteſt, niſi DEVS (§. 52. Ph. Pr. Vn.); iudex in hoc iudicio erit DEVS, et quidem Trinunus (§. 140.); quod ex *cauſſæ cognitione* O. quæ omniſcientiam, DEI attributum, ſupponit, elucet (§. pr.) Rom. II. 2-16. Ebr. XII. 23. Pſ. IX. 8. L. 6. XCVIII. 9. Quoniam vero hominum Rex, cuius eſt actiones ſubditorum diiudicare, Chriſtus eſt (§. 737.); ſecundum *humanam* etiam naturam *œconomice* (viſibile quia iudicium erit, adeoque *iudicem* quoque *viſibilem* poſtulat), iudex conſtitui poteſt Matth. XVI. 27. XXV. 31. 32. Luc. IX. 26. Ioh. V. 22. 27. Act. X. 42. 1 Theſſ. IV. 16. 2 Theſſ. I. 7. ſeqq. Qua ex ratione *Diabolos* etiam *viſibili* ſuo corpore adparere, affirmamus (§. 1046.); quod maximum eorum dolorem, tædium, pudorem aliosque affectus pœnamque augebit. Qui noſtros vero ſeduxit parentes, ſerpentis forma, ob easdem rationes adeſſe, non eſt a veritate alienum. Gen. III. 14. Quodſi vero de Chriſti corpore, eiusque forma conſpicua quæris; eodem, nec *vulneribus exceptis* Ioh. XXI. 20. 21. quam in his terris habuit,

ſeſe O. ſiſtere, ex circumſtantiis reſpondere facile poſſumus. Act. l. 11. Hac enim ratione omnes cognoſcunt, talem eundemque eſſe, qualem Prophetæ et Apoſtoli deſcripſerunt, qualemque in his terris agnouerunt permulti. Nonne ſic omnes *exaltatam* eſſe humanam eius naturam cognoſcant? quod gaudium, oriatur in beatis? qui terror timorque in damnatis, perpende! Quæ eo facilius ſine dubio nobis te conceſſurum eſſe confido; quo *ſplendidior glorioſiorque* hoc ad iudicium, erit Chriſti aduentus. Nam ex locis iamiam excitt. 1) et *ſua*, et 2) *patris auctoritate* et *gloria* venturum ſe eſſe promittit. Quum itaque gloria DEI, O. perfectionum complexus eſt (§. 94.); patris gloria, quæ Chriſto tribuitur, perfectiones diuinæ ſunt, e. g. Omniſcientia, Omnipotentia etc. per iudicium ipſum eiusque circumſtantias, ſatis conſpicuæ et manifeſtæ. Quod vero ad ſuam ipſius attinet, ſine dubio ſtatus intelligitur, quo 1) corpus clarificatum, et 2) plenarium maieſtatis diuinæ vſum, ob oculos ponit, h. e. veniet exaltatus. Gloriam enim ipſe opponit ſtatui in his terris Matth. XXIV. 29. ſeqq. qui ergo erit exaltationis (§. 807.); quæ etiam *glorificatio* audit (§. 805.). id quod antecedentia etiam probant. *Signum* vero de *filii hominis*, ſi modo de aduentu ad iudicium, et non potius, vt quibus-

quibusdam videtur, ad excidium Hieroſol. (quod tamen vt *typus* iudicii extremi conſiderari etiam poteſt) ſermo ſit, *nubes* erit cum gloria ſua; ex quibus tanquam *ſigno*, ab Angelis Act. I. 11. poſito (hoc enim modo in gloriam ſuam intrauit), vt verus Meſſias cognoſcitur. Et quia hoc in ſtatu omnes ipſi ſubiectæ creaturæ ſunt; ad gloriam ſuam manifeſtandam, et Angelos, *omnes* et ſingulos omnium ordinum, (eandem enim relationem habent) vt *miniſtros* comitesque ipſi adhærere, mirum videbitur nemini (§. ſeqq. et 25. §.). Dubia vero contra iudicem, a nobis iam deſcriptum, ex Ioh. V. 22. et XII. 47. nulla ſunt. In priori enim, vocabulum *αυτοπροσωπως*: in poſteriori, *aduentus primus*, ſenſum declarat atque determinat.

§. 1049. Quodſi ergo comites ipſi adhærebunt Angeli (§. pr.); aduentus hoc modo fit 1) multo ſplendidior, ſpiritus quippe non mediocri perfectionis gradu præditi (§. 259.). Et quia O. iudicandi homines atque diaboli (§. 1047.); præſentiam iudicis non 2) indicare; ſed 3) omnes etiam iudicandos congregare atque compellere debere, non a veritate abhorret (§. 258). Dicis: ſignum ſufficit filii hominis (§. pr.). Verum ſi in nube conſpiciatur Chriſtus (§. pr.); in

parte terræ inferiori habitantibus, ob terræ figuram, non erit statim adspectabilis. Requiruntur ergo, qui aduentum alias nescientibus, indicent eosque compellant, optime quod, ne miraculis, quæ alias sunt statuenda, locum demus, per Angelorum officia et ministeria obtinetur Matth. XXIV. 31. 1 Thess. IV. 16. Ex hac vero ratione *visibili* eos forma adparituros esse, ob finem, quem consequi iudex intendit (fraudem alias subesse facile cogitarent impii), recte concludere possumus. Iisdem ergo, quæ propria ipsis assumimus, adparent (§. 240.). Quænam vero corporis Angelorum figura sit atque forma, ob principiorum defectum, silentiumque Sc. S. indicare haud valemus. Prophetarum enim descriptiones Ies. VI. Ezech. I. XLI. etc. regulam nobis faciunt nullam; etsi corpora clarificata, quæ (§. 1043.) descripsimus, tribuere ipsis optimo iure possumus. Inter comites vero et buccinatores illos, refertur etiam *vnus, Archangelus* dictus. Sunt qui per ipsum, Salutificatorem seu Christum intelligunt. Verum cum Dominus, non 1 Thess. IV. 16. solum, sed et Matth. XIII. 41. XXV. 31. ab Angelis illis distinguitur; *peculiarem*, cuius imperio seu mandatis, reliqui subsunt, quam descriptionem et eius nomen et Iud. 9. Apoc. XII. 7. probat, assumere cogimur; qui voce

sua

ſua ſeu mandatis, a Chriſto tamen (non ergo propria auctoritate) dependens, ordinem conſtituet atque officia cuiuis iniunget. Quoniam vero congregatio iudicandorum, Angelis competit (per antec.); ipſe totum Angelorum chorum non modo, vt caput, præcedendo adducet; ſed mandata etiam præſcribet, quinam Angelorum ex hac, quinam ex illa terræ regione compellant, præſentiamque Iudiciis indicent; id quod κελευσμα etiam, quod *mandatum, adhortationemque militantium,* adeoque et hic angelorum ſe ipſos monentium, denotat, probare videtur. Adiungitur etiam his, *ſonus tubarum* DEI; adeoque a voce Archangeli diſtinctus; qui adeo vox eius, quæ nonnullorum ſententia, eſſe non poteſt. Alii contra *tonitru* inſigne atque horribile, per tubas intelligere malunt; loco Ex. XIX. 16. freti. Quodſi huius loci comma 13. conſideras, et ſimilitudinem ſoni inter vtrumque attendis, et executionem legis (tonitru enim ſeueræ in transgreſſores legum animaduerſionis indicium erat); facile te huic ſententiæ *fragorem* ſcil. per tonitru excitatum, calculum adiecturum eſſe, eo magis ſpero, quo fortior erit omnium partium diſſipatarum, quæ corpora humana conſtituunt, collectio, et ab aliis huc non pertinentibus, per omnipotentiam DEI miraculoſa et momentanea

quæ ſonum fragoremque, *ipſa experientia teſte,* auget, ſeparatio. Et quum maieſtatis DEI ſignum, in Sc. adducitur tonitru l. c. Pſ. XVIII. 14. ſeqq. non in aëre ſolum ſuperiori, ſed et inferiori, et in ipſa terra fragor inſignis erit, ipſam corporum reſurrectionem iuuans; quæ etiam ratio eſſe videtur, cur ſtatim reſurrectionis mortuorum mentionem faciat Apoſtolus 1 Theſſ. IV. 16. Vt vero tanto commodius haberi iudicium queat, O. in vnum locum ſunt colligendi; et quidem, quia conſpicere iudicem O. debent, in loco ſublimiori, aëre ſine dubio, *tribunal,* quod nubes (§. pr.), Matth. XXV. 31. erit. *Pii* reſurgentes et immutati, dextrum, et in nubibus etiam 1 Theſſ. IV. 17. *impii* vero ſiniſtrum occapabunt locum Matth. XXV. vna cum Diabolis, eandem quia relationem habent, quod ex *ſilentio* Sc. S. nubium mentionem non facientis, in terra, quod ex (§. 1051.) diſtinctius patebit. Quænam vero terræ regio, præ ceteris eligatur (tota enim ob telluris figuram aſſumi non poteſt) tam liquido non conſtat. Sunt qui vallem *Ioſaphat* ponunt, Ioelis III. 6. 7. vaticinio ducti. Verum, de N. T. temporibus, iisque *primis,* Prophetum loqui, contextus declarat. Hinc, haud pauci *terram Canaam,* ob Natiuitatem, paſſionem et facta ſalutificatoris, non ſine probabilitatis ſpecie, adpellant. Denique

quod

quod vt celerrime agitati, sistere se coram tribunali queant, atque compelli; corpora clarificata efficient, piis impiisque communia. Nullum enim discrimen refert Apostolus 1 Cor. XV. etsi in accidentialibus differentiam infra explicandam, negare facile nollem. Fortassis ipsa hæc accidentalis differentia, signum constituit, mediante quo pios impiosque, Angeli, in separatione, auctore Christo, ab iis peragenda, cognoscunt Matth. XXV. 32. XIII. 41. 42, ita vt ad peculiare signum in corporibus eorum conspicuum, confugere necesse non habeamus.

§. 1050. Quum creaturarum nemo iudicium vniuersale exercere potest (§. 1048.); *Sanctis* nec Angelis, nec Hominibus sententiam *definitiuam*, simul cum Christo, promulgare, integrum erit. Ergo *Assessores, hoc significatu*, haberi non possunt. Quodsi vero Assessorem, personam in sensu *latiori* dicis, quæ in iudicio consensu suo iustitiam sententiæ *approbat*; nomen hoc ipsis tribuere non veremur; quod ex circumstantiis iudicii elucet Apoc. XIX. 2. Eo autem ipso iuste in iudicio omnia acta, declarabunt; quod est *iudicii testis*. Hinc testes etiam vocari posse, quiuis videt. Minime ergo, ad comprobandam fidem, ob iudicis omniscientiam, adpellari testes possunt. Hinc *sessio* ipsorum, ex quibus, Apostolis primus Matth. XIX. 28.

Patriar-

Patriarchis vero, Prophetis, Martyrum Choro, et reliquis sanctis, secundus tribuitur locus Apoc. IV. et XIX. *proprie* non est intelligenda. Nam de N. T. temporibus vel vita etiam æterna (non ergo de iudicio) ll. cc. sermonem esse, abunde probat contextus vid. Luc. XXII. 28. seqq. Quodsi ergo Matth. XXIII. 2. 3. itemque Ioh. XVI. 8. 11. confers, de eorum sacerdotio et conuictione ecclesiæ (per 12. enim tribus et 24. seniores, vbi ad viros in templo olim stationarios allusio, *ecclesia* repræsentatur) agere Sc. S. facile inuenies. Nec est, cur 2 Cor. VI. 2. 3. probationis loco adducas. Nam si et vel maxime de iudicio extremo locus agit; nostro sensu ita concedere possumus. Finito denique iudicio extremo, pii cum Christo in nubibus abeunt in vitam æternam; impiis sine dubio in terra relictis Luc. XVI. 23. 26. *Finis* ergo vltimus iudicii huius est, omniscientiæ, sapientiæ, iustitiæ, et veracitatis manifestatio (§. 1046. seqq.), adeoque DEI gloria (§. 94.); *intermedius* vero damnatorum et beandorum, itemque humanæ Christi naturæ exaltatæ manifestatio et conuictio; nec non præmiorum et pœnarum auctio (§. 1043.).

§. 1051. Quodsi vero peracto hoc iudicio 1) vel beatitudo, vel damnatio sequitur (quæ

(quæ *finem executionis* iudicii nominant) Matth. XXV. vlt. corpora porro resurgentium, 2) cibis potuque aliisque ad conseruationem rebus non amplius opus habent (§. 1043.); continuatio et multiplicatio creaturarum, quas inferiores dicimus, ob sapientiam DEI, quæ nil frustra admittit, concipi a nobis non potest. Verum frustra etiam terra, *bis* in casibus, ipsa erit. Terra ergo (*omniaque* corpora cœlestia, quæ inter se grauitant, adeoque vno destructo, reliqua diffluunt omnia) tunc temporis, cum omnibus cœlis (§. 140. Phys.), peribit. Quæ cum actio, *consummatio mundi* seu *seculi*, *finis mundi* Matth. XXVIII. 20. *conflagratio mundi* 2 Pet. III. 10. *finis omnium* 1 Pet. IV. 7. dicatur; consummatio eiusmodi, eo minus potest negari, quo certius est 3) post resurrectionem, homines sui simile non amplius generare (§. 1043.). Quum itaque ob sapientiam DEI, qua omnia in mundo determinata sunt (§. 15. Cosm.) certus etiam atque determinatus hominum, qua parentibus, in quibus latent, numerus concipiendus est; producto per euolutionem hominum numero, *naturaliter* concipi etiam finis mundi debet. Fac enim amplius generari homines; vel 4) iudicium aliquod vniuersale, ob pœnas et præmia secutura, repetendum erit, siue minus. Quoniam vero breuissima

DEVS

DEVS ad ſcopum tendit via (§. 54.); nec miracula in iudicio neceſſaria, præter neceſſitatem auget; aſſumi prius non poteſt. Poſterius vero cum ob fines (§. pr.), qui ſic obtineri, non poſſunt, et harmoniam, quam in operibus ſummum obſeruat Numen, etiam cadit; conſummatio ſeculi, et hac etiam ex ratione aſſumenda erit. Noli vero, nos *terræ* noſtræ tantum probaſſe interitum putare; non autem totius, quod miramur, fixarum, earumque (ſoles enim cum planetis ſuis concipias licet §. 123. Phyſ.) errantium ſtellarum ſyſtematis. Huic enim ſententiæ, grauitatio non contradicit ſolum; ſed et ipſa, quam forte aſſumis, planetarum inhabitatio (§. 115. ſeqq. Phyſ.). Quoniam enim vel peccata commiſerunt, vel obedientiam præſtiterunt legibus diuinis; præmia eorum actiones (*par* enim cum noſtra terra *ratio* eſt) ſequuntur ſiue pœnæ; adeoque vel beati erunt, vel damnati. Quum vero ſic planetarum orbes fruſtra eſſent, quod a DEO cogitari non poteſt (§. 54.); omnium totius ſyſtematis ſtellarum aliquando finem exſpectandum eſſe, claret. Confirmant hæc certiſſime 5) paginæ etiam ſacræ Ieſ. Ll. 6. Matth. XXIV. 35. Pſal. CII. 26. 27. 1 Cor. VII. 31. 2 Pet. III. 7. Ebr. I. 11. 12. Apoc. XXI. 1. ſeqq. Ex his vero *finis mundi*, interitus totius ſtellarum ſyſtematis, definiri

definiri potest. Verum Christi ad iudicium in nubibus, docetur aduentus (§. 1048.). Seculi ergo finem non *ante*, sed *post* vniuersale iudicium exspectamus quod iudicium impiorum in terra stantium, etiam probat (§. 1049.), et quidem, quia *omnipotentia* est; a DEO Trinuno (§. 140.) Ps. CII. 26. 27. siue ex *causis* fiat *naturalibus*, et ad nexum rerum pertinentibus; siue per *miraculum*. Errant ergo, qui eum negant 1) Iesa. LXIV. et 2) Gen. VIII. 22. Resp. quamdiu durant. 3) Deut. XXXIII. 15. æternum idem quam *auiternum*.

§. 1052. Mundi finis cum sit interitus (§. pr.); tanquam entis compositi, vel per *immutationem*, vel *annihilationem* concipi potest. Quum vero 1) loca script. (§. pr.) excitata, immutationem indicare videntur; nec alius 2) perspicuus, qui annihilationem probet, adduci potest; præterea 3) *corpora* resurgentium, locum occupare debent, adeoque nouum cœlum et terra exstruenda Iesa. LXV. 18. 2 Pet. III. 10. seqq. et DEVS miracula præter necessitatem, quæ in annihilatione requiruntur, non auget; immutationem certe assumere cogimur. Nam Apoc. XX. 11. et XXI. 1. de statu *præterito* loquuntur; adeoque non amplius eo loco, eaque forma aderant; Ps. CII. 26. 27. vero per-

perpetuam DEI eandemque existentiam et immutabilitatem indicant; et 2 Pet. III. 12. per vocem λυομενων nostram potius sententiam corroborat. Hanc vero immutationem per ignem, non vero per aquam aut alio modo fieri, Se. declarat. Hinc per miraculum, nouo scil. igne creato, explicare nonnulli satagunt. Verum ob sapientiam DEI, hanc amare sententiam non possumus; nec habemus opus. Nam quia totius systematis mundani machina, iudicio peracto, corruet (§. pr.); sufficiens, immo sufficientissima ignis, a tot stellis fixis, atque planetis, copia adest, quæ combustionem illam promouere possunt. Et quia *solutione* tantum peragitur 2 Pet. III. 11; non vnico momento, sed *successiue* (cur enim rursus miracula fingis?) id fieri, a veritate non est alienum. Verum dicis: fixæ, soles sunt, adeoque vel combustione, nutrimentum capiunt; vel aqua etiam, in O. Planetis reperiunda, ignem rursus exstinguit. Ergo αδυνατον. Verum fixarum ignis, terræ enim (facta alias iam esset), insufficiens videtur, deletionem illam promouebit; hac vero ratione et aqua candens, euaporando, in ripis et littore etiam subsistens, dissipatur, ita vt proportio ignis et eius vis, multo maior, quam aquæ, erit. Quum vero hoc modo ad conseruationem ignis semper materia suffi-

sufficientissima, ex omnibus planetis resultans, reperitur, quod ex solis igne eiusque maculis optime explicatur (§. 73. Phys.); systema mundanum, eiusque habitatores, continuo igne excruciari posse, patet. Vides ergo *faciem* mundi. Quapropter *Burneti*, aliorumque de noua, quæ inde oriatur, terra, sententiam, inter ea, quæ esse non possunt, referri, facile etiam cognosces. Quo *tempore* mundi finis sit exspectandus? indicare haud possumus. Etsi enim peracto statim iudicio extremo, quod vita æterna immediate sequitur Matth. XXV. vlt. 2 Pet. III. 7-12. cum nullius hominibus vsus, ob corpora clarificata (§. 1043.), præsens mundi facies est, non sine ratione asseramus; determinatum tamen temporis punctum (quotnam enim ad hunc nexum, generationes pertineant (§. 1051.) indicare non possumus) tangere, rationi imperuestigabile et recte quidem putatur. Quæ enim de *sex* diebus, in quibus mundum creauit DEVS Gen. I. aliisque, vbi numeri sexti mentio iniicitur Ex. XX. 9. XXIII. 10. Deut. XV. 12. 18. tanquam *typis* (quam sententiam etiam *Elias* quidam inter Iudæos celebris confirmat), adducuntur; ingeniosa quidem sunt; fundamento tamen carent; siquidem, diem vel annum, 1000 annos denotare, nec ex ratione nec Sc. S. probari potest. Nonne

etiam 600000 et plures intelligere licet? Matth. XXIV. 36. 1 Thess. V. 2. 3. Quæ his incertiora sunt, mittimus.

§. 1053. Quamuis vero tempus iudicii extremi, mundique finem *determinatum*, indicare non possumus (§. pr.); sunt tamen, qui signis quibusdam certitudinem docere sibi persuadent; quæ recte a Theologis in *spuria* s. *ficta*, *dubia* seu *obscura*, et *genuina* seu *vera* diuiduntur. Nam quoniam a) *Chiliasmus*, ex Sc. probari non potest (§. 757. seqq.); inter ficta ecclesiæ fata antegressura recte numeratur. Et quia b) Matth. XXIV. 14. de excidio, quod contextus probat, Hierosol. agit; *repetita* omnium Gentium solemnis ad ecclesiam vocatio, vt signum verum assumi non potest. Quod vero c) ad *aureum* illud et nouum Sp. S. seculum attinet, quo nouam instituere et a Christi *Oeconomia*, diuersam, dicitur; ex Luc. XXIV. 49. et Ioh. XIV. 16. seqq. siquidem de temporibus, statim post Christi ascensionem sequuturis agunt, probare illam non possumus. vid. Cap. penult; id quod d) de *vniuersali* (a *potiori* autem fit denominatio) Iudæorum conuersione iudicandum; quamuis, sed male, dubia inter signa referant alii. Nam vel *ordinariis* eorum conuersio *mediis* peragitur, vel *extraordinariis*. Hæc fingere ob sapientiam Numinis non licet

licet (§. 122. Th. N.), Luc. XVI. 27. præsertim cum ob indurationem et præiudicia de Messia temporario et futuro adhuc, efficaciam verbi diuini, vti ipsius Christi olim miracula, non admittant. Illa vero, non ob eandem rationem solum; sed ob fertilissimas etiam, quas inter Christianos dispersi experti sunt, circumstantias, quasque spernunt, et odio prosequuntur, efficere eam non valent. Ergo nullo modo est exspectanda. Nam, quæ ex Prophetis, Ies. XI. XXVII. XXIX. LIV. LX. LXIII. Ez. XXXIX. Hos. III. etc. adducuntur loca, de N. T. statu, omnibus gentibus communi, non vero Iudæis solum proprio, loquuntur. Deut. IV. 30. vero, ob tempus futurum per Vau conuersiuum, formatum, quodque præsens coniunctiui aut Imperatiui exprimit, *mandatum* potius, quam *prophetia* esse videtur. Rom. XI. denique mysterium, quod commate 25. refert et ad versum 12, vbi legitur, respicit Apostolus, in eo consistit, quod per gentiles, qui Israelitæ per fidem fiunt, numerus Israelitarum expleatur. Sic e) *meliorem temporum spem*, quam vt *dubium* Iudicii extremi signum adducunt alii, inter falsa, ob Matth. XXIV. 37. seqq. 1 Thess. V. 3. 2 Pet. III. 3. seqq. 1 Tim. IV. 1. 2 Tim. III. 1. seqq. etc. referre potius debemus. Melius, ad *dubium* iudicii extremi signum, refertur

Babylonis ſpiritualis et Romæ, ſuperſtite adhuc Antichriſto, excidium *corporale:* etſi non vno momento id fiat, ſed ſucceſſiue 2 Theſſ. ll. 8. Nam inter varia, quæ de excidio eius Apoc. XVII. et ſeqq. (coll. 2 Theſſ. ll. 8.) *prophetico ſtylo,* (adeoque *improprie*) traduntur mala, quæque ſentire cogitur, ſpiritualia, et corporales pœnæ recenſentur, nullam contradictionem inuoluentes. Dubium etiam ſignum eſſe videntur f) oſtenta illa in cœlo, quia, contextu etiam adprobante, de excidio Hieroſ. (*typice* niſi hoc explices) ſermo eſt. Luc. XXI. 6-27. Matth. XXIV. 3. *Certius* ergo ſignum *ſucceſſiua* g) eius infirmatio ll. cc. Quoniam vero Antichriſtus ſemper DEI gloriam lædere ſtudet (§. 1014.); tempora h) erunt peſſima atque ſecura; conf. loca ſub e) iam excitata. Pertinet etiam ad *vera* ſigna i) mille, a reformatione eccleſiæ ſi incipias, annorum finis. Apoc. XX. tot. itemque k) Gogi et Magogi (omnium eccleſiæ hoſtium, non *Turcarum* ſolum) vis et potentia l. c. O. hæc ſi conſideramus ſigna, extremum *præciſe* atque *determinate* non indicant tempus. Hinc *antecedentia* cum *B. Zeltnero,* adpellare malui. In genere concedo et *indefinite* (hinc *remota* et *communia,* quæ rem aliquando futuram eſſe declarant, nominant, quamuis alii, peccata nondum expiata, e. g. hæreſes, bella, perſecu-

secutiones piorum, aliasque calamitates publicas, sub his tantum intelligant) extremi iudicii existentiam, ob DEI, quæ in extremo iudicio conspicua redditur (§. 1050.), iustitiam, probant. Hinc meliori, vt mihi videtur, iure, omnia hæc, remota dixi. Mutationes quidem, quæ corporibus cœlestibus contingant, contradicere videntur. Sunt tamen dubiæ. *Propria* ergo seu *proxima*, quæ etiam *prognostica* et *prodromi* (Vorboten) ab aliis vocantur, quæque determinatum tempus ob oculos ponunt, non propter sapientiam DEI solum, quæ *miracula* (*ordinaria* enim et quæ quotidie fiunt non esse propria possunt) præter necessitatem non admittit (§. 122. Th. N.); sed ob script. etiam auctoritatem Matth. XXIV. 43. seqq; Luc. XII. 39. 40. 2 Pet. III. 10. etc. nego. Nec est, cur hominum conuersionem, rationem adleges. Nam ita et hodie non modo perpetranda essent miracula; sed iniurii etiam in verbi diuini ordinarii vim flexanimam essemus; nec miracula, ob prauitatem hominum, ipso Christo comprobante Luc. XVI. 29. 31. id efficerent. Quodsi excipis: non *miracula*, sed *miranda* (§. 71. Cosm.), te modo postulare; respondeo: vel a *bona* prouenirent creatura, vel a *mala*. Hæc contra finem ageret suum, qui infelicitas (vbi ergo conuersio?) aliorum est; adeoque improbabi-

lis maxime videtur; illa vero, si consentiente DEO produceret miranda; sapientiam DEI, quod absurdum, læderet. Eodem ergo, quam antea DEI respectu, refutationem protulimus, et hic valet.

CAP. XXIX.

DE VITA AETERNA SEV GLORIFICATIONE FIDELIVM.

§. 1054.

Peracto iudicio extremo, æterna vita, quæ eius finis, potiuntur beati (§. 1044.); quæ ergo ex Sc. demonstrari potest; et quidem tam ex V. quam N. T. (§. 288.) Leu. VIII. 5. coll. Luc. X. 28. Dan. XII. 1. seqq. Quodsi his Gal. III. 12. Rom. VII. 10. Eph. IV. 5. 2 Tim. III. 15. Ebr. XIII. 8. addis; omnibus Iudæis sententiam communem discere, poteris. conf. etiam Iud. 14. et formulam illam fœderalem: *ero Deus tuus* Ebr. XI. 14. Num vero et *ratio*, existentiam eius sine omni dubio cognoscat; non sine fundamento dubitatur. Nam etsi damnationem, adeoque vitam post hanc, alteram, ob DEI iustitiam statuere cogatur (§. 144. Th. N.); non tamen ideo et beatitudinem, nisi ex intentione

tentione DEI possibilem. Semper enim et quotidie virtuosi peccant (per exp.). Quum vero nullum peccatum impunitum peragitur, sed æterna illud sequitur pœna (§. 29. Diss. Prol.), siquidem *infinitum* Numen læditur; ideo sine mediatore, beatitudinem consequi non posse aperte perspicit. Ob misericordiam quidem diuinam, maximo probabilitatis gradu, mediatorem a DEO datum *sperant* virtuosi (§. 52. Diss. Prol.); non tamen *certi* (alias et *damnati* ad misericordiam vice prouocare eadem possent), atque *conuicti* plane viuunt. Recte ergo, qui sine reuelatione (*vbi* enim et *qua ratione* quærendus inueniendusque mediator est?) æternam vitam demonstrari non posse perhibent, et sancte certe præcipiunt. Posita vero vita æterna, et post hanc, altera; malis, male; bonis vero bene esse, ob iustitiam DEI eiusque sapientiam, facile perspicit ratio (§. 142. Th. N.). Nam quia virtuti dedito omnia prospere succedunt, quod vero hac in vita rarissime obtinet (§. 144. Th. N.); ideo præmia ibi exspectant pii; sicut impii pœnas. Quæ, quia a creaturis prouenire non possunt; a DEO (qui ergo *causa* beatitudinis *efficiens*, ex *mediis* etiam ad beatitudinem ducentibus, *Verbo*, *Sacramentis* et *ministerio* quæ adplicat atque concedit, conspicuus Iac. IV. 12. Act. XI. 14.

1 Tim. IV. vlt.) exſpectanda. Quapropter cum DEO in vita æterna, *immediata* piis erit relatio; quorum adeo ſtatus, non amplius vt hac in vita et nexu rerum, poteſt a creaturis confundi. Errant ergo *Remonſtrantes* atque *Sociniani*, in V. T. æternam vitam *luculenter* non eſſe propoſitam, nec magni momenti eſſe, docentes 1) generalia enim, *merces, vita, bene eſſe* tantum iis promittuntur. Reſp. Clariori luce radiat N. T. quod concedimus; ſed tamen Iudæi optime intellexerunt. vid. probationem noſtram. 2) alias Sadducæi reſurrectionem non negaſſent. Reſp. a vitiis hominum, ad negandam rem, non valet conſequentia. 3) Chriſti contra Sadducæos argumentum obſcurum. Reſp. Sed intellexerunt tamen. 4) Ebr. X. 1. VIII. 6. Reſp. Diſt. *quoad rem*, et quoad diſtinctam explicationem. In genere ergo O. eorum dubia cadunt, diſtinguendo inter *rem, modum, et gradum rei*; et inter *veritatem* et *claritatem*. 5) nullius eſſe momenti. Neg. Diſt. enim inter neceſſarium abſolute tale et *ad fidem gignendam*; et inter neceſſitatem cohærentiæ et Sc. S. intelligentiæ, fideique in V. et N. T. vnitatis.

§. 1055. Quodſi ergo piis poſt hanc vitam bene eſt, immediatamque cum DEO relationem habent (§. pr.); obiectum, quod homines

mines felices reddit, erit ipse DEVS. Felicitas vero summa in voluptatis possessione consistit(§.140.Ph.Pr.Vn.),quæ ex intuitu rei perfectæ et nobis bonæ oritur (§.89.Psych.). Beati ergo, quia immediate cum DEO relationem habent, DEVM intuentur, Matth. V.2. 1 Cor. XIII.9.seqq. 1 Ioh. III. 2. Ebr. XII.14. Verum, DEVS quum non sit corpus, sed spiritus, adeoque nec partes a se atque radios emittere, nec per reflexionem, alterius corporis, oculis nostris subiicere se aut figuram repræsentare potest(§.90.Phys.); visio hæc DEI non corporis,sed mentis oculis est perficienda. Sunt, quidem, qui tantam oculorum,in vita æterna,*aciei eleuationem* prædicant, vt mediante hac, visio hæc fieri queat. Verum probatio nostra ex natura spiritus atque corporis desumta est, ita vt vniuersaliter valeat. Præterea nec loca, quæ adducuntur, Sc. id euincunt, dum contextus (*facies enim* II. cc. alias *proprie* est sumenda), contrarium docet. Nisi ergo *signum*, aliquod gloriæ et maiestatis diuinæ, seu *symbolum*, cum cel. *Canzio* adsumis, sub quo conspiciendum se præbet DEVS, oculis, DEI gloriam atque perfectiones, corporeis nos videre, concipere haud possum. Christus vero, quum corpus etiam in statu exaltationis habeat (§.770.); oculis corporeis conspicuus erit 1 Thess. IV. 17. quod etiam

ex Trinitate, quam cognoscent beati, intelligere licet. Quodsi vero qualem hac in vita de DEO cognitionem habemus, cum illa post hanc, comparemus; maximam deprehendemus differentiam. Hæc enim vel ex Sc. oritur, vel ex natura rerum, per ratiocinium. Vterque cognitionis modus, est *symbolicus* et *abstractiuus*, dum similitudinem tantum rerum, et abstractionem attendimus, nobisque de DEO notiones formamus (§. 57. Psych.). Qua propter cognitio tantum *mediata* est, *incerta* et hinc *confusa obscura et incompleta*. Et quia hac in vita, per nexum rerum, earumque sensationes, et vitæ statum, labores et circumstantias impedimur, quo minus cognitioni diuinæ inhærere queamus; *inconstans* est et *interrupta*. Verum O. hæc in vita æterna, quæ immediatam cum DEO relationem postulat (§. pr.), cessabunt. Ergo cognitio ibi nostra ob eandem rationem *intuitiua* erit (. 58. Psych.), *immediata, certa, distincta, clara, completa, constans, continua* et *habitualis*; id quod loca, a nobis supra excitata, abunde probant. Mentionem enim Sc. facit cognitionis per *speculum, infantis* et *viri* etc. quæ nostra iam in medium producta, si modo comparationem resoluas, attributa probant. Verum, quia etiam in vita æterna, entia sumus finita; finita erit notitia nostra quoque. Infinita ergo omniscientia,

qualis

qualis DEI, gaudere non possumus. Intuitiua ergo, quia immediata tunc est cum DEO relatio (§. pr.), ad DEI *essentiam* solum et *attributa*, seu ad ea, quæ *formaliter* in DEO sunt, se extendit. Ergo intellectum eius, voluntatem, Trinitatis mysterium etiam intelligemus. Quæ ergo in DEO non sunt formaliter, per visionem hanc cognoscere beati non possunt. Quum itaque rerum, quæ *præter* et *extra* DEVM existunt et possibiles sunt, cognitio, formaliter ad DEVM non pertinet; harum rerum, quo e. g. *decreta* diuina et *facta*, per Omnipotentiam ad actum producenda etc. participes (vti Angeli) non fiunt *ordinarie* Beati; etsi per specialem DEI, Angelorum aut aliorum reuelationem, pertingere ad ea queant. Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Ies. LVIII. 16. Hiob. XIV. 21. Errant ergo, qui, velut in *speculo* essentiæ diuinæ, omnia beatos cognoscere, cum *Pontificiis* nonnullis, aliisque, docent. Quum vero in speculo velut DEVM non cognoscunt; et DEVS ad hoc vniuersum, quod per vim suam seu essentiam, anima sibi repræsentat (§. 172. Psych.), non pertinet (§. 12. Th. N.); per naturam seu naturali modo DEVM videre non possunt. Nam omnia, quæ naturali modo de rebus iudicia nobis formamus, vel *intuitiua* sunt vel *discursiua* (§. 171. Log.). In his, ex cognitis

cognitis eliciuntur incognita. Quum vero in vita æterna, quæ hac in vita cognoſcere non poſſumus, diſcimus (per ant.); per diſcurſiua, noſtra ibi non ſic augetur cognitio. Et quemadmodum corporeis ibi oculis DEVM non videmus (per ant.); ita per ſenſationem externam, nouas illas veritates, atque iudicia intuitiua concipere atque formare non poſſumus; neque per ſenſationem internam, quæ mentem tantum noſtram reſpiciunt. Ergo ipſe DEVS habitum menti concedere debet, mediante quo, ipſum cognoſcimus. Qui cum *lumen* a Theologis dicitur, *gloriæ* (et a quibusdam *cognitio comprehenſiua*) gloriæ lumen negari nequit. 1 Cor. IX. 24. Phil. III. 12. ſeqq. Pſ. XXXVI. 10. Apoc. XXI. 23. 24. Eſt ergo *viſio beatifica*, actus intellectus, lumine gloriæ colluſtrati, quo is DEVM, *intuitiue* (adeoque et *immediate*) *habitualiter, certe, diſtincte* (ergo et *clare*) *complete* et *conſtanter* cognoſcet. Dicitur etiam *beatitudo intellectualis* et *interna*.

§. 1056. Quodſi ergo ita (. pr.) DEVM cognoſcunt beati, eumque vt beatitudinis, quam adepti ſunt, cauſam (§. 1054.); non poſſunt non hæc bona, quæ certa et conſtantia ſibi repræſentant, maximam (quo certius enim atque maius eſt bonum, eo maior eſt voluptas (§. 92. Pſych.), in iis excitare

excitare voluptatem, et coniunctionem. Quæ cum amorem constituunt (§. 113. Psych.); DEVM non possunt non summo prosequi amore, beati. 1 Ioh. IV. 7. 8. 1 Cor. XIII. 8. Quum itaque status, quo rem, ad voluptatem nostram vti possumus, *possessio*; et vsus rei voluptatem producens, *fruitio* dicitur; DEVM non possident solum, sed et fruuntur Eo beati. Ps. XVII. 15. Gradus vero voluptatum insignis, dicitur *gaudium*. Coniunctum ergo cum his, maximum erit gaudium Ps. XVI. 11. Ies. LXVI. 14. Rom. XIV. 17. Io. XVI. 22. Luc. XXII. 30. Apoc. V. 9. XIV. 3. Matth. XXV. 23. 1 Pet. I. 8. IV. 13. Et quia visio DEI erit perpetua atque constans (§. pr.); amor, possessio, fruitio, atque gaudium, perpetua erunt. Status vero voluptatis constans et perpetuus, *beatitudo* et *felicitas* audit; recte ergo olim homines in altera, post hanc, vita, felices immo *felicissimos* et *beatos* dicimus. Quum itaque amor possessio, fruitioque DEI, atque gaudium, ex visione DEI beatifica consequuntur, cum eaque connexa sunt; definiri *beatitudo*, per visionem beatificam potest (§. pr.). Quodsi vero, et quæ in h. §. demonstrauimus, visioni beatificæ addere placeat; non repugnabimus. Ioh. XVII. 3. Beatitudo ergo cum ad intellectum pertinet, tum ad voluntatem. Descripsimus tamen hic

beati-

beatitudinem tantum respectu *animæ; corporis* enim relatione iam explicauimus §. 1042. Quum vero beatitudo, hoc modo a lumine gloriæ partim; partim a corporibus clarificatis pendet, quæ Christum eiusque corpus clarificatum, quod suauissimas dulcissimasque producet sensationes (de aliis sensationibus per corpus obtinendis, quæ *beatitudinem externam* seu *sensitiuam* efficiunt, mox dicturi sumus) videbunt; quæ omnia hac in vita non habemus; beatitudo hac in vita nec concipi recte (sensationibus enim deficientibus nullæ sunt ideæ (§. 7 Log.); nec eloqui aut declarari verbis potest. Iesl. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. XII. 4. 1 Ioh. III. 2. 1 Pet. I. 8. Nihilominus tamen et hac in vita, quia DEVM aliquatenus cognoscimus, adeoque et possidere fruique possumus, beati sumus; sed, quia, spem fiduciamque per fidem (§. 816.), aliquando vitam nos consequuturos esse æternam, habemus, in *spe* tantum Rom. VIII. 24. Quæ animi voluptas, ex fiducia, de beatitudine certissime consequenda, cum *prægustus vitæ æternæ* dicatur (semper enim *prægustus* alicuius rei e. g. disciplinæ, veritatis etc. ita sumitur); *hoc sensu* negari nequit; neutiquam vero, si cum Fanaticis, *intuitiuam* cognitionem DEI, intelligas. Nam exempla *Plotini, Platonis, Apostolorum eccles. Patrum* cet. quæ proferunt, vel testibus, fide

fide minime dignis nituntur; vel si hos non reiicimus, ex forti, qua præditi sunt, *imaginatione*, quaque sibi, quæ ex reuelatione de vita æterna cognouerunt, repræsentant, prouenire solent. Ex Sc. enim quæ proferunt exempla; *extraordinaria* sunt, quæ regulam non conficiunt: dicta autem et loca, id non euincunt. Nam Ps. XXXIV. 8. Matth. V. 8. 2 Cor. III. 18. Eph. I. 17. 1 Pet. II. 3. vt contextus probat, vel de regno gratiæ, vel gloriæ, et visione futura loquuntur. Ergo, quia hac in vita iam beati sumus, quæ tamen maximopere ab illa, in futuro seculo differt (per ant.); differre *gradu* possunt. Verum intuitiua est in æterna; mediata et symbolica, hac in vita (§. pr.); vbique tamen DEI est cognitio. Ergo genus hoc (*cognitio*) dispesci in suas species potest. Hinc *specie* etiam differe, dicimus recte. Diuersa ergo relatione et *gradu*, differt beatitudo huius et alterius vitæ, et *specie*. Ergo controuersia est Logomachia. Melius illa *consummata*: hæc *inchoata* vocatur. Quoniam vero anima a corpore separata, nondum, sed post resurrectionem plena beatitudine fruitur; ideo consummata, in *absolute* et *secundum quid* talem, rursus diuiditur. Distinguitur etiam inter *obiectiue* 1 Tim. VI. 12. Ebr. VI. 4. (DEO enim fideles hac, et in altera vita potiuntur) et *subiectiue* seu *formaliter* talem,

1 Cor.

1 Cor. XIII. 12. 1 Ioh. III. 2. Qui *gradus* defendunt, (etsi ex nostra sententia, concedere omnia possumus) probant 1) 1 Ioh. III. 15. Sed disting. inter sensum *priuatiuum*, et *negatiuum*. 2) amorem maiorem in vita æterna esse. Resp. Alio tamen etiam *modo*. Errant ergo etiam *Remonstrantes*, qui visionem, nullo certo niti fundamento; sed tantum gloriosam et familiarem cum DEO conuersationem intelligi; nulliusque momenti esse, dicunt 1) Beatitudinem enim esse boni fruitionem, voluptatem, et possessionem. Verum concedimus, quia ex visione sequitur. 2) ita statim finita beatitudo esset, cum *vno momento* essentiam DEI videremus. Neg. Sumus enim entia finita. 3) ex collatione locorum, Gen. XXXII. 30. 2 Sam. XXIV. 24. 32. 1 Reg. X. 8. 2 Reg. XIV. 11. Dan. I. 14. Dist. inter videre alicuius faciem, et *a* facie *ad* faciem, *sicuti* est. 4) 1 Cor. II. 9. Dist. inter explicabile qua *modum*, et qua *rem*; immo locus de Regno gratiæ loquitur. 5) formulam loquendi Scholasticorum esse. Resp. sed tamen rem bene exprimit.

§. 1057. Quum itaque in visione beatifica, *distincta* boni, DEI scil. cognitio et habitualis (§. 1055.), itemque amor DEI intensissimus (§. pr.); beati olim nec peccata committunt; nec peccare possunt. Peccata enim ex *confusa* boni repræsentatione oriuntur

tur (§. 9. seqq. Diss. Prol.), quae in vita æterna erit distincta. Idem etiam ex amore DEI sequitur. Nam, si quem amamus; omni cura nostras ita instituimus actiones, ne quid, quod ipsi displiceat, committamus; quæ cum *timor* audiat *filialis*; et *hoc* non solum, sed et sibi a peccatis cauendi sunt ornati; quod etiam ex consideratione damnatorum, quos, vt statim probabimus, vt miserrimos cognoscunt, elucet. Quum itaque visio beatifia semper et continuo, durat (§. 1055.); cura hæc, atque distincta cognitio semper durabit, quae sic omne peccatum excludit. Nec est, vt dicas, *proæretica* sic peccata fugere quidem, non vero *infirmitatis*. Nam et hæc ex confusa repraesentatione oriuntur; et *defectum* cognitionis rei et repraesentationis innuit, resque, quæ ad mala irritant, supponunt. Verum, cum visio DEI constans erit, quæ defectum et confusionem excludit; præterea etiam immediata ibi cum DEO relatio oritur; nulla, quæ ad peccata irritant, mala esse ibi possunt: quo ipso infirmitatis etiam peccata, cadunt. Status vero, in quo quis peccare non potest, ἀναμαρτησια audit, seu *iustitia*: beatis ergo hæc abiudicari non potest. Sed DEVS est beatitudinis caussa efficiens (§. 1054.), qui in eum talemque beatos (*Büttneri Curs. Theol.*)

 statum

ſtatum poſuit, vbi amplius peccare non poſſunt. Talis vero actio, cum *confirmatio in bono*, dicatur; beati in bono ſunt confirmati. Ex quo etiam, quæ *Angelorum* in bono confirmatio ſit, elucet. Pſ. XVII. 15. 1 Ioh. III. 2. ſeqq. Apoc. III. 12. Ergo quia ſemper DEVM, vt *ſibi* bonum, vident; bonitas DEI, (quæ ergo *cauſſa impulſiua interna*) præcipue, vna cum reliquis eius perfectionibus, maximam ipſis parit voluptatem, et amorem. Amor vero in benefactorem, ob praeſtita nobis beneficia, *gratitudo* dicitur. Grati ergo in DEVM, et *Chriſtum*, cuius *merito* (quod *impulſiua externa principalis; minus principalis* enim fides ipſorum eſt per charitatem efficax (§. 827.), quæ, quia intuitiua ibi viſio eſt, etiam ceſſabit 1 Cor. XIII. 13.) beatitudinem impetrarunt, ſemper erunt; et, quia harmonia animam inter atque corpus reſtituta eſt (§. 1042), ob quam in affectu vehementiori, in externa etiam ſigna atque verba erumpimus; ſignis etiam externis, adeoque etiam *gratias ipſi agunt* interne et externe. Grati vero aliter erga DEVM eſſe non poſſunt, niſi perfectiones eius, omnibus aliis praeferunt, et *ipſis* optima, agnoſcunt. Quae cum *veneratio*, *honor* et *laus* dicitur actio (§. 31. ſeqq. 9. N.): beati venerantur, honorant laudantque DEVM indeſinenter. Verum

rum bonorum horum continuationem, non possunt non adpetere, quæ actio *inuocatio* DEI vocatur. Sed hoc modo perfectiones diuinæ omnes, aliis distinctiores fiunt; adeoque *gloria diuina* a beatis promouetur (§. 29. Ph. Pr. Vn.). Ob distinctam ergo, qua ornati sunt, cognitionem, amoremque DEI, perfectiones eius tanquam maxima bona, maiores iudicabunt, omnibus. Sed maiora, hoc in casu, bona, praeferimus minoribus. Gloriæ ergo diuinae promotio, maxima ipsorum occupatio erit. Quæ ergo actiones gloriam illam illustrant: desiderant atque faciunt; quæ non; tanquam mala, detestantur, adeoque desiderare et adpetere non possunt. Minora enim bona posthabitis maioribus, vt mala considerantur recte. Dum vero gloriam DEI semper promouent; actiones cum lege conuenire, iudicant; quod *conscientia bona* dicitur iudicium. Ergo non bona tantum conscientia, sed et quæ inde sequitur, pace conscientiæ et *αυταρκεια*, quæ nulla peccatorum suorum, ob iustificationem, memoria turbari possunt, in perpetuum fruuntur. Hinc, quia hæc omnia certo sciunt, nullo *timore* bona hæc omittendi, laborant; neque, quia omnes participes fieri bonorum possunt; *inuidia*, aut *fastidio*; siquidem semper noua (succeſſiua

enim entia manent) ipsis bona offeruntur. Talis vero status, in quo a timore, inuidia et fastidio liberi viuimus, *securitas* dicitur; beati ergo sunt securi. Ergo nec ab hostibus spiritualibus affici possunt. Nisi autem hac in vita, contra eos pugnassent, nunquam vitam consequuti fuissent æternam, istumque securitatis statum. Per hanc ergo pugnam, hostes spirituales eo perduxerunt, vt nullum ab iis expectare damnum queant, qui *status, vincere hostes* audit. Beati ergo iam in *totum*, vicere et sunt in *requie* 2 Thess. 1. 7. adeoque et stylo biblico viuunt in *pace*, seu statu omnibus bonis abundante. Rom. XIV. 17. Verum quia nec peccare possunt, nec malis circumsepti; iustitia sunt ornati et sanctitate, itemque cognitione habituali (per antec.). Quum vero hae virtutes, imaginem constituunt diuinam, et quidem primariam (§. 213.); imago etiam diuina perfectior quam olim, beatis restituitur; adeoque non laborabunt P. O. (§. 339.) Quamuis vero peccare non possunt; libertas tamen ipsorum et spontaneitas non cadit. Non enim a vi *externa* ad actiones coguntur; nec necessario ad hanc vel illam actionem determinantur. Possunt enim, vel bonitatem, vel iustitiam, vel alia considerare DEI attributa; itemque eum vel laudare,

dare, vel venerari, vel inuocare, ita vt reuera suarum actionum causſæ exiſtant, et eligere queant, quæ ipſis maxime arridēnt (§. 104. ſeqq. Pſych.). Hinc *non peccare* eorum, non libertatis *vſum* excludit; ſed tantum abuſum tollit atque imperfectionem. Ergo extollitur hoc modo libertas magis, quam deprimitur. Tot denique tantisque quum radiant perfectionibus, a DEO, cauſſa beatitudinis efficienti ipſis conceſſis, et a Chriſto in extremo iudicio tributis; a DEO et Chriſto *honorem* accipiunt (§. 110. I. N.), et *gloriam* ſeu complexum perfectionum poſſibilium. Rom. II. 7. 10. Ex quibus ſynonyma beatitudinis, quæ *Scherzerus* congeſſit, intelligere licet.

§. 1058. Deſcripſimus (§. 1056. ſeq.) dotes beatitudinis *eſſentiales* et *primarias*; iam vero de *ſecundariis* et *acceſſoriis* pauca. Ante omnia vero, quia corpore ſunt veſtiti, quod *locum* poſtulat, in certo quodam et determinato loco, quem *beatorum* dicere poſſumus, viuere debent beati; quemque *paradiſum* Luc. X. XIII. 43. *domum cœleſtis patriæ* Ioh. XIV. 2. *Hieroſolymam, quæ ſurſum eſt* Gal. IV. 26. itemque *cœleſtem* Ebr. XII. 22. *patriam fidelium, ciuitatem DEI viuentis, ciuitatem futuram.* Ebr. XI. 10. 14. XII. 22. XIII. 14. etc. nominat

Sc. Quoniam vero Henoch atque Elias viui, Moſes vero Chriſtusque Act. I. 9. poſt mortem introiuere (§. 814. 1043.): Gen. V. 24. 2 Reg. II. 11. et iam etiam exiſtere, adeoque intra hexäemeron *creatum* eſſe (§. 198.) Ebr. XI. 10. 16. palam eſt. De *humanis* enim manibus 2 Cor. V. 1. loquitur Sc. Ob ſocietatem vero (§. 1056.) in eodem hoc loco verſantur Omnes. Ergo, quia DEVM ſignis etiam externis laudabunt (§. pr.), organaque ſenſoria gerent; vnus alterius ſonum percipiet, concentuque ſuauiſſimo et modulatione apta condet, alterumque, ob amoris intenſiſſimi affectum, quo etiam in verba erumpimus (per. exper.), ad laudandum DEVM excitabit. Verum materia tantum conſtanti, beatorum corpora prædita ſunt (§. 1043.). Ergo ſenſus organa, ſenſusque et ſenſationes multo clariores ſuauioresque, quam hac in vita, et craſſiori corpore, procul dubio afficiuntur. Hinc per legem imaginationis, cantiones, quibus, hac in vita, DEI laudem extulerunt, in memoriam ſibi reuocabunt; quibusque, quia *affectum* (ſententiam qui etiam probat) per illas exprimimus noſtrum (per exp.), forte vtuntur. Cantiones vero quum ſpecies ſint *Muſices*: hanc aliquando in altera vita locum habere poſſe, patet. Nec a defectu aëris ad

nega-

negationem cantionum aut *loquelæ*, siquidem omnibus ad loquendum organis sunt instructi, concludas. Nam quia in loco versantur; atmosphæra cingi, probabile est; etsi non tam crassiori, nec etiam sit opus; corporibus quia clarificatis splendent. Quod vero beatorum, nec *mutorum*, nec *surdorum*, quod statuimus, commercium inter se eo facilius conceditur, quo certior est aliorum beatorum, eadem quia corpora gerunt (§. 1042.), agnitio; quae, quia entia successiua manent, non vno eodemque modo, per notitiam *infusam* (cur enim miraculorum auges numerum?) concipienda erit; sed per experientiam, conuersationem, aut reuelationem aliorum et angelorum. Nam, quia Angeli faciem DEI vident, Eumque laudant atque praedicant, *beati* (§. pr.); consortium, eandem quia cum hominibus relationem habent, cum angelis statuere possumus. Ergo, plura cum hi, per tam longum temporis spatium sunt experti; plurima sic, *sine miraculo*, nobis reuelare possunt. Matth. XVII. 4. Apoc. VI. 10. seqq. Quam suauis vt vnum tantum e. g. adducam, eorum nobis narratio, sæpissime nos a periculis, quibus forte obnoxii fuimus, liberasse, ad bona impulisse, et quæ sunt plura. Quodsi porro, oculis corporeis Christum videre beatos et

viuere cum eo perpendimus, Ioh. XVII. 24. 1 Theſſ. IV. 17. cuius corpus maximo ſplendore conſpicuum erit (§. 1048.): non maximam inde voluptatem modo ipſis accedere; ſed maiorem etiam cognitionis gradum, affirmamus. Verum, ob vnionem hypoſtaticam, DEVM Trinunum etiam ſigno quodam externo luce fortaſſis *fulgentiſſima* (nonne hæc Patris gloria etiam eſſe poſſet? §. 1048.), ſuam *glorioſam* præſentiam indicare, non improbabile videtur. Ex. XXXIII. 18. 23. Act. VII. XXII. 11. 1 Tim. VI. 16. Quoniam vero ſic DEVM ſentire poſſunt; in ſenſationibus vero quædam adhuc datur confuſio et obſcuritas (§. 34. Pſych.); maieſtas diuina ineffabilis recte dicitur, 1 Cor. II. 9. 2 Cor. XII. 4. noſtris hodie oculis, ob materiæ craſſitiem, *intolerabilis* Act. XXII. 11. id quod ex lumine ſolari, in quod ſi dirigimus oculos, explicari poteſt. Porro, quia in ſocietate beatorum tactum negare vix poſſumus; ſubtilia vero, qualia beatorum corpora ſunt (§. 1043.), ſuauiores, in tactu etiam, ſenſationes producunt (per exper.); et tactus (oculorum enim auriumque iam ante probauimis), voluptatem, adeoque ſententiam, de ſenſibus, in æterna vita, ſuauiter afficiendis, negare quis audebit? Omnia vero hæc in loco beatitudinis reperiuntur. Ergo,

go, ob *sapientiam* DEI, ita determinatus et disposítus est, vt iucundissimarum ipsis sensationum materiam præbeat. Verum, quia opposita iuxta se posita, melius elucescunt, perfectaque beatitudo sit: præter DEVM, *se ipsos*, *sociosque*, et *Diabolorum* et *damnatorum*, cognatorum etiam atque familiarium cruciatus cognoscere, statuimus; ex quibus non voluptas quidem, aut dolor; sed maxima potius perfectionum diuinarum, quibus O. actiones conformiter dirigunt (§. pr.), laus et promotio orietur. Ergo figmenta sunt, quæ de liberatione ex inferno proferuntur; iustitiam enim DEI sic læderent per preces. Ex eadem ratione, amor in filios, propinquosque superstites explicari etiam potest. Nam quia in vita æterna, procreatio sobolis locum non habet (§. 1043.), motiua ad amorem filiorum, ex generatione desumta, ibi cessant; adeoque nullus sic, quatenus *nostri* sunt, prouti hac in vita in malos reprobosque etiam deprehenditur, amor existit; sed sancta potius ira. Quodsi vero superstites propinqui, gloriam illustrare diuinam satagunt, iisdemque vtuntur motiuis; non potest non amor in propinquos statui. Amor ergo non *eradicatur* ibi, sed sanctificatur; si per legem imaginationis, eorum recordantur. Verum eorum quia status,

immediata est cum DEO relatio (§. 1056), et iam in ecclesia triumphante constituti, quae alium postulat nexum (§. 1003); praesto relictis esse, societatemque cum istis colere, maxime improbabile videtur. Ex eadem ratione, quid de *salutatione moribundis commissa* iudicandum sit, abunde patet. Nam si testimonium haec est, eos nos, propter varia laudabiliter facta, honorare et reuerentia (aliud si salutem, quam adepti iam sunt, ipsis, frustra ita, precemur) prosequi: tolerari a piis, quos amant, potest; minime vero ab impiis, quorum detestantur consortium. Denique formaliter quia quae in DEO sunt, cognoscimus (§. 1056.), et glorioſam DEI praesentiam, per sensationem, quae multum obscuritatis habet (§. 34. Psych.) discimus: mysteriis, in altera vita, DEI respectu maiestatem et infinitudinem si cogitamus, locum adhuc esse, facile videmus; etsi *successiue*, plurima cognoscere valeamus. Quum itaque ex rebus his quas sentiunt externis, beatorum voluptas oritur; *beatitudo* etiam statui *externa* et *sensitiua*, quam h. §. descripsimus, recte potest. Quo ipso tamen *Iudaeorum*, *Mahumedanorum*, *Paganorum aliorumque*, carnales fabulas, regales choreos, palatia, *Pontificiorumque* aureolas vel laureolas beatis addendas, minime probamus; etsi

etsi locum beatorum ad sensationes suaues excitandas aptum, statuamus. Vbi vero hoc gloriæ cœlum existat, indicare non possumus.

§. 1059. Quæritur ceterum: quo tempore in beatorum sedem anima veniat? Beatitudo cum sit immediata cum DEO relatio, statim quæ post corporis mortem initium capit (§. 1045.); animam e vestigio sedem hanc petere, palam est. Luc. XVI. 22. 25. XXIII. 43. 2 Cor. V. 8. Phil. I. 23. Apoc. XIV. 13. Errant ergo *Anabaptistæ* et *Sociani*, qui somno quasi oppressas ante iudicium, animas statuunt 1) Matth. IX. 24. Ioh. XI. 1, Resp. quoad corpus, cuius respectu mors adpellatur somnus (§. 1041.). 2) Ebr. IV. 3. Apoc. VI. 9. 11. Resp. a laboribus et molestiis. Altare autem protectionem DEI denotat. 3) 2 Tim. IV. 8. Col. III. 4. Ebr. XI. 39. 40. Dist. inter absolute consummatam beatitudinem et secundum quid. 4) Sic non opus esse iudicio extremo superfluo. Resp. Negatur (. 1050.), 5) Ps. CXV. 17. VI. 6. Resp. De ecclesia militante, sermo. Quum vero O. beati DEVM vident, ex quo voluptas cet. oriuntur, quæ partes constituunt essentiales (§. 1057.); beatitudo in *essentialibus*, *æqualis* erit Eph. IV. 4. 1 Pet. I. 9. 2 Pet. I. 1.

Verum,

Verum, quia iuſtitia, inter actiones et præmia, proportionem poſcit et harmoniam; in *accidentalibus*, gradus gloriæ etiam ſunt admittendi. Dan. XII. 3. Matth. XII. 30. 1 Cor. XV. 41. III. 8. IX. 6. Inſtituenda ergo *ſecundum* opera; minime vero, quia opera bona non ſunt meritoria (§. 890.), *propter* opera. Luc. XVII. 19. Errant ergo *Sociniani*, gradus hoſce negantes; itemque *Pontificii*, ob merita, gradus dari affirmantes 1) ex Matth. XIII. 43. Reſp. ex locis parallelis iam excitatis explicatio eſt inſtituenda. 2) ita merita Pontificiorum defenduntur. Neg. conſ. probationem noſtram. 3) Matth. XX. 10. Sed non de vita præciſe æterna, ſermo. 4) 1 Cor. XV. 28. Diſt. inter ſummum bonum *obiectiuum* quod DEVS, et *formale*, ſeu eius fruitionem, quæ accidentalis eſſe poteſt. 5) 2 Pet. I. 4. De eſſentiali concedo. 6) Si inæqualis; eſt imperfecta. Neg. de accidentalibus enim loquimur. 7) Apolog. Aug. Conf. Reſp. Meritoria, quod contextus docet, tantum vocantur B. O. quia *ſecundum*, non *propter* illa, beatitudo inſtituitur. *Subiectum* ergo *quod*, quum et corpus ſuauiſſime afficiatur (§. pr.); ſunt homines, anima et corpore conſtantes, ad mortem vsque *fideles* Apoc. II. 10. ſeqq. *ſubiectum quo* vero corpus et anima cum omni-

omnibus facultatibus (§. 1055-1058.). Quis vero comparatione beatitudinis inter ſtatum et imaginem diuinam inſtituta (§.213.ſeq.), *totum* hominem ad imaginem illam inſtauratum eſſe, negabit. Denique, quia beatitudinem DEVS confert (§.1056.); per actum fieri, manifeſtum eſt. Hic vero DEI actus, quo homines ad finem vitæ fideles, e gratiæ, in regnum gloriæ ſeu beatitudinem, transfert, *glorificatio*, ſeu *gratia* dicitur *glorificans*. Datur ergo gratia talis; cuius *cauſſæ*, beatitudinem quia per eam in regno gloriæ conſequuntur, efficiens, impulſiuæ etc. cum beatitudinis, coincidunt.

CAP. XXX.

DE MORTE SEV DAMNATIONE AETERNA.

§. 1060.

Aeternæ beatitudini et vitæ, mors opponitur et æterna damnatio (§. 1040. et 145. Ph. Pr. Vn.). Ergo per oppoſitionem, notio eſt formanda. Carent ergo damnati (cum peccatis enim ſeſe non coniungit DEVS, Iſ. LIX.2.) *viſione* 1) DEI beatifica, et 2) *gloriæ lumine* Matth.XXV.41.

2 Theſſ.

2Thess.I.9. Matth.VIII.12. XXII.13. Psal. XLIX.20. Ioh. III. 16. 36. Luc. XVII. 34. 3) *amore* DEI, quem vt bonum, mala ipsis infligentem repræsentare sibi non possunt (§. 128. Psych.), 4) *gaudioque* beatorum cum ἀναμαξησια, ex amore intentissimo profluente (§. 1057.), 5) omnibusque, quæ ibi deduximus, bonis et voluptatibus, hic non repetendis, Zach. IX. 11. (aqua enim solatium, refrigerium, gaudium et voluptatem denotat) Matth. XXII. 13. Excluduntur ergo ab omnibus ad beatitudinem sensitiuam etiam spectantibus ornamentis, deliciis, luce, corporumque donis et beatorum loco, consortio angelorum et beatorum etc. Luc. XVI. 26. Apoc. XXI. 27. XXII. 15. 2Pet. II. 17. Jud. 13. Jes. IX. 2. XLII. 7. Luc. I. 79. Eph. V. 8.

§. 1061. Quum damnatorum animæ, cum corporibus coniungantur (§. 1042.); in loco erunt, statui damnationis conuenienti. Sed tædium est damnatio (§. 145. Ph. Pr. Vn.). Ergo ita comparatus esse debet, vt tædium excitet ipsis. Quodsi itaque finem mundi per ignem fieri, cogitamus (§. 1052.); facile ex sapientiæ diuinæ notione, qua media & fines serie quadam, vt vnum fiat alterius, inter se nectit; nihilque frustra facit: ignem, quo seculo finis imponitur, damnatorum esse locum

(*infer-*

(*infernum* dicunt), nobis persuademus. Vel enim annihilabit illum; sive minus. Prius per miraculum, quæ augere non licet, faceret; quæque per nostram minuuntur sententiam, sapientiæ diuinæ in his *etiam* congruam. Igne ergo *proprie dicto* et *materiali* Sc. etiam affirmante, torquentur; ita vt *singularem* a DEO nouiter creatum, fingere, non habeamus opus. Luc. XVI. 23. 24. Matth. XIII. 42. 50. Apoc. XXII. 15. vid. etiam loca (§. pr.) excitata. Ergo ad quæstionem: *vbi sit?* damnationem *absolute consummatam*, vbi anima et corpore torquentur, si intelligis; respondere facile possumus. Si vero de consummata *secundum quid* loqueris, vbi animæ tantum respectu patiuntur, non liquere fateor; etsi, damnatio quia immediata est cum DEO relatio (§. 1056.), quæque post corporis statim mortem, locum inuenit, hodie iam existere, et a loco beatorum distinctum (per antec.), et intra sic Hexaëmeron creatum, (§. 198.), non negemus. Luc. XVI. 28. Nec est, vt dicas: duas sic esse gehennas, quod superfluum. DEVS enim alteram non creat nouiter, adeoque nulla statuimus miracula, sed naturali nexu explicamus. Hinc necesse etiam non est, vt cum *Pontificiis* in *terræ centro*; vel cum *Raschio* aliisque in *sole*, vel cum aliis, extra *hunc mundum* (*terram* nisi intel-

intelligant, (O. enim creata, ad quæ et infernus, ad mundum pertinent), ponamus. Vltima enim nec ex 1 Pet. III. 10. nec Ioh. XII. 31. probari potest; siquidem ibi non de annihilatione (§. 1052.); *foras* hic non idem, quam *extra mundum*. Quod ad mediam attinet, probabilis non videtur, quia cetera mundi corpora in exustione, per miraculum, præter necessitatem quod statuitur, annihilanda essent. Nec primam recte probant Pontificii 1) ex Eph. IV. 9. nam a) descensus ad inferos non datur (§. 813.), sed b) status modo et *finis* exinanitionis indicatur. 2) Num. XVI. 33. Scheol enim sepulchrum, aut statum post mortem significat. 3) Phil. II. 10. *Status* (non locus) *depressus* est, in quo viuunt Diaboli. 4) Matth. XI. 22. Resp. præc. Multo ergo minus Pontificiorum aditus & Ostia inferni, in Aetna aut Hecla probamus. Ita nostra non euertitur sententia, a) per defectum alimentorum. Nam, quis alimenta soli praebet? nonne eodem modo, per partes a ui ignis dissipatas, quæ delabuntur rursus, pabulum capere potest. b) Spiritus Diabolos non excruciat. Resp. habent corpora (§. 240.). c) stridorem, a *frigore* ortum trahentem, non excitat. Resp. consummatio seculi fit successiue, et stridor dentium, non semper a frigore. d) ignis

lucet;

lucet; adeoque nullæ essent tenebræ. Resp. per fumum. Errant ergo, qui ignem *incorporeum, inuisibilem* et *immaterialem* (contradictionem enim inuoluit), aut *improprie* sic dictum statuunt. Quum enim 1) a proprietate litteræ sine necessitate non sit recedendum; et 2) in tam variis, quæ excitauimus, locis, ignis, flammarum, vstionis, accensionis fumi, aliorumque ignis veri attributorum Sc. mentionem faciat, nec 3) infernus, cum valle Hinnom, negato igne, conuenientiam haberet, et sic 4) beatorum regnum, ex oppositione, improprie explicandum esset; Christusque ipse 5) in *sententiæ publicatione*, vocabulo hoc vtatur; proprium, negare ignem, adiecta 6) probatione nostra, temerarium foret, negare. Iesa. XXX. 33. LXVI. vlt. Marc. IX. 47. Luc. XVI. 24. Apoc. XIV. 10. 11. XX. 10. XXI. 8. Matth. XXV. 41. Dicis: ita et vermes draconesque proprie dictos esse in inferno. Resp. Neg. de his enim, nec in sententiæ publicatione, nec executione quid recurrit. Et, quum hanc sententiam sæpius, adducit Sc. S; *nullius momenti*, quod aliis placet, esse non potest. Quum itaque in inferno, verus ignis est (per ant.): non fumus solum; sed horrenda etiam Diabolorum et damnatorum spectacula et terriculamenta, et præter naturam *partium* O. corporis agitati si-

tus, formæ et ſpecies, itemque tenebricoſa per fumum, vorago atque abyſſus, *oculos* percellet; *aures*, non interruptus tot myriadum eiulatus, fletus, ſtridor, execratio et clamor; *nares*, intollerabilis, per tot corpora excitatus, fœtor; *linguam*, peſtilentiſſimus ſapor; tactus organa totumque corpus, ignis, aliorumque corporum et diabolorum etiam et damnatorum intenſiſſimus furor. Ob iuſtitiam DEI, membra corporis, quibus maiora perpetrarunt peccata, maiores etiam pœnas accipere damnatos, non ſine ratione credimus Luc. XVI. 24. Quum vero hæc omnia a rebus, per ſenſationem externam patiuntur; *damnatio ſenſitiua et externa*, ſtatui omnino poteſt. Non tamen ex dictis, *Tortores* ſeu, a DEO ad ſingulare torquendi officium *conſtitutos*, atque carnifices quaſi Diabolos eſſe, ſequitur; niſi *per accidens*. *Per ſe* enim eſſe tales, non 1) ipſa ſolum eorum ad quam deſtinati ſunt, damnatio; ſed et 2) maior, quæ illis, præ hominibus, maiora ob *ſeductionis* peccata irrogatur, pœna; quæ autem 3) alias, poſito tortore, ob voluptatem fere, quam pro fine, caperent, leuior eſſet, 4) iuſtitiamque diuinam læderet, præcipue nulla 5) cum ex Sc. adduci probatio poteſt; negat Matth. XXV. 41. Apoc. XX. 10. Nam quæ ex Prou. XIX. 29. Matth. XVIII. 34. Luc. XII. 48. adducuntur, improprie, ob *con-*

textum

textum sunt intelligenda; ex Sir. XXXIX. 33. Libro Apoc. autem de ventis, aut hac vita agunt. Sic enim 6) et ignis infernalis, aliaque, damnationem externam promouentia, tortores essent dicenda. Nos, eos si de seductionibus, aliisque nobis inflictis malis, obiurgemus, ob iudicium, quod sine præiudicio ex rei veritate formant conuicti, aliosque malos, qui necessario inde oriuntur, affectus, e. g. pudorem, pœnitentiam etc. torquere (quemadmodum omnia ibi ad mala excitanda, disposita erunt), affirmare eodem iure possemus.

§. 1062. Ignem infernalem sentient damnati (§. pr.). Sibi ergo rerum, quas sentiunt, conscii sunt (§. 5. Log.). Ergo et *sui ipsius*, quiuis. Quum vero non ob iudicium extremum solum, in quo, se harum passionum rationes causasque esse, ex ore ipsius Christi perceperunt; sed ob nexum etiam cogitationum et actionum: non possunt non, ex sensationibus quia ideæ proueniunt et cogitationes, de miseria sua cogitare. Hinc per abstractionem, quæ animæ vis non perit, iudicia sibi formabunt vniuersalia, ex quibus conclusiones, statui suo, h. e. miserrimo elicient conformes; multo quidem plures, quo maior ampliorque in his terris, ratiocinandi habitus fuit. Ergo et hoc respectu,

nonnullis quia præ ceteris, distinctior cognitio erit, veritas *aliquatenus* Luc. XII. 47. seq. proposita, elucet. Et quum corpora surgunt eadem (§. 1042.): alios etiam damnatos, quos hac præsertim in vita malorum socios cognouerunt, quosque ad peccandum instigarunt, occasionemque præbuerunt, ob eandemque rationem ipsos insequentes indesinenterque insectantes, pœnamque sic augentes, cognoscent. Marc. IX. 44. Verum maxima eorum quia pœna est et miseria: vi oppositionis, quæ pœnam auget consideratio et notitia, beatos etiam, eorumque perfectiones, *exclusi* intelligent Luc. XVI. 23. seqq. Sap. V. 3. seqq. Ergo, eandem quia pœnam Diaboli incurrunt (§. pr.): Diabolos etiam dignoscere posse, elucet. Quodsi vero, DEVM, hunc mundi nexum, malaque, quæ patiuntur, eorum peccata, quæ comitantur, constituisse perpendimus: non possumus non DEVM, *causam damnationis efficientem*, comminantem Gen. II. 17. et præparantem et irrogantem, Matth. XXV. 41. 46. adpellare. Quum vero et huius rei tam in extremo certiores reddantur iudicio; quam per ipsam suorum conscientiam et iudicia, quæ sibi ex statu præteriti et præsentis consideratione formant, discursiua: cognitio etiam ipsis erit ipsius DEI, iudicis vindicisque rigidissimi; beatis vero, quorum cognitio-

gnitionem habent, benigniſſimi. Apoc. VI. 17. Quum vero mala hæc, pœnæ ſunt, quæ peccata conſequuntur (per def. pœn.): *cauſa impulſiua externa* et *remota* ſeu *mediata*, peccata ſunt non expiata omnia Rom. VI. 23. VIII. 13. 1 Cor. VI. 9. 10. Iac. II. 10. Verum peccatorum expiatio, ſine Chriſto, cuius meritum contemnunt, cogitari non poteſt (§. 816.). *Proxima* ergo et *immediata* et ſecundum quosdam, *adæquata*, eſt meriti Chriſti contemtus, ſeu ἀπιςια finalis. Ioh. III. vlt. Col. III. 6. Marc. XVI. 16. Sed peccatorum pœnam poſtulat iuſtitia DEI etiam vindicatiua (§. 67.). *Impulſiua* ergo *interna*, iuſtitia DEI eſt. 2 Theſſ. I. 6. Ergo ſi ἀπιςια, omnes, et corpore (§. 1061.) et anima, infelices reddit: *Subiectum quod* ſunt omnes finaliter ἀπιςοι Rom. I. 1 Cor. VI. Gal. V. Col. III; *quo* vero, anima et corpus. Matth. X. 28.

§. 1063. Quodſi DEVM, cauſam efficientem et impulſiuam cognoſcunt damnati (§. pr.): repræſentant ſibi vt malum, ſeu tædium, quod maxime diſplicet illis. Quum vero tædium malaque auerſamur (§. 128. Pſych.): DEVM auerſantur, et ex ſeparatione ab eo, ne malis illis angantur, voluptatem quærunt. Sed, hoc odii proprium eſt (§. 113. Pſych.). *Odio* ergo Eum proſequuntur Apoc. XVI. 16. E. deſtituti etiam ſunt

imagine diuina. Omnis ergo DEI directio et ordinatio ipſis diſpliceat, eſt neceſſe quod vt bonum (apparens) ſibi repræſentant. Vnice ergo bonis reguntur adparentibus. *Vota* ergo fruſtranea, multo euomunt. Eodem modo, quia beatos, feliciſſimos cognoſcunt (§. pr.): *inuidia* erga hos laborabunt (§. 115.) Sap. V. 2. ſeqq. Quod vero ad ſe ipſos aliosque, ſeductores præſertim horum malorum cauſas (nam et ipſi damnati, variis verbis factisque, quæ ipſis mala erunt, adeoque ad iram malosque affectus prouocare ſocios poſſunt, cauſæ ſunt §. pr.), attinet: *ira*, et quia propter *habitum* imaginationemque continuo maior euadit (§. 122. Pſych.), *iracundia*, et *furore* in ſe ipſos, malorum cauſas, torquentur. Quoniam vero ærumnarum peiorum continuationem certo cognoſcunt: *puſillanimitate*, *metu*, et *terrore* etiam anguntur. Ob ſtatum porro, in quo viuunt depreſſo, ſiniſtrumque et piorum et impiorum iudicium, *pudore*, *deſiderio inani* et *pœnitentia* excruciari certum eſt; quæ omnia ob habitum imaginationisque legem continuo intenduntur. Ergo quia mala hæc ſibi præſentia, quamdiu damnantur, perſentiſcunt: ſemper verſantur in *triſtitia*, et quidem ob malorum grauitatem, maxima. Dum porro ſe ipſos, cauſam damnationis iudicant: *oritur* ex *excitatur* ipſorum conſcientia, quam

malam

malam esse omnino deprehendunt; quod *morsus pugnaque* conscientiæ perpetua, etiam probant. Nunquam ergo erunt securi, nec gaudio, acquiscentia, quieteque fruuntur; sed ex ipsa corporis sui, quod adeo damnationem *auget, coniunctione,* ignis dum infernalis in corpus agit, corpusque reagit, quodque a vi ignis, quia resistere non potest, depellitur, in anima etiam, ob harmoniam corpus inter atque animam, tormenta patiuntur. Ad hæc omnia, finem quia malorum non vident, *desperatio* accedit; adeoque ob maxima, quibus circumsepti sunt, mala, sunt *infelicissimi.*

§. 1064. DEVM odio, beatos inuidia, se ipsos aliosque indignatione et ira etc. prosequuntur damnati (§. pr.). Ergo, nec DEVM adorant, laudant, amant, reuerentur. Ergo non sunt virtuosi sed vitiosi. Inter creaturas vero pertinent rationales, a DEO semper dependentes. Leges igitur adhuc naturales seruare, sunt obstricti. Quum vero 1) actiones eorum iam descriptæ, legibus naturalibus repugnant (§. 16-39. I. N.): in inferno etiam peccare, patet; et quidem, quia actiones et læsiones in infinitum procedunt, dum nullus locus, tempus aut occasio adduci potest, vbi relinquat peccator, si modo possit; in *infinitum.* Dicitur autem

infinitum in Mathematicorum scholis, vbi non deprehenduntur limites, vltra quos augeri amplius non possit. Verum et alio, nostram probare sententiam possumus, modo. Nam, 2) quia ob mala, quæ patiuntur, DEI ipsis directio et ordinatio, quam maxime displicet (§. pr.): directioni conueniunt non agunt; adeoque peccant. Et quia 3) imagine diuina destituuntur (§. pr.): *vi* etiam carent bene agendi, adeoque male agere seu peccare debent omnino; id quod 4) ex defectu luminis gratiæ et gloriæ; itemque 5) ex adparentibus, quibus vnice reguntur, bonis (§. pr.), intelligitur. Ergo quia vires bene agendi sibi ipsis comparare non possunt, sed quod fieri per satisfactionem, quæ ipsis non promissa, debet (§. 38. Diss. Prol.): peccant tam diu, quam diu durat damnatio. Errant ergo *Augustinus*, et *Scholastici* aliique, qui nec peccare in inferno *posse*, probant 1) quia essent sine lege. Neg. licet fortassis positiua, non tamen naturali. 2) Rom. VI. Resp. respectu huius vitæ, de qua sermo. Ergo et blasphemare DEVM, si malitiæ *gradus* cogites nonnullorum, maxime est probabile. Etsi vero in *infinitum*, quod ex ipsa damnationis et mentis natura probauimus, peccant; nec aliter agere indurati (§. 409.) possunt: non tamen eorum id officit *libertati* contrarietatis et contradictionis

nis (§. 146. Psych.); siquidem vel erga DEVM, se, et alios peccare, facultatem habent. Hac vero ratione (§. h. et pr.) continuo et *successiue* dum mala eos aggrediuntur, dolores excitantur maiores. Quum itaque id, *Vermis* proprium habeatur: non male *Vermis* nomine, hæc mala in Sc. S. adpellantur Marc. IX. 44. Ergo non proprie locutio intelligenda; aut vermes in inferno statuendi. Ex his ergo mala deprehendimus physica et moralia, quæ damnatis, maximo sunt tædio (§. 1061. seqq.); itemque bona, quibus carere coguntur (§. 1060.). Hæc, *pœna* dicuntur *Damni*; illa, *sensus*. Ergo damnatio, in *priuatiuis* et *positiuis* consistit permultis.

§. 1065. Quum itaque in 1) infinitum et *perpetuo* in inferno peccant damnati (§. pr.), et non cessante peccato, nec pœna tanquam necessarium iustitiæ diuinæ consequens, cessare potest (§. 62-67.): damnatio etiam ex parte *post* (sic dubium: *finitum non est capax infiniti*, cadit) infinita est et perpetua. Accedit, 2) obedientiam vel *protensiue*, *intensiue* et *extensiue* talem, postulare legem (§. 954.); vel talem pœnam. Quum vero obedientiam eiusmodi non præstamus (§. 372.): pœna nobis vel manet infinita, vel satis-

factio DEO ab alio, pro toto humano genere, est præstanda (§. 44-54. Diss. Prol.); quæ cum nec ratio perspicere sibi relicta potest; nec Script. præter Christi, alius mentionem non faciat, et fere superflua, ob salutificatoris nostri sufficientissimam, esset: DEVM per hanc quia salutem consequi iam potuissent omnes, noua ratione satisfactionis viam reclusurum esse, *sapientiæ* notione, statuere prohibemur; quibus, si proportionem respectu DEI sapientissimi, necessario inter peccata et pœnas obseruandam cogites, nostris te calculum adiecturum esse, credo. Respicit enim in æstimandis peccatis, ad *obiecti, subiecti,* et *actionis ipsius* quantitatem et qualitatem. Quodsi porro 3) habitum male agendi, per crebras actiones acquisitum, perpendis; non *desuetudinem,* sed *consuetudinem* potius in peccatis; adeoque et pœnas infinitas *probabiliter,* cessante *miraculo,* assumere cogeris. Idem 4) ex *sanctitate,* qua, cum peccatoribus, in infinitum peccantibus (§. pr.), coniungere nequit (§. 61.), elucet; et 5) ex Sc. S. Dan. XII. 2. Eccles. XI. 3. coll. Ioh. III. 36. Matth. XXV. vlt. Marc. IX. 44. Apoc. XIV. 11. XX. 10. coll. I. 18. XXIV. 11. Luc. XVI. 24. Iud. 6. 2 Thess. I. 6-9. 2 Pet. II. 17. Quodsi 6) oppositorum rationem (beatitudo enim *æterna* est), perpendis, damnationem æternam statuere placeat. Ceterum

Diabo-

Diabolorum et impiorum eadem est (§. 1047.). Ergo illorum etiam est æterna. Errant ergo 1) *Origenistæ*, 2) *Anabaptistæ* et 3) *Apocatastasistæ*, *aterni* etiam *Euangelistæ*, et *fratres misericordiæ*, et *intempestiue misericordes* dicti, qui finem damnationi ponunt. *Αποκαταστασις παντων* ergo est doctrina de fine damnationis; quem harmonia omnium cum DEO, sequatur. Errant ergo 4) *Sociniani*, damnatos annihilatum iri statuentes. Probant quidem 1) aduersari benignitati et misericordiæ DEI æternæ. Psal. LXXVII. 8. seqq. LXXX. 9. Iesa. XII. 1. Mich. VII. 9. Sed a) dist. inter attributa hæc, quæ æterna; et inter eorum *exercitium*. b) Loca agunt de peccatoribus pœnitentibus *hac* in vita; non in *altera*. Nonne etiem c) iustitia est æterna? 2) nullam esse proportionem inter peccata *finita* et *transitoria*, et pœnas infinitas. Resp. Proportio, *relatio* est; adeoque correlata probe sunt attendenda (§. 62. Log.). Ergo non *actus* peccaminosi hic, cum pœnis comparentur; sed *reatus*: per quem, *obiectum infinitum*, et *pretium* infinitum, reiicitur. Recte ergo *iustitia infinita*, pœnas postulat *infinitas*. Quodsi porro, comminationem DEI Gen. II. 17. seqq. et *mortem æternam* simul includere attendimus (§. 335.): ob *veracitatem* suam demonstrandam, *hypothetice* etiam necessaria iudicatur. Et quia ob sapientiam, ita huius

mundi

mundi nexum constituit DEVS, vt peccata, pœnæ sequantur æternæ, quæ *omniscientiam* et *omnipotentiam* supponunt: iustitia vltrix, Rom. II. 5. 2 Thess. I. 6. seqq. Apoc. XIX. 1. seqq. veracitas Apoc. XXI. 5. 8. omnipotentia Apoc. XIX. 1. et *sapientia*, quæ hoc modo manifestantur, adeoque *gloria* eius, seu complexus perfectionum, *fines damnationis interni* recte constituuntur. 3) *Finem* hoc postulare *externum*, qui alias emendatio, vel ipsius interdum peccatoris (et nostro quidem casu tædiis damnationis ad pœnitentiam fidemque in Christum adducantur); vel aliorum. Resp. beatos, damnatorum pœnis emendari, vtpote qui in bono iam confirmati sunt (§. 1057.), concipere non possumus. Ergo ad solos pertineret damnatos, *diabolos* atque *homines*. Quod ad diabolos attinet, meriti Christi (*sine* satisfactione autem nulla et ipsis salus) non sunt capaces. Præter hæc enim, quia ipsi *libere* et non seducentibus aliis, peccarunt, adeoque maxima pœna digni, ipsa nostram, Sc. S. sententiam confirmat. Gen III. 14. Ebr. II. 5-18. Ipsis ergo, quorum naturam non assumsit, meritum eius usui esse non potest. Fingis enim, non probas, Diabolos in Christum crediduros esse. Ergo si ex hac ratione ad salutem eorum concludis: vel petitio est principii; vel circulum committis; quia ex salute, ad fidem

in

in Christum concludis. Præterea finem, quem tu fingis, externum, DEI quoque finem esse, probasti nondum. Nonne etiam exempla improborum, maxima mala sentientium, et tamen in malitia perseverantium, *instantiam* largiuntur? Et si uel maxime hæc omnia concedamus: per *desiderium* damnatorum, non tollitur reatus; alias diaboli, iam dudum essent conuersi. Idem etiam de hominibus reprobis, valet. 4) Rom. V. 17. 18. 19. Dist. 1) inter vniuersalitatem *acquisitionis* et *iuris ad salutem*, et *adplicationis*. Deinde *peruenire*, quo Apostolus vocabulo vtitur, *actiuum* verbum est, quod de *facultate* sæpius explicandum. Sensus ergo: quemadmodum mors peruenire ad omnes *potuit*; ita etiam *potuit* etc. Tempus autem, quod adest futurum, ad maiorem rei certitudinem, adhibetur. 5) Rom. XI. 32. scil. hac in vita. 6) Luc. XII. 48. Resp. de gradibus, non de duratione pœnarum sermo. 7) Ioh. X. 16. Resp. de *militante* ecclesia, sensus. 8) 1 Cor. V. 24. Resp. non de annihilatione, sed eneruatione virium. 9) Col. 1. 13-20. Eph. 1. 10. Resp. *Omnia*, vel *collectiue* sumitur (ergo et creaturæ irrationales simul includuntur, quod absurdum), vel pro substrata materia et contextu, scil. pro *ecclesia*, vers. 18. ad quam Diabolus non pertinet Ebr. II. 9. est explicandum. Subiectum

ergo

ergo intelligitur id, quod media, quæ ob sapientiam DEI, sibi adplicat, h. e. quod credit. 10) Actor. III. 21. Resp. non *absolute*, sed *limitate* loquitur Apostolus. De liberatione vero Damnatorum, nullum in V. T. est vestigium. Nam 11) Ies. X. XIV. 21-23. de *Iudais*, quod docet contextus, non de Diabolis, verba agunt. 13) 1 Tim. IV. 10. Resp. qua *meritum*, est omnium; qua *actualem euentum*, fidelium. 14) 1 Pet. III. 19. 20. Resp. vid. §. 813. 15) Matth. X. 28. Ioh. VIII. 31. XI. 26. 1 Cor. XV. 24. 2 Thess. I. 9. Ebr. X. 27. Resp. Dist. inter *annihilationem* substatiæ omnimodam; quam nec significatus vocabulorum, sed contrarium potius probat (vid. Matth. V. 29. Marc. II. 22. Luc. XIII. 7. Rom. IV. 14. VI. 6. Ebr. II. 14.); et *mutationem*, quam notiones, mortis præcipue (§. 1039.), et contextus probat in teterius. 16) Aeternum mortui, non æternum torquentur. Resp. Mors æterna in priuatiuis et positiuis malis consistit, non in annihilatione (§. 1064.). Ceterum neruose et solide hanc controuersiam tractauit Vir doctiss. IACOBVS VOSS, Eccles. Iac. Sedin. Minister vigilantissimus, im Bekentnis der Liebe Gottes nach der Warheit, bey der Lehre von unendlichen Strafen.

§. 1066.

§.1066. Pœnæ infernales multæ sunt atque æternæ (§. præc.). Ergo non pro *actu*, sed pro *statu* hic sumitur damnatio. Ergo congeries est *damnatio* malorum, finaliter impœnitentibus æternum infligendorum. Essentia ergo pœnarum infernalium in damnatis est omnibus. Quoniam vero, ratione 1) *cognitionis*, et 2) *actionum* patratarum multitudinis, quæ conscientiæ excitationem maiorem producit, maius excitare tædium debet (§. 95. Psych.); in *accidentalibus*, *gradus* non possunt negari; Matth. X. 15. XI. 21. 23. XXIII. 24. Luc. XII. 47. 48. quos etiam 3) *iustitia* diuina, *proportionem* obseruans, probat; ita vt, qui gradus cum *Socinianis* negant, et ipsi *Pontificii*, *Luthero* qui hanc, απιστιαν, quia damnationis causam adducit, affingunt sententiam, errent. Obiiciunt quidem *Sociniani*: Si *pariter* reiecti, *pariterque* in peccato mortui; *pares* subeunt pœnas. Resp. Neg. antec. vel in genere quidem; sed non in specie. Inuertitur ergo ob proportionem, ex iustitia DEI, argumentum. Ex his nunc intelligis *nomina*, quibus in Sc. S. exprimitur, damnatio. Vocatur enim תפת דראון απολεια, ολεθρος, κολασις, *iudicium gehennæ*, *æternum exitium*, *Domini vindicta*, *ira ventura*, *mors æterna*, *infernus*, *caligo tenebrarum*, *Scheol.* (non pro *loco*, sed ipsa *passione*) *ignis sempiternus*, *ima tenebræ*, *vermis*, *stagnum ignis* etc. Iesʃ. LXVI. 24.

XXX.

XXX. 33. Dan. XII. 2. seq. Matth. VII. 13. VIII. 12. XVIII. 8. XXV. vlt. XXIII. 33. Ioh. III. 16. 1 Thess. I. 10. 2 Thess. I. 8. 9. Apoc. II. 11. XIX. 20. XX. 6-15. XXI. 8. etc.

CAP. XXXI.

DE STATV ANIMAE POST MORTEM.

§. 1067.

Animam post corporis interitum immortalem esse, non ratio solum (§. 145. Th. N.), sed ipsa et beatitudo et damnatio æterna probat. Matth. X. 28. XXII. 32. Eccles. XII. 7. Apoc. VI. 9. Luc. XVI. 22. 23. XXIII. 43. Errant ergo *Sociniani*, Ethnici, Sadducæi etc. qui immortalitatem negant 1) quia anima O. cum corpore sit coniuncta, alias non viueret. Neg. et dist. inter vitam totius suppoti, et partis. 2) Sensationes et operationes corporis, requiruunt partes. Neg. dantur et *interna*. 3) Eccles. III. 19. 20. 21. Resp. Salomo de *euentibus externis*, qui hominibus, iusta mentis lance omnia non ponderantibus, iidem, cum bestiis esse videntur, loquitur. Hinc versu 21, quis *scit*, inquit, seu quis *intelligit* atque *ponderat*? Nam

Nam verba *actiua*, ſæpe de effectu et affectu ſunt intelligenda, ita, vt Reſponſio et hic, et præcipue Cap. XII. inueniatur. Alii, de exacta animarum et brutorum ſcientia, quam hominibus neget Salomo, interpretantur. Quamuis vero animæ immortalitas in propatulo ſit: ſunt tamen et alii, qui *ſtatum animæ poſt mortem*, ſeu a morte temporali, ad extremum vsque iudicium, variis ſibi repræſentant modis. Nam, dantur nonnulli, 1) *corpus* qui *ſubtile*, ex craſſo, quo in his circumfuſum erat terris, extractum, ſtatuunt, quo anima ſeparata a corpore veſtiatur; quod ex ſpiritus finiti, nullas alias, ſenſationes cogitationesque habituri eſſentia atque natura probant. Verum, etſi poſt corporis *ſtatim* mortem, animam nullius rei conſciam ſibi eſſe, ob *mortis* non ſolum et *deliquii animi* ſimilitudinem, ſed ob *harmoniam* etiam corpus inter atque animam, facile concedamus; non tamen concedere id poſſumus. Diſtinguimus potius inter *ſpiritum*, nullo qui vnquam corpore ornatus erat, et qui erat. Illius corporis; non vero huius neceſſitatem, ob facultates mentis, imaginationem, memoriam reminiſcentiam intellectum, rationem etc. quibus cogitare pergit, et hac in vita ſine commercio corporis cogitauit, concedo; quod etiam ex relatione cum DEO immediata, ita vt cum mundo

hoc materiali, nullam habeat, patet. Sunt 2) qui corpus aliquod *subtile*, quod, *præter* crassius, quod gerimus, haberet anima, statuunt, id quod non ex *purgatione* animarum solum, quæ sine doloribus perfici non possit; sed ex ipsis, quæ adparent, quæque illa subtilia corpora venditantur, deducunt *spectris*. Verum, nec *ratio* hæc nos condocet, nec Sc. ita vt intra Ethnicorum figmenta recte collocentur. Neque enim *piorum*, qui per iustificationem iam purgati; neque *impiorum*, quæ frustra, concipi hæc purgatio potest. Qua ex ratione, nec cum *Rüdigero* aliisque, corpusculum illud, quo anima, et *hac in vita* contra experientiam gaudeat, assumere placet. Sunt contra alii, qui animam, 3) iudicium in sepulchro, seu cum, et in corpore mortuo, ad extremum vsque iudicium commorari putant. Verum, vbi probatio? Dicant enim in quanam parte? Nonne sæpissime partes dissipantur, aut ab animalibus, aliisque rebus soluuntur, adeoque immutantur? Sunt etiam, qui 4) cum *Manichæis*, in *lunam* transsumi, et ita demum in *solem* assumi blaterant; vel etiam secundum alios 5) circa planetas fixasque cum harum incolis versari, vt opera DEI tam immensa, intelligant, quam sapientissima, maximas quod ipsis voluptates creet. Sed quid de impiorum iudicandum? Num eadem

est

est ratio? Verum, corpore quia destitutæ sunt, nec motus earum, nec horum sensationes, quæ cogitationes excitare alias solent, concipi possent. Vel enim has per miraculum produceret DEVS; vel ipsa, ex se euolueret anima. Si hoc adsumis; vel ideas, quæ experientiæ contradicunt, innatas statuere cogeris; vel, sic animas constituisse DEVM, vt eo tempore, planetas fixasque vna cum incolis sibi repræsentaret. Qua vero ex ratione adscensum earum in illa loca fingis? cum et hæc fieri his in terris possent. Dicis: corpusculo quodam sunt vestitæ, adeoque motus ita sensationesque concipiuntur. Verum, id experientiæ est contrarium, nec miracula fingere licet. Quo ipso tamen eundem nos, quem antea de loco animæ separatæ in corpore mortuo reiecimus, errorem, non erramus, neque rationibus, quibus defenditur, subscribimus. Nam, quæ de motu animæ iam disputauimus, *proprium* ipsarum tantum concernit, quem omnino negamus. Verum, quum angelis DEVS ceu ministris vtatur Ebr. I. vlt. Luc. XVI. 22. et motum eos promouere, et viam ad cœlestem patriam monstrare posse, patet; quod etiam de *malis* valet. Nec est, vt dicas: animas, omnia ad beatitudinem aut damnationem pertinentia, externa, quæ ex coniunctione cum cor-

pore demum oritur, excepta, percipere posse. A posse enim ad esse, non V. C. quod etiam de possibili in corpore mortuo, commoratione iudicandum.

§. 1068. Quum itaque anima separata nullo circumsepta sit corpore (§. pr.); et tamen vel beata aut damnata erit (per *oppos.*): non distincte solum, bona 6) vel mala sibi repræsentare, sed et varia iudicia producere et ratiocinia debet; quod ex natura animæ, immediataque eius cum DEO relatione, perspicitur (§. 146. Th. N.). Equidem animam *statim* post corporis mortem, ob destructam, quæ sensationes cogitationesque alias promouit, harmoniam, itemque ob terrorem, ex improuisa viuendi ratione ortum, homini, deliquio animi laboranti similem, nullius fere rei conscium, adeoque in statu idearum obscurarum esse, facile concedimus. Quum vero animæ essentia superstes maneat (§. 254. Psych.): mutatio hæc sensationem in anima producit, ex qua cogitationes proueniunt, obscuriores primo quidem, sed ob continuum agendi conatum, in clariores demum successiue resolubiles. Hinc, quia ob rationem, nexum cogitationum perspicit: per imaginationem, status immediate præteriti recordatur, quem maxime diuersum a præsenti deprehendit. Quum itaque nullam iam mutationem in organis sensoriis (ideæ enim

enim materiales in cerebro exulant, et sic immateriales etiam in mente §. 182. Psych.) perspicit: cum corpore non amplius coniunctam, mortuumque corpus esse, facile concludit; quo ipso per legem imaginationis atque rationem, internasque sensationes, ad alias cogitationum species, procedit, ita, vt et hoc modo ex statu praesenti, per praeteritum imprægnato, enasci sequens possit. Quid vero cogitet? ex iis, quae de particulari iudicio (§. 1045.) commonstrauimus, facile concipere licet. Dubium vero, quod ex analogia mortem inter atque deliquium animi formatur, locum hic habere nullum potest; siquidem in deliquio, corporis coniunctio atque harmonia nondum est sublata, vt in morte; ita vt sensatio externa, necessario fere requiratur ibi; quae exulare in mortis statu omnino potest. Hinc, quia et cogitare anima separata potest, et re vera etiam cogitat (per antec.): locus beatorum et damnatorum, quem defendimus, animae non repugnat. Conf. §. 1058. 1061. et loca ibi excitata. Luc. XXIII. 43. coll. 2 Cor. XII. 2. seqq. XVII. 22. Apoc. VII. 4. 15. XIII. 14. Phil. I. 23. Luc. XVI. 23. seqq. Errant ergo maleque statum post mortem explicant 7) *Thnetopsychitae*, animam cum corporibus, vsque ad extremum iudicium interire, adeoque sensus et opera-

tionum expertem esse, statuentes, quibus 8) *Sociniani* accedere videntur, contra ll. cc. et Matth. XVII. 3. XXII. 32. Luc. XX. 38. Ebr. XII. 23. XI. 40. Phil. III. 12. Putant quidem Abrahamum etc. viuos dici, quod nempe ad vitam sint reuocandi; adeoque de resurrectione *tantum*, Christum loqui. Verum neg. nam *absolute* viuere, mortui dicuntur; immo et omnes spiritus, adeoque et animam separatam negabant *Sadducæi*, Reliqua statim dubia resoluemus. Ita nec accurate statum animæ separatæ explicant 9) *Hypnopsychitæ*, qui vitam animæ, ad extremum vsque iudicium, nonnisi sensitiuam, adeoque obscuras tantum repræsentationes, nullamque adperceptionem concedunt, et cum *Socinianis* probant 1) Ps. VI. 6. Resp. de toto supposito, vel potius de *sepulcro*, et statu depresso vbi os et membra, DEVM laudare nequeunt. 2) Ps. LXXXVIII. 13. Resp. quod contextus probat, eadem. Vertendum potius: *in obliuione mortis*. 3) Ps. CXV. 17. Resp. laude oris. 4) Koh. IX. 5. Resp. De vanitate spei *temporalis*, ex contextu, loquitur Salomo, quam reiicit, quamque mortui, *votis suis* nec possunt, nec debent consequi. Est enim יד verbum actiuum, quod affectiue et effectiue est vertendum. 5) Ies. XXXVIII. 18. vid. Resp. ad dub. 1. 6) 1 Thess. IV. 15. Resp. de *resurrectione*, non de statu animæ post mortem

mortem sermo, adeoque vitium est elenchi. 7) 2 Tim. l. 12. Resp. de depositi fruitione, *totum* quoad *suppositum*, animam scil. atque corpus, sermo est; siquidem corpus etiam, tanquam instrumentum Euangelii, ad beatitudinem, de qua sermo, pertinet consummatam. 8) iudicium vniuersale, negata Hypnopsychitarum doctrina, superfluum et frustra esse. Neg. (§. 1049.). *Exceptiones* facile ex nostris diluuntur. Ita nec accurate 10) *Psychopannychitæ* in Arabia olim, quamuis et *genus*, hi constituere omnium errorum possint, hunc statum explicant, quia animam, post mortem, vnquam intelligere negabant; id quod etiam de 11) *Oniropsychitis*, claras qui separatæ, repræsentationes, sed præteritarum *tantum* rerum, adeoque *somnium* animarum concedunt, est iudicandum. Ita 12) *Patroni lethæi poculi*, qui personalitatem suam non sic exserere animam docent, vt sui, hac in vita, status, distincte recordetur, non sunt audiendi. Qua exratione nec 13) *Metempsychosis crassa*, et *Pythagorica*, quæ animas cum quibuscunque aliis corporibus, coniungit. Omnes enim cum *Socinianis* et *Catabaptistis* quibusdam docere coguntur: saltem ante resurrectionem nec gaudio affici nec tædio, adeoque nec pœnas sentire nec præmia. Probant quidem 1) 2 Tim. IV. 8. coll. 1 Pet. I. 5. et Col. III. 3. seq. Sed dist. inter beatitudinem inchoatam et con-

ſummatam. Ne iam de mortis die alios intelligere, dicam. 2) Ebr. XI. 40. Reſp. etſi vel maxime de vita æterna, de Chriſti enim aduentu in carnem explicant alii, agere locum non tamen aduerſariorum ſententiam probare concedimus. Quodſi enim iam vitam impetraſſent: finis iam mundi exiſteret, adeoque nos eo ipſo, contra nexum, a DEO conſtitutum, fuiſſemus excluſi. 3) ſic nulla reſurgendi cupido. Neg. Maiorem enim beatitudinis gradum, in conſummata, adipiſcitur anima, quam in inchoata. 4) Pſ. XXX. 10. Reſp. de ſepulchro et laude oris, ſermo. 5) Pſ. XXXIX. 14. Ier. XXXI. 15. Iob. XIV. 10. de hac vita agunt. conf. Gen. V. 24. Denique, quia animæ, a DEO, diuerſæ toto cœlo ſunt (§. 12. Th. N.): errant, 14) qui animas diuinæ particulas auræ, atque in DEVM redituras, docent.

§. 1069. Quodſi ergo vel beatitudinem frui animæ poſſunt, vel damnatione (§. 1067. ſeq.): ſtatum aut locum tertium, 15) cœlum inter atque infernum, *medium*, qui cum *Peterſenio*, *Lichtſcheidio*, *aliisque* defendunt, non accurate hac in re ſentire, patet. Quum enim ad diſtincta, pertingere anima queat ratiocinia, *ſtatumque*, quod recentiores dicunt, *perſonæ*, *actu* ſeruet (§. pr.); ex quo non *adpetitus* ſolum in *genere*, ſed alii etiam affectus

ctus et boni et mali, quales gaudium, lætitia, amor DEI, et quos (§. 1075.) deduximus fere, nec non ira, displicentia, tristitia, odium etc. (§. 1063.), oriuntur; itemque voluptas atque tædium; quæ vel beatitudinem, seu, si mauis felicitatem, itemque infelicitatem seu damnationem constituunt (§. 136. Ph. Pr. Vn.): *præmiorum pœnarumue* sunt capaces. Quum itaque a) nil hac ratione impedit, quo minus beatitudinem accipiant, vel damnationem; præterea etiam b) immediata, earum status, relatio est cum DEO (§. pr.): piorum, et DEVM *videre*, omnibusque, quæ sine corpore assumi possunt, bonis frui, ob c) *iustitiam*, d) *sapientemque* DEI, qui alias interrumperetur, *nexum*, eiusque e) φιλανθρωπιαν, ipsamque f) animæ naturam, statuere cogimur. Quibus ex rationibus et damnatorum animas, mala cum priuatiua, tum positiua, fuse (§. 1064.) descripta, in quantum sine corpore possibilia pati, affirmamus. Conf. loca (§. 1066.) excitata. Quodsi vero piorum animæ nec DEVM vident, nec gloriæ lumine collustratæ, sed *spe* tantum horum obtinendorum delectantur, etsi cum Christo, angelis, beatisque animabus viuere, aliisque bonis frui dicantur: g) non ipsa beatitudinis modo tollitur notio (§. 1055.); sed etiam quia his frui, ita h) eadem ratione, et visione DEI, pos-

sunt. Eodem modo res, cum impiis sese habent; qui *metu*, non vero ipso pœnarum infernalium *sensu* excrucientur. Quæ *spes* animæ separatæ, intuitionis DEI, post peractum iudicium extremum obtinendæ; et metus pœnarumque infernalium sensus, *status* cum dicatur *medius*: statum hunc probabilem non esse patet. Errat ergo et 16) *ecclesia Graca*, ipsum quæ hunc statum amat, *additque*: animas tristi, vitæ ante actæ, memoria, non tamen ab igne elementari, a paterna DEI virga, aliquid ærumnæ pati; donec ecclesiæ beneficio et precibus, aut liberentur, aut consolationem, ne excommunicatis quidem, *absolutionem* qui et sperare possunt, exceptis, obtineant; contra Matth. XVI. 15. Rom. V. 1. Apoc. XIV. 13. Phil. I. 23. 2 Cor. V. 1. Koh. IX. 5. 10. XI. 3. Gal. VI. 7. Quodsi enim iam *beati* sunt: nec anxietate illa ex recordatione peccatorum; nec precibus erit opus, ita vt rationi, præter iam dicta, et hoc modo contradicat. Probant quidem 1) Luc. XXIII. 43. vbi *paradisi* fit mentio, qui non sit ipse beatitudinis status, sed *intermedius*. Sed Neg. ob 2 Cor. XII. 2. 4. vbi etiam intuitiua est visio Matth. XVIII. 10. 2) Ioh. XX. 17. scil. quoad humanam naturam: quoad diuinam ergo latro fuit cum Christo. 3) 2 Cor. XII. 2. 4. Resp. a silentio Paulli, intuitiuæ visionis respectu, ad negationem

tionem, animæ etiam ſeparatæ reſpectu, N. V. C. Paullus enim, etiamſi non habuiſſet, corpore ſuo forte impediebatur: nec ſequitur: nulla datur. 4) VI. 16. Diſt. inter ſtatum hominis, et animæ ſeparatæ. 5) Apoc. VI. 9. 10. 11. ſed in viſione beatifica, ſpes, deſiderium, et exſpectatio nulla. Reſp. Beatorum actiones omnes gloriam reſpiciunt diuinam; adeoque iuſtitiam DEI potentiamque manifeſtare ſtudent. Minime ergo deſiderium eſt cum anxietate coniunctum. Nullum ergo decreti diuini patefactio ipſis excitauit tædium. 6) 2 Cor. V. 2. 10. 11. ſeqq. Apoc. XXII. 12. Matth. XXV. 34. 2 Tim. IV. 8. Tit. II. 13. 2 Pet. III. 12. ſeqq. Ebr. X. 26. ſeqq. 1 Ioh. III. 2. Reſp. de *gradibus* tantum accidentalibus, ſeu potius de beatitudine *conſummata*, qua *animam* et *corpus*, ſimul agunt. 7) *Auctoritatem eccleſiæ* adducunt Græci. Verum, non Apoſtolicæ, ſed iam ſuperſtitioſæ; aut, ſi vel maxime concedamus, non ſtatum intermedium, ſed potius deſiderium coniunctionis cum corpore, vt completa frui beatitudine queant, impropriis hiſce verbis: *igne* ſcil. *virga* etc. indicauit. 8) Patrum, Baſilii, Chryſoſtomi, Epiphanii etc. conſenſum, ad preces in defunctorum commodum probandas, in medium proferunt. Reſp. errarunt, ſi hæc eorum mens ſit. 9) 2 Tim. I. 18. Reſp. Ergo

de

de iudicio extremo, non vero de ſtatu refrigerii loquitur; præſertim, cum neſciamus, mortuum iam fuiſſe Oneſiphorum. Præterea etiam *votum* eſt, quale et nos aſſumimus, quo iuſtitiæ et veracitatis manifeſtationem, efflagitamus. 10) oblationes pro *mortuis*, ſemper in eccleſia obſeruatas eſſe. Reſp. non in Apoſtolica; itemque non ad ſtatum mortuorum tolerabiliorem reddendum, ſed vt non excommunicatos fuiſſe publice oſtenderetur; quo ex ſigno vſuque ſymbolico, efficacia mox occulta ortum traxit.

§. 1070. Quodſi ergo nullus eſt intermedius ſtatus (§. pr.); omnesque fideles per iuſtificationem et peccatis et pœnis ſunt purgati (§. 888.), Ezech. XVIII. 22. Mich. VII. 19. Iſ. XLIV. 22. Rom. V. 1. 2. VIII. 1. non accurate etiam 17)per *purgatorium* ſeu *ſtatum purgationis* h. e. ſtatum, in quo animarum ſeparatarum peccata *venialia* (ergo ad *impœnitentes* non pertinet) per ignis *proprie* dicti (a Græcorum ergo ſtatu intermedio diuerſi, vtpote qui nec pecuniam quæſtumque ex eo quærunt), tormentis abolentur, vt æternam conſequantur vitam; animarum poſt mortem, ſtatum explicare *Pontificii* ſolent. Duas enim *tantum* vias, hominumque O. diuiſiones, Sc. adducit S. Immo et *Pontificiorum*

rum nonnulli, *Ioh. Fiſcherus,* Art. 18. contra Lutherum, et *Petrus a Soto,* aſſert. Cathol. p. 83. 85. etc. purgatorium ex Sc. probari non poſſe, fatentur; id quod et inuenire licet in unſchuldigen Nachrichten de A. 1701. p. 189. et 1702. p. 836. conf. etiam *Ioh. Gerhardi* confeſſ. cathol. L. II. P. II. art. X. Marc. XVI. 16. Matth. VII. 13. 14. XXV. 32-46. Ioh. III. 16. 36. Probant quidem ſententiam 1) ex 1 Cor. III. 15. Reſp. eſt contra contextum, ſiquidem non de *proprie* ſic dicto *igne,* qualis in purgatorio, quodque res metaphoricæ comm. 12. 13. probant, eſt ſermo. Et quia hic ignis tantum ad ſolos *doctores* pertinet (comm. 4. ſeqq.): purgatorium, quod ad omnes, eſſe nequit; 2) Matth. XII. 32. Ergo in ſtatu intermedio ſeu purgatorio. Neg. Ebraiſmus enim eſt, *Marco teſte* III. 29. 3) 1 Cor. XV. 29. in *vſum* ſc. mortuorum. Reſp. In hoc necrobaptiſmo ὑπερ vel *ſuper:* vel *pro, vice* vel *propter* intelligi poteſt. *Super* enim defunctorum *tumulis,* ob firmiſſimam de reſurrectione mortuorum fiduciam, baptizabantur. Quodſi *vice,* reddideris: κατ' ἀνθρωπον diſputat Apoſtolus hunc in modum: ſi tantam illi habent de reſurrectione, fiduciam, vt *vice* mortuorum baptizari patiantur: quanto maior erit orthodoxorum. Si vero ὑπερ, *propter,* interpreteris: ſenſus eſt: ſi aliorum conſtanter et intrepide adſpexerunt

runt mortem. Ergo non de animabus *separatis* sermo. 4) Luc. XXIII. 42. Sed, per vocabulum *hodie:* refutatur. 5) Matth. V. 26. Luc. XII. 59. Resp. *donec,* non *terminatiue,* sed *continuatiue,* h. e. *nunquam,* reddendum, vti Matth. I. vlt. Ebr. X. 12. adeoque *Ebraismus* est. 6) Act. II. 24. Sed de *Christi,* non *animarum* doloribus, sermo. 7) 2 Macc. XII. 40-46. Resp. est liber apocryphus; alias ex Sap. III. 1. contra Pontificios argumentamur. 8) Tob. IV. 18. erant conuiuia sepulchralia. 9) Mal. III. 2. de cruce, tanquam igne metaphorico hac in vita, agit. 10) Zach. IX. 11. Resp. de inferno, sermo, ex quo per Christum liberati sumus. Qui vero ita *Patres* V. T. *ante* aduentum Christi demortuos, a visione beatifica excludunt, illisque certum assignant locum, quem 18) *limbum Patrum* vocant, ex quo vero iam egressi, ex Gen. XXXVII. 35. Ies. XXXVIII. 10. Luc. XVI. 26. 1 Pet. III. 19. Ebr. XI. 13. contra contextum probant. Verum, nec sic accurate statum eorum post mortem describunt (§. pr.). Act. XV. 11. Ebr. XIII. 8. Apoc. XIII. 8. quemadmodum 19) *infantum,* ante circumcisionem et baptismum descendentium, quosque in *limbum infantum* collocant, vbi pœna tantum afficiantur damni, non sensus (§. 1064.), ita vt nullum (quamuis *internum* alii *tantum* concedant) experiantur dolorem, quod contra natu-

ram

ram mentis (§. 1045.). Sed quæ ἀγραφια? Nonne etiam extraordinarie saluari possunt?

CAPVT XXXII.

DE OFFICIIS TRINITATIS, PRAECIPVE SPIRITVS SANCTI.

§. 1071.

Post tristem generis humani lapsum, et *naturali* et *spirituali* et *æterna* obnoxium morte erat (§. 294.). Interceſſit vero in Trinitate, fœdus de hominibus rursus saluandis (§. 432.); in quo DEVS *Pater*, genus humanum in gratiam iterum recipere, *æternamque* eius promouere salutem, promisit (§. 433.). Quum autem veracissimus est DEVS (§. 73.): suum hoc seruare promissum omnino debet; adeoque ad actiones, quibus æterna nostra promouetur, est obstrictus. Sed actio, ad quam certis conditionibus obligamur, dicitur *officium*. DEO ergo *Patri* certa competunt *officia*, quæ complexus sunt actionum O. quibus ex fœdere Euangelico, *conferrendo æternam* nostram promouere salutem, est obstrictus. Ergo officia hæc tantum ad *Oeconomiam* pertinent *Euangelicam*; adeoque,

adeoque, quæ *hanc* non respiciunt actiones, officia DEI Patris dici nequeunt. Quæ ergo vitam nostram concernunt *temporalem*, quales e.g. sunt creatio corporis et animæ, conseruatio, sanitas, prolongatio vitæ, auxilium in angustiis, malorum remotio etc. non sunt DEI Patris officia; sed quæ ex attributis partim diuinis; partim ex sapienti vniuersi nexu, consequuntur. Ergo totius œconomiæ salutis 1) *ordinatio* et 2) *directio*, et quæ ad hanc spectant, inter Eius referri officia debent. Hinc 3) *missio* filii ad *ενσαρκωσιν* Gal. IV. 4. Ioh. III. 16. 1 Ioh. IV. 10. Patri adscribitur. Ergo et manifestatio et concessio 4) *misericordiæ* Luc. I. 78. Ies. XL. 14-16. Ier. XXXI. 20. 5) *amoris* atque 6) *gratiæ* Ioh. XIV. 23. XVI. 27. Rom. V. 8. 7) *paternæ fidelitatis* et 8) *veritatis* Psal. CXVII. 1. 2. 1 Cor. I. 9. X. 13. 9) *humanitatis* et 10) *familiaritatis* Hos. II. 14. Tit. III. 4. 5. 11) *benignitatis* atque 12) *longanimitatis* et 13) *lenitatis* Thren. III. 22. 23. Ioel II. 13. Rom. II. 4. 5. Hos. XI. 8. 9. 14) *paternæ reuersorum a malis exceptionis* Ier. III. 22. 23. Matth. XI. 28. 15) *infirmitatum tolerationis* Psal. CIII. 10-14. Ies. XLII. 3. 16) *castigationis* Ebr. XII. 5-10. Ps. CXIX. 67. 71. 17) *precum exauditionis* Ps. L. 15. Ies. LXV. 24. Ioh. XVI. 23. 18) *Paternitatis*, Deut. XXXII. 6. 2 Cor. VI. 17. 18. 19) *filiationis* Eph. I. 5. 1 Ioh. III. 1. 20) *donationis*

tionis Sp. S. Ezech. XXXVI. 26. 27. Ioh. XIV. 16. 21) *effusionis in baptismo* præsertim Iesˑ XLIV. 3. 4. Tit. III. 5-8. 22) *glorificationis Christi* Ioh. XVII. 1-5. 23) *Eiusque traditionis* Act. II. 23. 24) *resuscitationis* Act. X. 40. 41. 25) *tractio ad filium* Ioh. VI. 44. et quæ sunt alia. Quodsi officiorum horum definitiones condere, ex iisque per iustam concludendi rationem eruere, quæ in iis continentur, vellemus, quod breuitatis gratia mittere cogimur: maximus se apperiret dicendi campus. Sed ea, vt et quæ hinc sequuntur, practica, explanationi seruamus; quod de sequentibus etiam obseruandum.

§. 1072. Quia in fœdere Euangelico expromissor, Christus recte vocatur (§. 451.); satisfactionemque obtulit Patri (§. 433.); itemque vt DEVS (§. 100.), veracissimus est (§. 73.): certa, Christo competere *officia*, quiuis videt (§. pr.), vbi, quæ de Patris (§. pr.), adnotauimus, et hic valent; quæ ergo sunt complexus actionum, quibus *acquirendo* salutem nostram promouere ex F. E. est obstrictus. Ergo ad officia Christi pertinent 1) Eius erga nos, *amor* Ioh. XIII. 1. 1 Ioh. III. 16. 2) *traditio* Gal. II. 20. 1 Tim. II. 6. 3) *aduentus in mundum* Matth. IX. 13. Ioh. X. 11. XVI. 28. 4) ἐνσάρκωσις Ioh. I. 14. Iesˑ VII. 14. 5) *natiuitas* Iesˑ IX. 6. Ebr. II. 14. 15. 6) *exinanitio*

nitio Phil. II. 6. 7. Matth. XX. 28. 7) *paupertas* 2 Cor. VIII. 9. 8) *contumelia* Ebr. XII. 2. Ies. LIII. 2. 3. 9) dolorosa passio Ies. LIII. 4. 5. Ebr. II. 10. 10) *infirmitatum susceptio* (§. 552. seqq.). 11) *mors* Phil. II. 8. 1 Cor. II. 2. 12) *exaltatio* Luc. XXIV. 26. Phil. II. 9. seqq. 13) *resuscitatio et resurrectio* Ioh. X. 18. 2 Tim. II. 8. 14) *ascensio in cœlos* Eph. IV. 10. 15) *sessio ad dextram DEI* Marc. XVI. 19. Eph. I. 20. 21. 16) *Regimen* Rom. XIV. 9. Col. I. 17. 18. 17) mediatio inter nosetPatrem 1 Tim. II. 5. 18) *sacerdotium* Ebr. VII. 24. 19) *meritum* Eph. V. 2. 20) *redemtio et liberatio e manu hostium* Hos. XIII. 14. a) *peccati* 1 Ioh. III. 5. 6. b) *mortis* Ioh. V. 24. 2 Tim. I. 10. c) *inferni* Ioh. VIII. 51. d) *Diaboli* 1 Ioh. III. 8. e) *mundi* Gal. I. 4. f) ex ira DEI 1 Thess. I. 9. 10. g) *a maledictione et coactione Legis* Gal. III. 13. Col. II. 14. h) *timore seruili* Rom. VIII. 15. 21) *leuatio ægritudinis et crucis* Matth. XI. 29. 2 Cor. IV. 8. 9. 22) *reconciliatio cum Patre* Rom. V. 10. 23) *impletio legis* Matth. V. 17. 24) *satisfactio pro peccatis* Rom. V. 6. 25) *solutio a pœna* Ies. LIII 5. Ioh. I. 29. 26) *peccatorum remissio* Eph. I. 7. 27) *imputatio iustitiæ Christi* 2 Cor. V. 21. 28) *non-imputatio peccatorum nostrorum* Rom. VIII. 1. 29) *collatio et donatio pacis cum DEO* Rom. V. 1. aliorumque, quæ de iustificatione Cap. XIII. et seq. docuimus, 30) et *solatii conscientiæ* Ebr. X. 22. 31) *quietisque cordis* Ps. CXVI. 7.

7. 32) nec non *refocillationis animæ* Ier. XXXI. 25. itemque 33) donationis vitæ æternæ Rom. VI. 23. 34) *communionis cum Christo in passione* 2 Cor. IV. 10. Phil. I. 29. et 35) *in gloria* 2 Tim. II. 11. 12. 36) *cum Christo et S. S. Trinitate* Ioh. XVII. 21. seqq. 1 Cor. VI. 17. 37) *purificationis cordis* Act. XV. 9. 38) *virium vitæ spiritualis* 2 Pet. I. 3. 39) *operatio in nobis* Rom. XV. 18. Phil. IV. 13. 40) auxilium et præsidium Matth. XXVIII. 20. Ies. XLV. 24. Vt denique sit 41) *pro* nobis Ioh. XVII. 19. 1 Pet. IV. 1. 2. et 42) *in* nobis Eph. III. 17. 43) *voluntatis* et *essentiæ DEI patefactio* Ioh. I. 18. 44) *glorificatio Patris* Ioh. XVII. 4. et quæ sunt alia. Sunt quidem, quæ descripsimus (Cap. IX.) et officia Christi; sed *generalia*, ex quibus *specialia* hæc prono alueo fluunt.

§. 1073. Equidem conferre nobis vult salutem Pater clementissime (§. 1071.), quam Filius nobis acquisiuit (§. pr.). Verum, nullæ cum hominibus spiritualiter mortuis, sint vires (§. 250.): beneficia hæc nec adplicare, nec frui iis possunt. Ergo vel superflua sunt, quod absurdum (§. 54.); vel ob æternam, quam *creaturarum* promouere nulla potest (§. 49. Diss. prol.), salutem, adplicare DEVS ipse debet. Quum vero ex Fœdere Euangelico, nec Patri competit,

nec Filio (§. 433.); *applicatio* tamen, ob efficaciæ diuinæ neceſſitatem certiſſime requiritur (per ant.); nec plures, tribus in DEO, perſonæ ſunt (§. 148.): Spiritui S. competit omnino. Et quum hanc in F. Eu. etiam promiſit (§. 433.): *officia*, Sp. S. habere, patet (§. 1071.), quæ complexus ſunt actionum O. quibus ex F. Euang. *adplicando* media, æternam noſtram promouere ſalutem, eſt obſtrictus. Quæ ergo ad *adplicationem* hancce pertinent, ad officia etiam Sp. S. pertinere cenſentur; de quibus vero, quæ (§. 1071.) adnotauimus, ſunt obſeruanda quoque. Ergo officia inter Sp. S. referuntur 1) *Elenchus* et *Epanorthoſis* Ioh. XVI. 8. ſeqq. Gen. VI. 3. 2) *vocatio* Phil. III. 13. ſeq. 2 Theſſ. II. 14. 3) *illuminatio* 2 Cor. IV. 6. Ioh. XVI. 13. 4) *conuerſio* Act. XI. 18. 5) *regeneratio* Ioh. III. 5. ſeq. 6) *mutatio interna* 1 Pet. III. 14. ſeqq. 7) *renouatio* 2 Cor. IV. 16. 8) *ſanctificatio* 1 Cor. VI. 11. Pſ. LI. 12. ſeqq. 9) *conſeruatio in bono*, ſeu *perſeuerantia fidelium* 1 Cor. I. 7. ſeq. 10) *cuſtodia inter malos* Ioh. XVII. 15. adeoque 11) *apertura cordis* Act. XVI. 14. 12) *collatio cognitionis* a) *peccatorum* 2 Tim. II. 24. ſeqq. b) *gratiæ diuinæ* Rom. V. 5. c) *Chriſti* 1 Cor. XII. 3. Ioh. XVI. 14. d) *ſalutis* Philem. 6. e) *virium Chriſti* Phil. III. 10 13) *contritio cordis* 2 Cor. V. 10. 14) *conſcientiæ accuſatio* Pſ. XXXVIII. 9. 15) *bonum propoſitum* Phil. II. 12. ſeq. 16) *inhabitatio*

bitatio Sp. S. 1 Cor. III. 16. seq. VI. 19. 17) *communio cum Sp. S.* 2 Cor. XIII. 13. 18) *impulsus* seu *operatio* Rom. VIII. 14. 19) *testimonium Sp. S.* Rom. VIII. 16. 20) *communicatio donorum* 1 Cor. XII. 4-11. 21) *clamor in cordibus* Gal. IV. 6. 22) *Aduocatia* Rom. VIII. 26. 23) *plenitudo Sp. S.* Rom. XV. 13. 23) *consolatio* Ioh. XIV. 16. 24) *manifestatio mysteriorum,* 1 Cor. II. 9. 10. Eph. I. 17. seqq. 25) *compositio verbi diuini et adplicatio* 2 Pet. I. 21. Ps. XIX. 8. seqq. 26) *Legis* Rom. III. 20. 31. et *Euangelii* Rom. I. 16. Ies. LXI. 1. seqq. 27) *directio et ordinatio ministerii* Ier. III. 15. Matth. IX. 38. 28) *Scholarum, officinæ* hinc Sp. S. dictarum, Eph. IV. 11. 12. (*Doctores enim sunt scholarum*). 29) *officium Ianitorium* Ioh. X. 3. 30) *Sacramentorum baptismi* Matth. XXVIII. 19. et hinc 31) *fœderis conscientia cum DEO* 1 Pet. III. 21. 32) *ablutio peccatorum* Act. XXII. 16. 33) *ordinatio S. Cœnæ* 1 Cor. X. 16. 34) *manducationis spiritualis* Ioh. VI. 35. 35) *augmentatio in bonis* 1 Thess. III. 12. IV. 1. 36) *in Christianismo* Eph. IV. 15. 37) *corroboratio* Eph. III. 16. 38) *obsignatio* Eph. IV. 30. 39) *Arrha* Eph. I. 14. 40) *vnctio* 2 Cor. I. 21. 22. 41) *conseruatio* 2 Tim. I. 13. 14. 42) *victoria* 1 Ioh. V. 4. 43) *officia, producendi fructus atque effectus spirituales* seu *virtutes* erga a) DEVM, b) *nos* et c) *alios,* quarum permultæ sunt, in Theol. Mor. pertractandæ 44) *collatio donorum ministrantium* et *sanctificantium*

1 Cor. XII. 1-3. 45) *conscientiæ excitatio* Rom. II. 15. seq. Act. XXIV. 25. etc.

§. 1074. Quodsi, quæ de officiis Sp. S. §. pr. dicta sunt, inter se comparemus, conuenientiam seu similitudinem O. horum inter se deprehendemus, quæ in eo consistit, vt totum genus humanum (§. 457.), (quod ergo *subiectum* seu *obiectum*), ita dirigat, vt legibus diuinis rursus conuenienter viuere queant, h. e. vt reddantur sancti. *Hominis* enim *sanctitas* in harmonia actionum cum lege consistit (per def.). Qui vero alterum sanctum reddit, eum *sanctificat*. Recte ergo Sp. S. officium in *sanctificatione* consistere, ipsequeSp. S. ideo sanctus et *Sanctificator* dicitur. Quum itaque in statu integritatis et imaginis diuinæ, sanctus homo fuit (§. 213.): diuinam rursus imaginem hominibus restituere, salutemque sic aeternam promouere intendit (§. pr.). Quum vero quælibet hoc persona diuina suis sibi peragere officiis proposuit (§. 1071. seqq.): *finis* officiorum Trinitatis *intermedius*, instauratio est imaginis diuinæ; *vltimus*, nostra salus. Et, quia hæc ex fœdere Euangelico fluunt officia (§. 1071.): *causa impulsiua interna*, misericordia est diuina 1 Pet. I. 3. Luc. I. 78. Eph. I. 7. II. 8. 2 Pet. III. 19. 1 Tim. II. 4. *externa* vero, *meritum Christi* et *hominum miseria*. Eph. II. 5. Quoniam vero

vero per hæc Trinitatis officia, DEI etiam promouetur gloria: *finis absolute vltimus* est gloria DEI. Quamuis autem ad sanctificationem, et gloriam, suum conferunt personæ Trinitatis O. per *adpropriationem* tamen ex F. Euang. et *relatione*, quam *inter se* personæ diuinæ habent, hoc sibi vendicat officium Sp. S. ita vt Sp. S. *finis proprius* etiam sit glorificatio *Patris* et *filii* Θεανθρωπε. Hinc sp. υιοθεσιας Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. *Sp. filii* Rom. VIII. 9. 11. et *Sp. gloriæ* 1 Pet. IV. 10. *nominatur. Ex quo perspicitur, a Patre et Filio, quia ab iis dependet*, simul procedere. Et quia, quod tota nostra tractatio loquitur, nullis mediis, nisi verbo vtitur et sacramentis: *hæc*, sui officii *instrumenta* esse, quiuis videt. Loquimur vero de viribus, quibus sanctificationem promouere intendit, *ordinariis*: ita vt opera, viribus *extraordinariis* et absolute miraculosis (cum in V. tum N. T. Ioel II. 28. et *ante* et *post* aduentum Christi, quod ad officium eius in *genere* pertinet (§. pr.), reuelando, scil. Act. II, 1. seqq. dirigendo, et constituendo ecclesiam, inque ea salutis media) sic peracta non negemus. Hinc officia Spiritus S. in *ordinaria* et *extraordinaria* diuiduntur.

§. 1075. Quum itaque totum sanctificare genus humanum intendit (§. pr.), cuius

nemo est sine peccatis; quibus etsi *theoreticam* Sc. etiam S. cognitionem habeant, quod experientia testatur, sanctitati resistunt: O. homines de peccatis suis impotentiaque in rebus spiritualibus conuincat. Complexus actionum Sp. S. quibus de peccatis impotentiaque spirituali O. conuincit, officium dicitur *Epanorthotico-elenchticum*. Gen. VI. 3. 2 Cor. VII. 10. Ioh. XVI. 8. Quum vero conuictio in *certa* cognitione consistit (§. 201. Log.): non certi tantum fiunt, sed et quia certa, viuam cognitionem parit (§. 22. Eth.), *viuide* afficiuntur, quod ex eo etiam patet: quia vt mala hoc modo sibi repræsentare, peccata debent, quæ auersamur (§. 128. Psych.). Et auersationem igitur erga peccata excitat, et desiderium hac e miseria elabendi, eo maius, quo maior peccatorum, præcipue contra Christi meritum commissorum, vna cum eorum consequentiis pessimis, est conuictio. Ergo et *irregeniti*, iique præcipue; et *regeniti*, in quibus destruere rel quias peccatorum intendit, officii huius sunt obiectum. Rom. VIII. 6. Verum nondum hoc modo sanctificationem consequuntur O. Ergo, quia reliquas quæ ad salutem pertinent, veritates, irregeniti præcipue, intelligunt nondum: O. ad salutem pertinentium veritatum, homines conuincat h. e. certos reddat, quid sit verum

rum vel falsum iustum et iniustum (quo et casuum conscientiæ resolutio pertinet), limitesque indicet, est necesse; qualis conuictio, *officium vocari didascalicum* potest. Quum itaque cogitationes ex sensationibus proueniunt (§. 8. Log.); nec per *saltum* DEVS ob sapientiam procedit: sensationes excitet spirituales, mediantibus quibus, ab vna veritate in alias descendunt, easque vt certas assumunt, et contra hostes spirituales defendere possunt. Beneficia vero concernunt veritates spirituales per Christum parta. Ergo et horum conuincantur, vt iustas sibi distinctasque ideas seu notiones; iudiciaque formare, rectèque ratiocinari eaque *connectere* possint. Ergo rursus et regeniti, obiectum sunt huius officii, et irregeniti, iique præcipue; quorum *intellectus*, seu potius omnes, ad *facultatem cognoscitiuam* quæ per hoc officium perficitur, pertinentes, determinationes, hoc modo instruuntur Ioh. XIV. 26. XVI. 13. Act. XVI. 14. 1 Cor. II. 12. Eph. I. 13-18. 1 Ioh. II. 20. 27. V. 6. Quum itaque res spirituales vt bona iam sibi repræsentant; quæ amamus (§. 128. Psych.): non possunt non homines, a Sp. S. edocti, veritatibus cognitis iam conuenienter viuere. Quia hostes vero spirituales adhuc supersunt (§. 426.): directio Sp. S. est necessaria, vt vitam voluntati diuinæ conformem viuant; quæ

officium eius *pædeuticum*, denominatione ab *infantibus*, vitam ſuam componere neſcientibus (euoluendum ergo ſimile)? deſumta, audit. Ergo a peccatis deterret, et cogitationibus prauis reſiſtit, atque homines abducit, et dehortatur. Verum, hoc pacto vitam diuinæ voluntati conformem nondum viuunt. Ergo, quia ſine *regula*, *viribus*, atque *motiuis* agere non poteſt anima (§. 130. Pſych.): regulas motiuaque iis proponit, adeoque impellit, cogitationesque bonas, et adpetitus excitat, fouet viresque ad exercitium virtutum O. concedit. Hinc nomina, quæ Sp. S. imponuntur, etiam intelliguntur. Zach. XII. 10. Rom. VIII. 13-27. Gal. V. 16-18. Phil. II. 13. Pſ. CXLIII. 11. 2 Cor. IV. 13. Subiectum ergo huius officii *proprie* ſunt regeniti, operationum harum capaces; quamuis certa relatione et modo, irregeniti participare poſſint quoque. Per hoc ergo officium facultas perficitur appetitiua. Denique, variis quia modis in virtutis tramite et ſalute, impedimento hominibus ſunt hoſtes ſpirituales; quibus affliguntur triſtiſſime: Sp. S. eſt, vt animos eorum reddat tranquillos; quod fit, de gratiæ eos ſtatu ſi conuincat; quæ de ſtatu gratiæ conuictio, *officium* Eius *Paracleticum* vocatur. Ergo, per hoc officium in afflictionibus atque tentationibus externis pari-

pariter atque internis erigit; easque remouet, vel saltem dulces facilesque reddit, efficitque, vt suam vtilitatem afflictionum ipso sensu percipiant, eosque non pro malis, sed bonis habeant, deque iis lætentur, adeoque animum in vexationibus lætum, tranquillum, securum, gaudii plenum, deque salute sua æterna certum, et patientem habeant; præterea vires concedit amplectendi Christum et bona per ipsum parta, seque vna cum P. et F. cum homine coniungit, etc. Pf. LI. 13. 14. Ebr. IV. 5. 6. 2 Cor. I. 21. seqq. V. 5. Eph. I. 13. seqq. IV. 30. Rom. VIII. 16. XIV. 17. 1 Pet. IV. 14. Ioh. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7. Act. IV. 31. Quæ hoc §. deduximus Sp. S. officia, *generalia* sunt, ex quibus specialia (§. pr.), consequuntur. Quoniam vero non hæc solum, sed P. etiam atque F. eo tendunt, vt vniuersi nexum a) meliorem reddant, b) eumque corrigant, c) satisfactionisque maxime necessariæ (§. 54. Diss. Prol.) actualitatem probent, quo ipso d) misericordia atque iustitia, vno nomine gloria diuina manifestatur et illustratur (§. 1071. seqq.): non rationi solum non contradicunt; sed potius consentanea deprehenduntur; *modum* etsi *indicare* non queamus. Hinc et in N. et V. T. tam dictis passim excitatis, quam typis iam sunt expressa, id quod *lychnuchus*, et *oleum vnguenti*

vnguenti loquuntur. Lux enim *perpetua, pura* et nunquam exstinguenda in tabernaculo, Sp. S. denotat in ecclesia, qui totam illuminat *semper*. Tubuli vero ex lychnucho procedentes, dona Sp. S. Ex. XXVII. 21. Oleum vero ex optimis compositum erat ingredientibus (ecce Sp. S. dona)! quibus tabernaculum omniaque eius vasa (officia et munera ecclesiæ), Aaron large (Christus), eiusque filii (Sacerdotes ceterique Christiani) vngebantur; quo ipso vires recipiebant, atque ad munia obeunda fiebant apti. Iesa. LXI. Ex. XXX. 26. seqq. 1 Cor. XII. 4. 5. 11. Ioh. III. 34. 1 Ioh. II. 20. Buccinatores vero *sacerdotes* typi erant doctorum, Apostolorum aliorumque Euangelium prædicantium Rom. X. 18. Vnicum modo addam: in N. non amplius, vt in V. sub iugo et coactione legum; sed libertate, per Christum parta, suis Sp. S. officiis fungi; quod ex Cap. de lege et Euangelio patet. Rom. VIII. 15. 2 Cor. III. 17.

§. 1076. Quæ (§. 1073. seqq.) descripsimus Sp. S. officia, ex fœdere gratiæ profluentia, variis nobis adplicat modis, qui ideo *actus gratiæ applicatricis* adpellantur, quique, vt ex (§. pr.) et natura mentis humanæ DEIque elucet, sequenti sese inuicem sequuntur ordine: 1) vocatio 2) illuminatio

3)

3) conuersio 4) Regeneratio 5) iustificatio et quæ ex ea certo modo fluunt 6) Renouatio et quæ ex ea fluunt, et 7) glorificatio; quos Act. XXVI. 17. eodem ordine deprehendes. Ex qua actuum gratiæ Sp. S. seu adplicatricis definitione, per *determinationem*, quæ via ad notiones perueniendi est commodissima, quid *actus gratiæ in genere* sint, intelligi facile potest: modi scil. quibus personæ diuinæ, officia sua in hominibus exercent, seu exercitium officiorum diuinorum in hominibus. Quum itaque nec Patris nec Filii frustra esse possunt officia: exercitium eorum maxime est necessarium; adeoque et actus gratiæ, Patris et Filii respectu, sunt statuendi. Illius, *actus* dici possent *gratiæ conferentis*; huius, *acquirentis*, quales sunt obedientia eius actiua et passiua, intercessio in cœlis, modique regnandi. Ex actibus hisce gratiæ videre est etiam, cur opus aliquod diuinum ad extra, quod tribus alias commune est (§. 140.), per *appropriationem* vendicare sibi persona possit; itemque, cur aliqua diuinæ personæ actio, mox *actus gratiæ*, mox *opus ad extra*, mox *officium* aut opus œconomicum (§. 15. Prol.), dicatur. Vnius enim rei plures esse *relationes* possunt (§. 63. Log.). Ex quibus denique *attributa* actuum gratiæ ac officiorum Trinitatis elucent. Nam, quia ex fœdere Euangelico

gelico dependent (§. 1071.); quod circa hominem lapsum et spiritualiter ægrum, immo mortuum occupatur (§. 430.): 1) *medicinalia* sunt Tit. II. 11. 2) *actiua* 3) *indebita* adeoque 4) *gratuita* Rom. XI. 35. 6. et 5) *vniuersalia* (§. 457.). Quoniam vero a DEO sapientissimo proueniunt: sunt etiam 6) *ordinata*, quæ non per saltum fiunt, adeoque 7) *mediata*, interuenientibus scil. mediis, 8) *gradualia* et *intensionis* ratione et *subiectorum* Marc. IV. 25. seqq. Luc. XIX. 16. seqq. coll. Matth. XXV. 15. Ps. XXXIV. 6. 9) *sufficientia* attamen 10) *resistibilia* Act. VII. 51. XIII. 45. adeoque, quamuis non *effectricia*, vbi effectus necessario sequitur; tamen 11) *efficacia* Ies. V. 1. seqq. (§. 78.) et *seria* Ezech. XXXIII. 11.

CAPVT XXXIII.

DE PROVIDENTIA DIVINA.

§. 1077.

Quum itaque tota S. S. Trinitas pios *præ reliquis* in mundo rebus conseruat atque gubernat (cap. pr.); actus vero DEI, quo creaturas O. conseruat et gubernat, *prouidentia* dicitur: *specialissimam*, piorum respectu statuere prouidentiam cogimur; quæ etiam, quia, O. rerum *terrenarum* curam DEO commendant; ab hostibus ad inter-

ne-

necionem vsque vexantur; actionibus suis gloriam promouere DEI; Eiusque seruare mandata allaborant maxime hoc pacto necessaria videtur. Matth. VI. 26. X. 30. Act. XII. 7. 1 Tim. IV. 10. Ebr. I. vlt. Psal. I. vlt. Fruuntur ergo pii et specialissima, *speciali*, quæ creaturas respicit rationales, et *generali* seu *generalissima*, quæ creaturas O. Hanc necessariam esse, ex *contingentia*, qua vi propria existere non possunt, quæque creaturis *finitis* et *contingentibus* (alias entia infinita et necessaria fierent), *communicari* non potest, notione; itemque ex *existentia* continuata, quæ effectus est, et causam supponit (§. 1. Ont.), abunde satis demonstrauimus (§. 96-103. Th. N.). Quum itaque *mundus* series rerum simultanearum est et successiuarum inter se connexarum (§. 9. Cosmol.), adeoque ens contingens (§. 36. Ont.): prouidentia etiam in totum mundum se extendit. Ergo etiam in O. eius partes, *minimas* etiam *et vilissimas*. Non ergo mundus nobis est hic aspectabilis aut *systema* mundanum, quæ notio valde esset adstricta, et contra *rationem* (§. 9. Cosm.), et ipsam Sc. S. Gen. I. vlt. Act. XVII. 14. seqq. Matth. VI. 31. seqq. X. 29. seqq. Ex quibus, non *substantias* solum, sed actiones etiam in nexu consideratas, ad mundum pertinere, claret. Ergo, quia in Ente necessario,

quale

quale præter DEVM, nullum est, prouidentia est quærenda: DEVS, et quidem, quia opus ad extra, prouidentiæ *causa efficiens* est, *Trinunus* (§. 140.). conf. ll. cc. nec non Col. I. 17. et Psal. CXXXIX. 7. Ioh. V. 17. Qui vero rem conseruat atque gubernat, Dominus est (per def.). DEVS ergo est mundi Dominus. Errant ergo 1) *Remonstrantes*, aliique, qui *actum DEI mere negatiuum*, conseruationem esse, h. e. voluntatem tantum, essentiam creaturis non adimendi, curamque, ne ab aliis adimatur, præstandi, otiosamque disputationem dicunt; cum tamen contrarium ipsa etiam Script. doceat. Col. I. 17. Ebr. I. 2. 3. Act. XVII. 28. Probant 1) confundi hoc modo creationem cum conseruatione. Resp. Neg. Nam, etsi conseruationem continuatam creationem, *si DEVM spectes*, omnino dicamus: non tamen sine hac limitatione vnam eandemque rem esse, docemus; siquidem creatio, productio rei est ex non iam præexistente materia, quæ in conseruatione conspicitur. 2) alias res paullatim ad interitum vergere non posse. Resp. mundum esse ens *successiuum*, adeoque non semper DEVM, res O. *perpetuo* conseruare posse. Hinc debilitatio virium, et vt ita dicam, exspiratio conseruationi non contradicit. 3) DEO istam sententiam glorioſam, ne deterior fiat O. artifice humano,

mano. Resp. Artifices tantum res a DEO iam conseruatas, accidentaliter modificant. Ergo minime gloriosa (§. 100. Th. N.). 4) ad Philosophiam tantum pertinere. Hinc libertatem sentiendi. Resp. Neg. Quæ enim in Philosophia rite demonstrata sunt, non sunt ob ignorantiam, reiicienda; nec mere est res philosophica, vid. ll. cc. Errant II) qui O. prouidentiam cum Ethnicis permultis reiiciunt, probantes 1) Gen. II. 2. Resp. producendo scil. nouas species. 3) multa fiunt fortuito atque casu Eccles. IX. 11. Deut. XIX. 4. Neg. (§. 15. Cosm.), respectu DEI, quamuis hominibus ita videatur. 4) ex defectibus in mundo. Resp. Non sunt defectus, si ad totum mundi nexum, res referuntur. 5) 1 Cor. IX. 9. Sed non de bobus absolute sermo. De malis 6) infra. Errant III) qui res *vilissimas* cum Peripateticis excludunt; vbi *Hieronymum* consentientem adducunt. Resp. Si est: errauit. Matth. VI. 28. seq. X. 29. 30. coll. Luc. XII. 6.

§. 1078. In conseruatione et gubernatione, diuina prouidentia consistit (§. pr.). Quum itaque actus DEI, quo omnium creaturarum existentiam continuat, *conseruatio* audit: non *immediate* mundum, tanquam ens successiuum et simultaneum conseruat, sed *mediate*, sc. mediantibus creaturis, ita vt

non leges Logico-Morales, quoad spiritus (§. 216. Psych.); sed et mechanicas, corporum respectu, in mundo constituat, eaque omnia ad has leges adstringat. Sed dicis: ita DEO adscribitur indigentia. Negamus. Nam, quia DEVS omniscius, omnisapiens, sanctus, bonus est et omnipotens: non minus possibilitas conseruandi mundum, quam dubii *inanitas* elucet. Ergo potentia eius et sapientia potius, omniaque eius attributa, et gloria promouetur. Ad hunc ergo finem omnibus vtitur creaturis, angelis e. g. bonis et malis (cap. IV.) etc. Quoniam vero libertate gaudent spiritus: vel per electionem eorum, quæ a DEO ipsis præscribuntur id efficiunt, siue minus. In priori casu per creaturarum *obedientiam*, finem consequitur DEVS; in posteriori per *accidentalem accomodationem:* ita vt ea propter imputari creaturis nihil possit e. g. brutis sic, hominibus et angelis vtitur. Ergo, quia DEVS mundum conseruat; sine ui autem et potentia actio existere nequit (§. 55. Ont.): potentia etiam DEO competit, qua efficere potest, vt existentia creaturarum continuari queat; quam *potentiam conseruatricem* appellabimus, nulli quæ communicabilis Nehem. IX. 6. (§. pr.). Per quam ergo, vt et per ipsam eius conseruationem, non *elementa* solum seu *simplicia*, quæque ex his componun-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_1204
DFG

ponuntur corpora *cœlestia* pariter atque *terrestria*, *plantas* e. g. *mineralia*, atque *animalia*, vna cum ipsorum *speciebus* atque *individuis*, et *seminibus*, animas etiam et humanas et brutorum, aliosque spiritus bonos et malos, adeoque totum mundum, naturarumque ordinem potentissime conseruat; ita vt sine conseruatione in nihilum recideret; et hinc singulis momentis necessaria est (§. pr.). Quoniam vero *existentia* solum creaturarum per conseruationem continuatur (per def.); et conseruatio, continuata ex parte DEI, creatio est (§. pr.): nil nisi substantiale conseruat DEVS, quod in vi seu connatu agendi consistit. DEVS ergo quum vim seu conatum agendi concedit, adiuuat rerum actiones, quod *concurrere ad creaturarum actiones* vocatur, seu *influere*, ita vt *influxus* seu *concursus*, actus sit DEI præsentis externus, quo vim largitur, vt creaturæ secundum intentionem DEI agere et pati possint. Ergo hic influxus non est idea deceptrix. Act. XVII. 28. Per *mouere* enim indicat Apostolus: nos nullum corporis motum seu actionem sine concursu DEI, edere posse.

§. 1079. Quodsi ergo in concursu, vires *tantum* concedit DEVS (§. pr.); vis vero conatus agendi est (per def.): ad conatum tantum agendi DEVS concurrit; qui ratio-

nem continet, cur *generatim* creatura agat. Quum itaque ex hoc, actio habet, vt actio sit; et *actionis materiale* vocatur: DEVS concurrit ad actionis tantum materiale. Sed actionis, seu si mauis, vis atque conatus determinatio maxime est diuersa a vi ipsa. Quum itaque ad conatum seu vim DEVS tantum concurrat (§. pr.): non concurrit ad eius determinationem, quæ, differentiam *actionum* in creaturis *specificam* (et sic etiam *numericam*), constituit, quæque *actionis formale* salutatur. Verum, quia creaturæ substantiæ etiam sunt vi agendi præditæ (§. 55. Ont.); et formale ab ipsis dependet: vi propria etiam agunt. Per actionem autem substantiæ producitur effectus, quo respectu *causæ* dicuntur (§. 59. Ont.). Duplex ergo quoad mundi actiones, causa est; DEVS, et creatura. Caussæ vero liberæ præsertim, actio imputari potest (§. 25. Ph. Pr. Vn.). DEO ergo actionis *formale*, quod alii *materiale proximum* dicunt, imputari non potest, sed tantum *materiale*. Sed vis illa creaturarum O. quibus producitur actio, quia contingens (§. 41. Ont.), rationem habet in DEO. DEVS ergo ad O. actiones creaturarum debet concurrere. Ergo et ad *naturales*, quæ ex essentia et natura rei necessario consequuntur; et *voluntarias*, seu morales, quas libere eligimus; adeoque et

ad

ad bonas et malas; *nullaque* hinc in mundo, leuissima etiam, quæ in *operando* a DEO non dependeat, reperitur. Quoniam vero actiones *materialiter* consideratæ, ideo malæ fiunt, quia earum directio seu *formale*, ad quod DEVS non coucurrit (per antec.), est contra legem: ad malas non concurrit *vt malas*, adeoque malum ipsi imputari nequit; quod etiam exinde patet, quia actio, *vt actio*, non efficit, vt fiat mala; alias et bona, mala fieri deberet. Ergo, ita etiam exprimi posset: concurrit DEVS ad malas, quatenus sunt *physice tales*, seu ad id, *quod in actionibus malis est physicum*: non autem ad moraliter *malas*, seu ad id, *quod malum est*. Exemplum præbet Christi ad mortem traditio Act. II. 23. historia Iosephi Gen. XLV. 5. et Protoplastorum Gen. III. Probant etiam concursum hunc Sac. paginæ Act. XVII. 27. seq. 1 Cor. XII. 6. Hiob. X. 8. Quod vero ad *bonas* attinet, non *generali* solum, vt in O. creaturis *contingentibus*: sed *speciali* et *specialissimo* concursu sese manifestat. Irreg eniti enim viribus sunt destituti; regeniti vero quam maxime his gaudere possunt, quod ex Cap. pr. patet. Ergo, quia creaturæ agunt, non tamen sine DEO (per ant.): *concursus* DEI etiam definiri posset: actio, quatenus in DEO continetur aliquid rationis, cur creaturæ agant; adeoque DEVS

causa *prima*: creaturæ, *secundæ*. Dicitur enim *prima*, quæ rationem actionis vltimam continet; *secundæ*, quæ non. Ergo, concursus DEI est cooperatio cum causis secundis; et talis quidem, vt creaturæ, quia agere sine concursu DEI non possunt, causæ sint subordinatæ essentialiter (e. g. quoad bonas), et accidentaliter tales; minime vero sociæ, aut ministeriales aut mere instrumentales (§. 70-72. Ont.). Hinc, cooperatio quia est concursus DEI: porro sequitur, concursum hunc non esse *prævium*, qui ipsam creaturarum actiones antecedit, sed *simultaneum* (per Pr. Contr.). Et, quia entia vel secundum essentiam suam atque naturam agunt, quo ipso iam in creatione (exulat ergo *prædeterminatio* in concursu) per leges motus etc. sunt determinata; vel libere, quod tollere DEVS non potest (§. 121. Th. N.) Act. VII. 51. concursus etiam DEI non est prædeterminatus, id quod ex gubernatione etiam patebit. Ergo, nec in defectu nec excessu peccandum, ita vt nec negetur concursus, nec augeatur, si soli DEO omnia adscribamus, creaturas vero socias, instrumentales, vel occasionales etc. habeamus. Errant ergo I) *Pelagiani* atque *Remonstrantes*, qui cooperationem, et concursum DEI immediatum, si non *falsum*, *incertum* tamen, nulliusque momenti hanc contro-

trouersiam dicunt. Probant 1) repugnare, quod vna eademque actio a duabus principalibus causis, DEO et homine dependeant. Resp. Dist. inter causas *socias* et *subordinatas*, quas confundunt. Deinde, principalis causa et instrumentalis, et generatio filii a patre humano, instantiam largitur. 2) DEVM sic esse actionum malarum causam. Negatur, conf. probationem nostram, h. et pr. §. itemque §. 331. 3) vires sic creaturarum frustra esse. Resp. Neg. DEVS enim creaturis, non causis *occasionalibus* vult vti. 4) a diuersissime agentibus, DEO et creatura, produci actio nequit. Resp. concederemus hæc, nisi *subordinata* essent. 5) creaturas sic non habere vires sufficientes, adeoque tantum instrumenta esse. Resp. posterius per probationem nostram negatur; prius vero, quia sunt contingentia, concedimus, distinctione adhibita, inter sufficientes *absolute* et *secundum quid* tales. Illas enim habere, propter defectum potentiæ conseruatricis, per naturam suam, non possunt. 6) Gen. II. Resp. sc. ratione creationis nouarum specierum aut indiuiduorum. Errant ergo *Scotistæ* et *Dominicani*, qui causas secundas ad agendum prædeterminatas esse, probant 1) Prou. XVI. 9. XXI. 1. Ier. X. 23. Dist. inter determinationem *necessitantem*, et quæ fit per *motiua*, quæ libertati non officiunt

(§. 138. Psych.). 2) Act. II. 23. Dist. inter actionis materiale et formale. *Permisiue* igitur et *finaliter*, non *determinatiue* concurrit. 3) quia causæ secundæ sine prædeterminatione agere non possent. Dist. inter instrumentales, quales non sunt, et subordinatas. 4) nos ipsos determinationem agnoscere (§. 1085.). Resp. non *necessitantem*, sed tantum *limitantem*.

§. 1080. Quicunque naturæ rerum non conuenienter viuit, iis *abutitur*, adeoque peccat, seu male facit. Quum vero ad malas, *vt malas*, non concurrit DEVS (§. pr.): nec ad abusum in *genere*; nec *libertatis*, qua bonum sub ratione mali, et vice versa, amplectimur et auersamur (§. 128. Psych.). Ergo, qui libertate sua abutitur, peccat. Qui peccat, malum admittit morale; adeoque, nullum quia peccatum manet impunitum (§. 29. Diss. Prol.): adficitur pœna, seu malum patitur, quod imperans legum transgressoribus immittit. Mala creant tædium (§. 93. Psych.), quod nos infelices et sic imperfectos reddit (§. 145. Ph. Pr. Vn.). Q. nos imperfectos reddit, est *malum physicum*. Ergo ex moralibus, mala originem trahunt physica. Quum itaque ad libertatis abusum DEVS non concurrit: nec ad mala moralia concurrit nec physica; nec ad imperfectionem hominis *accidentalem*. Hinc, quia ob voluntatem

tatem optimam nec mala DEVS velit: nec peccata, nec mala moralia, nec imperfectiones hominis velle accidentales potest; quamvis ea permittat (§. 120. Th. N.). Quapropter, formale actionis quum homini et creaturis adscribitur (§. pr.): homo et creaturæ malorum causæ ipsi sunt. Ergo, causa et auctor mali non est DEVS, nec etiam *metaphysici*, quod ex limitatione determinationum essentialium oritur. Nam, quicquid ex essentia rei oritur, necessarium est. Malum ergo metaphysicum est necessarium, adeoque, quia creatura infinita contradictoria (§. 116. Th. N.); nec sic per DEI omnipotentiam possibilis (§. 83.), a creaturis abesse non potest. Quum itaque O. ens sit bonum: malum metaphysicum, non verum est, sed tantum adparens; adeoque nullum. Quam nostram thesin ex *relationum* doctrina facile etiam cognoscere licebit. Nam, malum est tantum relatio, quæ nec substantia est, nec modus seu accidens, quæque in rerum natura non existit (§. 61. Log.). Quum vero substantia adeoque entia creat DEVS, nec non conseruat, ad easque concurrit (§. pr.): mala DEVS nec creare nec conseruare, nec concurrere ad ea potest; id quod etiam ex *priuationis*, qualis malum est, cognoscere idea possumus.

§. 1081. Si 1) series rerum *simultanearum* et *successiuarum* inter se connexarum, mundus est (§. 9. Cosm.); nexusque in eo deprehenditur quoad tempus et spatium (§. 10. 11. ib.): dirigere DEVS totum vniuersum omnesque eius partes, debet ad certum finem, quæ *gubernatio* dicitur. Hinc, DEVS gubernare mundum, cogitur; id quod etiam 2) ex *Omnisapientia* elucet, qua semper fines et media connectit, ita, vt propiores media fiant remotioribus, omnesque ad finem tendant vltimum Gen. I. 16. XLV. 8. 1 Sam. X. 9. Ps. CIV. 13. 19. seqq. CXLVIII. 8. Ies. XLV. 18. Matth. V. 45. Apoc. XVII. 17. Qua propter *vult* etiam vt fines perueniant ad existentiam h. e. *decernit* (§. 82.). Quoniam vero DEVS ens est liberrimum et æternum: decretum hoc etiam liberum atque æternum, quodque ratione *obiectiua* nititur (§. 945.), et sic non absolutum (§. 81.), sed conditionatum et immutabile esse claret (§. 76. Th. N.). Verum optima præditus est DEVS voluntate (§. 56.). Optimum ergo elegit conseruat et gubernat mundum, et optime. Hinc *nostro* concipiendi modo ita gubernat: Q. optimum est, in gubernatione obseruandum. Atq. hoc vel illud etc. Ergo. Quod cum ex sapientia sequitur decretum seu conclusio, *sapientiæ decretum*, vocare possumus. Ex quo vlterius concludimus:

mus: 1) in DEI gubernatione et prouidentia esse *praui∫ionem* προγνωσιν. 2) *decretum* seu *propo∫itum*, προθεσιν; et quia, nisi in actum deducatur, O. frustra decretum esset, 3) διοικησιν *administrationem* s. *dispo∫itionem* Act. XV. 18. Eph. I. 11. Ps. CXV. 4. quæ, *actus prouidentiæ* ideo vocantur. Quapropter, quia 1) decretum, conclusio est; quæ ex præmissis *sequitur*: præscientia DEI, decretum diuinum antecedit neque præuio decreto innititur; id quod eo facilius concedes, quo certius est, 2) adpetitum seu voluntatem et noluntatem ex repræsentatione oriri, quia ex natura spiritus ita concipitur. Patet id etiam 3) ex obiectis, quæ DEVS velle dicitur. Quæ fieri enim possunt eaque sola, velle DEVS atque decernere tantum potest (§. 83.). Quum itaque ab intellectu DEI hæc dependent (per def.): præscientia DEI, decretum antecedit. 4) Claret sententiæ nostræ veritas ex natura decreti, cum decernere nihil possumus, nisi quod antea cognouimus. Quodsi porro 5) scientiam DEI mediam, qua et ea cognoscit, quæ nunquam implentur, adeoque quæ nunquam etiam decreta sunt, nec decernuntur (§. 82.), præscientia etiam esse potest, etiamsi nullum adsit decretum; quod ex 6) variis mundis possibilibus, eorumque nexu, quem sibi repræsentat. Numen *omniscium*, etiam pro-

probatur. Quodsi porro 7) peccata, quæ efficere non decreuit, sed tantum permittere (quæ ergo præscientiam omnino supponunt) cogites; itemque 8) loca Rom. VIII. 29. 1 Pet. I. 1. nostræ te calculum sententiæ adiecturum esse, facile confido. Non ergo ideo præscit DEVS, quod præuidet, quia decreuit. Errant ergo *Scholasticorum* nonnulli, *Dominicani*, aliique, contrarium statuentes 1) quia alias intellectus DEI mutaretur, dum a potentia in actum traduceretur. Resp. Neg. Est enim infinitus (§. 27.). 2) Res alias fierent a DEO independentes. Neg. consequentia; et est vitium elenchi. 3) scientia sic DEI ab obiecto dependeret. Dist. inter *dependere*, et *respicere* obiectum. 4) futura non esse ab æterno possunt. Dist. inter futuri *actualitatem* et *repræsentationem*. 5) possibilia, futura decreto fiunt. Resp. Concedimus; non tamen præscientia a Decreto dependet, ita vt hoc modo, vt in reliquis, quæ proferuntur, dubiis, argumentum potius inuertamus.

§. 1082. Quodsi itaque in directione consistit gubernatio, quam DEVS ab æterno decreuit (§. pr.): *gubernatio* alia est *in destinatione*, quæ ipsum est decretum diuinum mundum producendi optimum; *alia in executione*, quæ

quæ est actualis directio istius mundi optimi, ab æterno decreti. Ergo, in *optimo* mundo O. res seu creaturæ tot habere debent perfectiones, quot sunt possibiles, quotque in alio rerum nexu habere non potuissent; alias hic, non ille nexus, mundum constitueret optimum, quod absurdum (§. pr.). Ergo *media* etiam optima continet; etsi imperfectiones creatura sectetur. Non tamen adeo O. in mundo fiunt necessario *absolute*. Nam, quia ens est contingens (§. 19. Cosmol.): aliter esse potest, quamuis *hypotheticam* necessitatem (ob determinationem omnimodam, seu potius certitudinem, quæ contingentiæ non officit, nec in rebus, quia causæ nomen non meretur (§. 59. Ont. aliquid mutat §. 51.), non negemus (§. 17. Cosm.). Et, quia libertatem hominibus tollere non potest (§. 121. Th. N.): nec vllis creaturis, multo minus entibus liberis, necessitatem imponit prouidentia diuina. Errant ergo, qui hoc affirmant 1) quia alias in præscientia sua falleretur DEVS. Resp. dist. inter *certitudinem* et *necessitatem*. 2) non possunt decreta impediri Psal. CXV. 3. Ies. XLVI. 10. Resp. eadem præcedens et a) hic valet. b) Nonnunquam etiam distinctio inter voluntatem *absolutam* et *conditionatam* (§. 77.), dubia tollit. Quodsi vero putas; conditionatam voluntatem, quia alias

a

a conditionibus, quod absurdum, dependeret, nullam esse: falleris atque fallis, quia *dependere* confundis, et ad conditionem *respicere*. 3) Si finem suum consequitur DEVS, non potest impediri, adeoque O. fiunt necessario. Resp. argumentum prius concedo; minime vero, quæ inde cogitur, conclusionem; quia decretum sapientiæ et prouidentiæ ratione nititur obiectiua et conditionata. 4) Ita regeretur concursus DEI per voluntatem humanam. Neg. quamuis ad voluntatem creaturarum rationalium DEVS respiciat. 5) Q. DEVS decreuit, etiam fit immutabiliter, et necessario §. 81. Mal. III. 6. Resp. priorem conclusionem concedimus; posteriorem negamus. Confunditur enim *necessarium* et *immutabile*, et *certum*. Si vero de necessitate hypothetica sermo: concedi et hoc, et reliqua dubia possunt.

§. 1083. Si ergo ob contingentiam, nullam in mundo necessitatem concedimus *absolutam* (§. pr.): nec *fatum* seu *fatalem necessitatem*, quæ in *absoluta* nexus mundani necessitate consistit, concedere possumus. Nam, quia nullus est concursus DEI præuius (§. 1081.); et regulæ Logico-morales, hominem spiritusque non necessitant; sed maxima potius libertate ad agendum sese ipsi determinant, sine determinatione etiam externa (§. 216.

138-

138-146. Psych.): ideo nec fatum 1) *astrologicum* seu secundum alios *Mathematicum*, in quo stellarum influxus, actiones determinat (*rigidius*, si actiones etiam hominum ipsi subiiciunrur; *mollius*, si excipiuntur); nec 2) *Spinozianum*, quo ex vnicæ substantiæ (DEI) *essentia* necessaria, omnia fluere et ad operandum determinari, quod absolutæ necessitatis est (per def.); nec 3) *Turcicum*, quod ex actionibus DEI immediate prædeterminantibus homines agunt; nec 4) *Stoicum*, quod *Gellio* teste, sempiterna quædam est et indeclinabilis series rerum et catena, voluens semet ipsam, sese et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est, concedere possumus. Verum, quia secundum sapientiam suam omnia, quoad spatium DEVS connectit atque tempus (§. 10. 11. Cosmol.): causarum *naturalium* ordo et effectuum finiumque necessariorum, DEI prouidentiæ subiectus, Hos. II. 21. qui *fatum Physicum*; nec non causarum effectuum et finium in rebus, ad salutem per Christum partam pertinentibus ordo, qui *Christianum* vocatur, est statuendus; quamuis prius, nexum *sapientem* qui rursus vel materialis seu *mechanicus* est vel *moralis* (§. 20. Cosm.); posterius, *Christianum* seu *Theologicum* vocare vellem; ne idea, quam fatum sibi coniunctum habeat, secundaria,

fal-

falsam producat notionem; rectitudoque vocabulorum obtineatur (§. 91. Log.). *In se* enim *fatum*, quod a *fando*, vbi quis destinauit atque aliquid decreuit, deriuatur, nihil mali continet, ita vt synonymum potius diuinæ adhibeatur interdum prouidentiæ. De nexu vero et contingente quidem, vide Psal. CXV. 4. Ies. XIV. 27. XLVI. 10. Deus. XXVIII. 1. seqq.

§. 1084. Ergo mundi nexus cum sapientissimus sit (§. pr.): genera speciesque rerum numerice etiam *determinatas* non conseruat solum; sed et indiuiduorum mutationes quoad *spatium* et *tempus* ita dirigit, vt finem obtineat suum. Ergo gubernatio ad res non minus viuentes, quam vita destitutas, se extendit. e. g. aërem, vapores, meteora, et quæ sunt alia. Ps. CIV. tot. Ergo cum et homines ad mundum pertinent: sine dubio eorum etiam vt *ingressum*, sic et progressum seu ipsam vitam, itemque egressum seu mortem dirigat sapientissime. Quod ad *ingressum* eorum in hunc mundum aspectabilem attinet; formare, effingere, efformare, conseruare, animæ vires determinare excludere, natiuitatis tempus, modum parentes et locum, generis, ingeniorum et facultatum mentis in relatione etiam ad alios, iustam ad conseruationem mundi pro-

por-

portionem determinare DEVS debet Iob. X. 3-12. Pſ. XXIII. 10. 11. LXXI. 6. Act. VII. 17. XVII. 25. Et quoniam ſine *alimentis, educatione, conſiliis, deſtinatione* ad certum vitæ genus, variisque *præceptorum, mutationis, loci, temporis* etc. reſpectu, circumſtantiis; inque hoſtium inſidiis *conſeruatione* etc. nec viuere homo, nec DEVS conſequi finem potuiſſet: et hæc etiam aliaque huc pertinentia, procurare et gubernare in *progreſſu vitæ*, debet 1 Sam. II. 4. 2 Sam. XXIII. 26. ſeqq. Iob. XXXIV. 21. Ier. X. 23. Amos III. 6. Prou. XX. 24. Luc. I. 13. ſeqq. Act. XIV. 7. In mundo autem nexus eſt quoad ſpatium et tempus (§. 10. 11. Coſmol.). Ergo non ad præterita ſolum reſpectu vniuscuiusque hominis, et præſentia; ſed futura etiam *totumque* nexum reſpicit DEVS. Et quidem, quia ſalute hominum temporali et æterna delectatur: non tam *naturalem*, quo felicitas creaturarum *temporalis* promouetur, quam *ſpiritualem*, quo æterna, in ingreſſu vitæque progreſſu gubernat. Hinc, quia et *hic*, mediis vtitur, nec immediate ſemper procedit: *irregenitos*, per varios caſus, et circumſtantias, in quas præter ſpem interdum ruere ſinit, vocat, illuminat, fidemque accendere parat; Act. XXIV. 25. XXVI. 28. *regenitorum* vero fidem variis etiam modis dulci et acerbo, conſeruare (*Büttneri Curſ. Theol.*) ſtudet.

ſtudet. Ita, quia mors Chriſti, adeoque obedientia actiua et paſſiua, O. felicitatis fons eſt: et circa hanc, prouidentia quam maxime eſt ſtatuenda; et hinc Decretum Act. IV. 27. 28. Denique, mors hominis, eiusque temporis punctum quo contingit, quod *terminus vitæ humanæ* ſalutatur, et maximum haud raro ſecum trahit momentum, et O. quia in mundo determinata, certiſſimus eſt. Ergo ad terminum etiam vitæ ſeſe prouidentia diuina extendit; illumque decreuit. Pſ. XC. 10. CXXXIX. 16. Et quum ex rationibus obiectiuis ſemper decernat DEVS: fieri id etiam debet in termino vitæ. Ergo et hoc decretum eſt conditionatum; minime abſolutum. Ex. XXIII. 25. 26. Pſ. LV. 24. XXXVIII. 2. Phil. II. 27. Quum vero nihilominus in mundo certa O. ſunt et determinata: certus etiam eſt et *hypothetice* neceſſarius terminus vitæ. Ergo, vel reſpectu conſtitutionis naturæ; vel actionum moralium, quas pœna ſequi poteſt etiam hac in vita, vel præmium. Priori in caſu, vocari poteſt *naturalis*, ſeu *phyſicus* quia, ex circumſtantiis nexuque rerum fluit; poſteriori, *præternaturalis* ſeu *moralis*: et *præmii* quidem reſpectu, *gratiæ*: *pœnæ* vero, *iræ* ſalutatur. Hinc, quia ſemper ob rationes agit obiectiuas: ſi *peculiare* alicui præmium, vel pœnam, ad vniuerſi perfectionem

nem vult concedere: vel prolongare, vel decurtare naturalem potest, sine miraculo. Semper ergo in diiudicatione huius controuersiæ, ad totum respiciendum est vniuersi nexum. Et, quoniam etiam in hoc decreto, libertatem, Spiritibus finitis concedit: et ipse homo, per inordinatam vitæ rationem seu peccata, immo et aliis modis, e. g. per autochiriam, electionem vitæ militaris etc. 2) alii homines, et 3) Diabolus, ad termini *naturalis* decurtationem, conferre plurima possunt. Hinc ob sapientiam et 4) ipse DEVS *piorum* respectu, *prolongat* a) ob preces b) ædificationem ipsorum et aliorum suique nexus spiritualis, et quæ ad eum pertinent, obtinendi rationem Ps. CX. 10-16. CVI. 8-14. CXVIII. 17. seqq. *impiorum* vero, a) ob posteros b) finem suum; c) ipsorum emendationem et d) testimonium iustitiæ et longanimitatis 2 Pet. III. 9. 15. Hinc etiam *abbreviat*, *piorum* respectu, ne corrumpantur, aut pœnas improborum simul sentiant 2 Chron. XXXIV. 22. seqq. Ies. XXVI. 19. 20. LVII. 1. Ps. XII. 1. 1 Reg. XIV. 13. itemque ob preces ipsorum et aliorum, testimoniumque iustitiæ et sapientiæ; *impiorum* vero, ne amplius ecclesiæ aut Reipublicæ noceant; maioremque sibi attrahant pœnam; iustitiamque suam monstret. Ps. XXXVII. 32. seqq. LXXIII. 18.

seqq. CXLVI. 4. Errant ergo *Remonstrantes* aliique terminum vitæ *absolute* fatalem probantes 1) quia decreto diuino est constitutus Iob. XIV. 5. Resp. sed non *absoluto*. 2) ex diluuio, vbi absolutus. Neg. pœnitentiam exspectauit. 3) non ad caussas secundas alligatus Resp. absolute. 4) bonos sic vitam longiorem viuere debere. Resp. Non semper. Abbreuiat enim gratiæ terminum. 5) Ps. XXXI. 16. Sed non absolute. 6) Ex nostris etiam fatalem statuere terminum. Sed non absolutum. Melius ergo si hoc non vteremur vocabulo (§. 1083.). 7) Ex. XI. Sed respexit DEVS ad indurationem parentum; ipsamque eorum malitiam.

§. 1085. Prouidentia, continuata est creatio. Finis ergo prouidentiæ, est etiam creationis, manifestatio scilic. gloriæ DEI (§. 196.). Prou. XVI. 4. Rom. I. 20. Ps. XIX. 2. LVII. 6. Eph. I. 11. 12. Ergo O. in mundo vt gloria eius manifestetur, gubernare debet. Quoniam vero creaturas *liberas* necessario produxit (§. 121. Th. N.): eorum non tollere libertatem potest. Ergo et mala *permittere* Ioh. XIX. 12. Act. II. 23. et quia optimum vult (§. 56.) ad bonum *ea* vt reliqua O. dirigere finem debet. Gen. L. 20. Matth. XIII. 24. seqq. adeoque non est

otiosus

otiosus spectator, seu persona, alterius actiones cognoscens, nihilque eius respectu agens. Mala ergo ob mundi optimi systema permittit Matth. XIII. 29; ita vt *permissio* sit executio Decreti, actionem aliquam non impediendi. Quodsi mala, ex actionibus malis sequentia DEVS permittit, *iudiciaria* dicitur permissio. Rom. I. 24. 28. Ps. LXXXI. 12. 13. Act. XIV. 16. Vbi vero O. agere pro lubitu DEVS creaturis permitteret: haud raro, ob malitiam, suum non consequeretur finem. Hinc *impeditio* seu executio decreti est necessaria, qua efficit, ne effectus ex antecedentibus possibilis oriatur; itemque *directio*, seu executio decreti, qua actiones hominum ad *determinatum* finem consequendum nectit. Hinc alius sæpe, quam qui a creaturis intenditur, prodit. 1 Sam. X. 20. seqq. Ies. X. 6. LV. 10. seq. Act. IV. 28. ita vt recte dicamus: homo proponit; DEVS disponit. Ex eadem libertatis abusu et malitia, *determinatio* est necessaria, qua creaturis certam quandam agendi vim concedit, ne pro lubitu euagentur Iob. I. 12. II. 6. XIV. 5. Ergo et in bonis, hæc et malis actionibus obseruat. Nec est, vt dicas: si O. hæc ad manifestationem gloriæ obseruat: mala facit, vt inde eueniant bona. Nam, quia ad materiale tantum actionis malæ, minimeque concurrit ad formale

(§. 1070.): *mala vt* mala, boni obtinendi gratia nec facit, nec permittit, sed tantum, quatenus considerantur vt *actionet physicæ*; quibus, exulare quia non possunt, tamquam *remedia* consequendi bonum vtitur; id quod ex *Iosephi*, Christique historia abunde satis illustratur et attributis diuinis probatur. Quoniam enim iustus est DEVS atque sapiens: *malas* actiones *probibet, impedit motiuaque* contra eas *proponit*, atque *punit*: *bonas* vero *præcipit*, motiua *suggerit, promouet, adprobat, præmiisque* ornat. Quum itaque O. sic actiones cum suis quæ inde fluunt effectibus, gubernat: non *secunda* solum sed *aduersa* etiam a DEO fortuna hominumque sors dependet. Amos III. 6. Prou. XVI. 33. Sed, quia libertatem creaturarum non tollit: actiones earumque consectaria imputari sibi ipsis debent. Hinc veritas intelligitur: *Q. fortunæ suæ faber.*

§. 1086. Creaturarum libertatem tollere non potest DEVS (§. pr.). Ergo secundum Regulas Logico-Morales in mundo pneumatico seu morali agere eas permittat. Ergo et corpora, in mundo materiali. Quum vero nexus est in mundo; et *natura vniuersa*, seu aggregatum O. virium motricium, quæ corporibus in mundo cöexistentibus simul surmtis insunt (§. 80. Cosm.): in mundo tam

diu

diu continuantur actiones, quamdiu vires existunt, h. e. quamdiu existit mundus. Ergo nec virium in mundo defectus statui potest; nec earum per miraculum restitutio. Vel enim non *posset* ita constituere mundum DEVS; vel non *vellet*. Illud, omnipotentiam eius destrueret; hoc, omnisapientiam, qua *optimum* adpetit. E. quæ ad res naturales spectant, viribus naturæ produci possunt. Ergo naturam si spectes seu regni naturæ respectu, miraculo non vtitur DEVS. Est enim *miraculum, verum rigorosum* aut *maius*, actio DEI immediata *extraordinaria*: quod alias sapientiæ repugnaret. Quum vero per miraculum, effectus producitur: duplici miraculum sumitur sensu; ita vt vel ipsam DEI denotet actionem; vel effectum *supernaturalem* extraordinarium; qui vires mundi superat earumque leges. Ergo, quia superat: natura, et quæ ad illam pertinent, creaturæ producere miraculum nequeunt. Hinc effectus illi nec ex viribus rerum contingentium explicari; nec in statu mundi *antecedente*, rationem habere possunt. Ergo miraculum suspensio est legum mutationis naturalium. Hinc, quia res spectari diuersimode possunt: O. quas hic adduximus, propositiones, miraculorum definitiones erunt; quamuis posteriores, ad mundum iam existentem solum quadrent. Non ergo

mirabilia seu effectus inusitati, quorum rationes perspici a nobis non possunt, ad miraculorum semper referri classes possunt. Dicuntur etiam *miranda*; ad quorum et *miracula* quæ alii *minora* dicunt, seu actiones *angelorum* (siquidem ad creaturarum classem referendi) in mundo pneumatico et materiali inusitatæ, approbante DEO productæ, pertinent; non vero ad maiora (per ant.). DEVS ergo solus auctor est et *causa eorum efficiens principalis*, per omnipotentiam miraculum siue solus et *immediate*; siue *mediantibus* creaturis, Prophetis e. g. atque Apostolis, patrans; quales *thaumaturgi* vocantur; quique adeo *instrumentales* tantum, et recte quidem putentur. Ex. VI-XIV. 1 Reg. XVII. 21. 22. Ps. LXXII. 18. CXV. 3. Ies. XLIV. Act. III. 7. seqq. Marc. XVI. 20. Quo in casu, quia nil sine ratione facit, miracula, naturalibus euentibus quam simillima instituit, seu viam, alias fierent per saltum, seruat naturalem. conf. ll. cc. itemque Exod. XVI. 4. Ioh. VI. 5. DEVS ergo proprie miraculum edit; thaumaturgus vero actionem, miraculi producendi caussa, suscipit, fideque miraculosa seu heroica, id sequuturum esse, credit (§. 816.); id quod ll. cc. et Marc. XVI. 16. seqq. probant. Fieri autem miracula posse, qui mundi contingentiam, DEIque omnipotentiam considerat, negabit nemo;

quemadmodum optima ad finem, si DEVS producit (optimum enim velle tantum potest), media esse. Hinc quæ in mundo ex miraculis consequuntur, optima esse, claret. Quo maiora itaque ex miraculo proueniunt bona, eo maius habendum. Quum itaque optimum adeoque maximum eligat DEVS: plurima inde sequi, in temporum successione, cogitur. Ergo sequens mundi status (cum quo ergo connectuntur), per miraculum mutatur. Quum vero a via quam constituit ordinaria, ob sapientiam non facile discedit: non sine grauissima causa miracula edere, patet. Quodsi miraculum, veritatem a DEO esse, certo indicat, dicitur *signum*: Ioh. V. 26. VII. 31. Si vero iram diuinam, eiusque consectaria, *portentum*. Hinc, quia euentus in miraculo extraordinarii existunt, quorum naturalem caussam dare non possumus, etiam *prodigium* dici posset; quamuis et minora (quæ in relatione ad nos, etiam *comparatiua* vocantur), hoc nomen mereantur. Quodsi tale ab angelo prouenit malo, opus vocatur *magicum* et *præstigiosum*. Quum itaque nec in miraculis, nec in mundi nexu naturali, O. causas earumque effectus, tam ob indefinita entia simultanea et successiua, quam fines et media, ad hunc mundum necessaria, introspicere; nec idearum ha-

rum analysin (de *modo* ne dicam), instituere valomus: prouidentia harum rerum O. nobis est *profunda* et *imperuestigabilis*. Rom. XI. 36. Male ergo ex *parte*, siquidem ex toto, iudicandum est nexu, dubia contra prouidentiam ex *malis* desumta, sibi formant mortales, vitium supreptionis, tam *subiecti*, quam *prædicati* respectu, sæpissime committentes; id quod in Th. N. §. 110. seqq. fusius explicauimus.

§. 1087. Quodsi ergo regni naturæ respectu nulla fiunt miracula (§. pr.): producuntur tantum respectu regni gratiæ. Quum vero nisi ex caussa grauissima DEVS edit miracula (§. pr.), viamque salutis seu ordinem in Reuelatione patefecit: nec in gratiæ regno, plurima produci miracula possunt. Ergo nec O. hoc in regno mutationes, dicantur miracula; nisi *quamuis* supernaturalem DEI actionem miraculum dicas; vbi in Logimachiam, considerata definitione nostra, res rediret. Ergo, quæ secundum hunc ordinem existunt, non sunt miracula. *Quoties ergo*, quia alius per miracula, mundi status oritur (§. pr.), *nouus regni gratiæ insignis necessarius* est status, naturali ordine minime obtinendus; toties miracula sunt necessaria, et quidem tantus eorum numerus, quantus ad finem consequendum, deficiente nexu ordi-

ordinario, seu potius insufficiente, necessarius est; adeoque nec maior, nec minor. Ergo mutatio eorum, et productio est *periodica*. Hinc, quia *tres* præcipue, ecclesiæ mutationes insigniores numerantur: 1) Oeconomiæ Mosaicæ, institutio 2) eiusque, Eliæ Elisæique temporibus, repurgatio, et 3) Oeconomiæ Euangelicæ per Christum Eiusque discipulos introductio: tres etiam miraculorum sunt periodi. Non ergo semper miracula sunt exspectanda, quæ fieri, extra nouum illum Regni gratiæ statum, non possunt. Hinc intelligis Matth XI. 21. Ergo et in extraordinariis hisce actionibus sapienter procedit DEVS. Hinc gratiæ aliquo statu eiusque nexu ordinario, semel constituto, superflua fere sunt miracula noua; quum priora ad finem consequendum, sufficientissima sunt. Hinc circumstantiæ in diiudicandis miraculis, probe sunt ponderandæ; an scil. nexu ordinario, præcipue in Regno gratiæ, fieri nequeant. Vt vero eo facilius iudicium ferre de iis valeamus, ex *dictis*, et *definitione* præcipue, *fines* eliciemus et *attributa DEI*, itemque eorum *notas*. Nam quia actio DEI immediata extraordinaria miraculum est (§. pr.): 1) potentia, 2) omniscientia, 3) omnisapientia et 4) bonitas DEI, quibus *optimum*, *iusto tempore*, et *nexu*, etiam naturali ordine cessante, producere alla-

allaborat. Quoniam vero hæc attributa manifestantur; *finis* miraculorum, est gloria diuina, et cognitio dependentiæ creaturarum, earumque salus, glorificatioque diuina. Hinc, quia et mediantibus creaturis haud raro miraculum producit (§. pr.): *nota* sunt 1) si creatura, certissime tempus modumque ex diuino adflatu, prædicit; 2) veram DEI gloriam actione hac (cuius ergo circumstantiæ *antecedentes*, *concomitantes* et *consequentes* ponderandæ sunt) promouet, alias mirandum, adeoque *falsum*, itemque 3) felicitatem hominum; 4) si doctrinæ, per miraculum stabilitæ, sint *contra* rationem et experientiam, aut ita comparatæ, vt inde cognosci queant; quo in casu non sunt miracula. Ergo *supra* rationem sint et experientiam. Ergo, quia optimum producere debent: 5) efficaciam etiam coniunctam habeant, ad gloriam DEI et hominum salutem, tendentem. 6) Ergo ad vitam, principia atque doctrinam thaumaturgi etiam est respiciendum, num examinare Omnia patiatur, siue minus; alias mirandum est suspectum. 7) suspensio legum Logico-Moralium aut physicarum. 8) euectio virium substantiæ maxima; adeoque 9) effectus plane ordinario, præternaturalis; aut 10) caussa vel 11) per media haud vlla, aus minus idonea, in rerum nexu non re-

pe-

periunda, effectum producit, et quidem 12) in *instanti*, dum naturaliter maius requiratur tempus. Ex quibus omnibus denique, prouidentiæ in *ordinariam* et *extraordinariam* (per miracula) diuisio, elucet. Errant ergo *Athei*, *Fatalistæ*, *Naturalistæ latius dicti*, O. supernaturales euentus, adeoque et reuelationem, qui *strictius* ita dicuntur, negantes, et *Deistæ*, qui existentiam, non vero prouidentiam diuinam concedunt, cum *Spinoza* et *Tindal* etc. qui miracula negant, et probant 1) O. esse immutabilia. Neg. §. 1082. 2) O. naturæ vires cognoscere neminem; adeoque plures oriri errores, vitia subreptionis, falsas persuasiones etc. Resp. ab eruditis perspicacibus inquirendum; præcipue eum, præsentibus permultis, facta. 3) miracula in SS. ad regnum naturæ spectant, adeoque falsa. Neg. O. enim V. T. ad regnum gratiæ, quo Iudæorum conseruatio pertinet, spectabant. 4) euentus fuisse naturales. Ex. IX. VII. 11. 12. X. 2 Reg. IV. Ios. X. Ies. XXXVIII. 8. Ioh. IX. 6. 7. Neg. Cur enim nostris non peragi temporibus possunt? Cur Magi plagas non auerterunt? nonne et DEVS viam naturalem seruat? Iosuæ vero, solis et Lunæ *situs*: non *refractionis* radiorum in aëre et glacie, mentionem facit. Quod vero ad Hiskiam attinet, *determinatio adiecta*, etiamsi naturalibus fuisset vsus, miracu-

raculum indicat. De Ioh. IX. vid. comm. 3. 4. 14. 5) Magos etiam patrasse. Resp. Erant vel agyrtæ, adeoque fraudes erant et impostura; vel Particula *Vau*, reddendum: *vt*. Effectus vero non est secutus. Vera enim miracula, si notas cogites, non patrare potuisse, patet. 6) *Vespasianum* et *Hadrianum*, itemque *Apollonium Tyanæum*, teste *Tacito* Hist. L. IV. et *Philostrato*, teste tamen minime coæuo, nec fide digno, cæcis visum reddidisse. Resp. Ob principia et notas negatur; itemque ob testes fide minime dignos; dum adulationem indicat, ipsumque, teste *Tacito*, *Vespasianum* hæc risisse.

CAP. XXXIV.

DE GLORIA ET GLORIFICATIONE DEI.

§. 1088.

Quodsi, quæ per O. tractationis nostræ capita diximus, attente consideramus: ita comparata sunt, vt ex iis, omnes DEI perfectiones cognosci queant. Longius esset, si dictis fidem conciliare, eaque deducere vellemus; præsertim, cum in O. capitibus generatim id iam præstitimus. Hinc, quia vsus rerum sunt fines DEI (§. 38. Th. N.): O. DEVS opera sua ita producit, vt perfectiones suas patefaciat. Quum vero

vero complexus perfectionum diuinarum, sit eius *gloria*; et patefactio earundum, *manifestatio gloriæ*: opera DEI O. ad gloriam, eiusque manifestationem tendunt; et cum rationales etiam creauit: vult vt gloriam eius, ex Operibus cognoscant. Opera vero in creatione et prouidentia, redduntur conspicua (Cap. II. et Pr.). Ergo hæc probe sunt consideranda. Ergo etiam creaturæ O. *nulla* excepta, ita comparatæ sint, vt ex iis, cognosci queant. Quapropter, quia *speculum rei alterius*, ens est, cui insunt, per quæ colligi potest, quod hæc insint alteri: creaturæ, specula sunt perfectionum diuinarum. Ergo et leuissimæ. Ps. CIX. 91. XIX. 1. CXLVIII. 1. seqq. CXLV. 10. 11. CIV. 31. XXIV. 7. 8. Prou. XVI. 14. Luc. II. 14. Rom. I. 20. XI. 36. Phil. II. 11. 1 Pet. IV. 11. 1 Cor. X. 31. Totus ergo mundus, eiusque prouidentia est ad gloriam DEI; seu quod idem est, ad *manifestationem* gloriæ diuinæ; quæ mundi finis *vltimus*: siquidem creaturæ, vt specula perfectionum, attributa manifestant, adeoque hunc in finem productæ. Errant ergo, qui vel *gloriam essentialem*, quæ determinationibus essentialibus inest; vel *accidentalem*, quæ non; vt finem mundi adducunt. Errant etiam, qui causam *impulsiuam* creationis et conseruationis mundi, quæ DEI bonitas, cum *finali* confundunt,

dunt, quæ in manifestatione gloriæ consistit. Ex quo, dubio procul factum est, vt finem DEI negarent Omnem, minimeque DEO congruentem statuerent, et iactationem ostentationemque, de DEO quæ afnon possent, vitiumque gloriæ cupidinis dicerent; id quod *Kingium, Baylium, Bernardum* etc. docere, scimus.

§. 1089. Quemadmodum vero et ipse DEVS suas, per creaturas nobis, perfectiones patefecit, gloriamque manifestauit: ita et ipsæ, vt specula, ansam præbent, vt perfectiones diuinæ cognosci ab intelligentibus queant, quo in casu DEVM *glorificare*, dicuntur. Ergo et a vita destitutis, eaque præditis (conf. ll. §. pr. citt.) Hiob XII. 7. 8. irrationalibus et ratione ornatis, bonis et malis, adeoque ab ipsis Diabolis et damnatis (p. 1025.), 2 Thess. I. 9. Apoc. XIX. 1-3. id fieri potest. Et illæ quidem, DEVM glorificant *obiective*: hæ obiective simul et *effective*, gloriam eius dum illustrant, promouent, eumque honorant et reuerentur. Hæ vero quoniam haud raro inter se notiones confunduntur: paucis explicabimus, vt dubia, quæ inde oriuntur, facilius dirimere queamus. *Illustratio* enim *gloriæ diuinæ* (*cultus DEI*, Verehrung) si DEVM pro tanto Numine, quale reuera est, habemus seu, si per-

perfectionibus diuinis conuenienter viuimus; h. e. bona spiritus determinatio ex motiuis gloriæ Numinis orta. *Promotio* vero eius, actio est bona, qua alii perfectiones DEI eo melius cognoscere queant. Hæc ergo actio et externa *et* interna esse potest. *Honor* vero DEI, iudicium est nostrum, de perfectionibus suis. *Reuerentia* denique est, si infinitudinem perfectionum diuinarum admiramur, easque omnibus aliis praeferimus. Quum itaque notiones, quas descripsimus, a se inuicem differunt: male a quibusdam, praecipue idiomate germanico (ehren) confunduntur, difficultatesque excitantur. Quodsi ergo quis et gloriam DEI, eiusque glorificationem, illustrationem, promotionem, honorem et reuerentiam cognoscere cupit: mundum, seu O. DEI opera et naturalia et Spiritualia, quaeque hoc libro descripsimus, sigillatim strictеque consideret: vt, qua ratione *pii* præsertim, tam facultate *cognoscitiua* Hos. II. 20. Ephes. I. 17. quam *adpetitiua* Ps. XXV. 1. XXXIV. 9. 1 Pet. II. 3. Matth. XVI. 24. Col. III. 2. 1 Ioh. II. 15. 16. Luc. I. 4-7. ipsisque *operibus suis*, Matth. XII. 34. Ps. XXXV. 28. LXIII. 4. Rom. XII. 1. 1 Thess. V. 11. Iac. V. 19. Matth. V. 44. seqq. Phil. I. 20. Luc. XVIII. 1. 7. Ps. CXV. 1. XXIX. 2.

non hac in vita, ſed in *altera* etiam Matth. XVIII. 10. 1 Ioh. III. 2. Apoc. IV. 9. 10. V. 8. ſeq. VII. 10. 12. XIX. 1. DEVM glorificent, perſpicere queant. Modum vero legesque glorificationis vberiores explanabit Theologia Practica, ſtatim ſubiungenda.

FINIS.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1724627686/phys_1238
DFG

prolongare, vel
ſt, ſine miracu-
dicatione huius
eſpiciendum eſt
iam etiam in hoc
ibus finitis con-
nordinatam vitæ
o et aliis modis,
tionem vitæ mi-
, et 3) Diabolus,
tionem, conferre
apientiam et 4)
, *prolongat* a) ob
ſorum et aliorum
et quæ ad eum
nem Pſ. CX. 10-
17. ſeqq. *impiorum*
finem ſuum; c)
d) teſtimonium
2 Pet. III. 9. 15.
rum reſpectu, ne
improborum ſi-
XXIV. 22. ſeqq.
Pſ. XII. 1. 1 Reg.
eces ipſorum et
iuſtitiæ et ſapien-
plius eccleſiæ aut
ioremque ſibi at-
mque ſuam mon-
eqq. LXXIII. 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1724627686/phys_1241
DFG